


A  
5  
45



*B. a. B.*

*17*

2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30

2 400 40  
Deffa  
MADE IN SPAIN

# ZMARAGDI ABBATIS

## VIRI SANCTIMONIA ET DOCTRINA

CLARISSIMI (QVI VIXIT ANNO DOMINI

D. CCCC. LXX.) IN EVANGELIA ET EPISTOLAS

quæ per circuitum anni in templis leguntur, cum primis

doctæ & pia explicatio, ex principibus Ecclesiæ docto-

ribus, Origene, Hieronymo, Chryostomo, Am-

brofio, Augustino, Cypriano, Cyrillo, Grego-

rio, Victore, Fulgentio, Cassiodoro, Eu-

cherio, Tychonio, Figulo, Beda, Pri-

masio, &c. mira, sed clara breuitate

cõgesta omnibus Ecclesiæ mi-

nistris, quibus ad singulos

emêdo tenuitas obstat,

utilissima iuxta ac

necessaria.

Iam recens inuenta reuifa & in Ecclesiæ Chris-  
tianiæ profectum ædita.



ARGENTORATI GEORGIO VLRICHERO



Andlano Impressore, An. M. D. XXXVI. Mense Martio.



*Del Collegio della Comp<sup>a</sup> de S<sup>ti</sup> de granair*

Del Collegio de la Comp<sup>ta</sup> de Jeros de la Gran<sup>da</sup> 83<sup>ra</sup>.

N. 9132 -



*J. a. B.*

*19*

# ZMARAGDI ABBATIS

VIRI SANCTIMONIA ET DOCTRINA

CLARISSIMI (QVI VIXIT ANNO DOMINI

D. CCCC. LXX.) IN EVANGELIA ET EPISTOLAS

quæ per circuitum anni in templis leguntur, cum primis

docta & pia explicatio, ex principibus Ecclesiæ docto-

ribus, Origene, Hieronymo, Chrylostomo, Am-

brofio, Augustino, Cypriano, Cyrillo, Grego-

rio, Victore, Fulgentio, Cassiodoro, Eu-

cherio, Tychonio, Figulo, Beda, Pri-

masio, &c. mira, sed clara breuitate

cõgesta omnibus Ecclesiæ mi-

nistris, quibus ad singulos

emêdo tenuitas obstat,

utilissima iuxta ac

necessaria.

Iam recens inuenta reuifâ & in Ecclesiæ Chris-  
tianiæ profectum ædita.



ARGENTORATI GEORGIO VLRICHERO

Andlano Impressore, An. M. D. XXXVI, Menfe Martio.



Del Collegio de la Comp<sup>ta</sup> de Jeros de la Gran<sup>da</sup>



# REVERENDIS ILLVSTRI

BVS ET GENEROSIS PRINCIPIBVS

bus ac Dominis, Domino Bopponi à Hennenberg  
Decano, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ  
Argentinenſis, ſuis dominis obſer-  
uandiſſimis.

S. D.

RVERENDI ILLVSTRES

Generoſi Principes & Domini.



**V**OD Plinius in naturali hiſtoria de gemmis ſcribit, naturæ maiestatem in iſis in arcum coactam, nec ulla ſua parte mirabiliorem eſſe, hoc equidem de Zmaragdo libri iſtius auctore dicere non iniuria poſſim, qui quicquid habet Catholici patres Origenes, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, Ciprianus, Cyrillus, Gregorius, Victor, Fulgentius, Ioannes Caſſiodorus, Eucherius, Tychonius, Iſidorus, Figulus, Beda, hoc ille inſtar gemmæ, mira, ſed clara breuitate in his Collectionibus cõplexus eſt. Et quoniã eiſdem artis eſt, ut auctores dicendi habent rem poſſe ſuſſime dicere, & paucis referre, ſatis declarauit hoc ſuo labore Zmaragdus, quantum etiam dicendi facultate ualeat, quanquã ſit appoſitus abbreviator & deriuator, ſic enim ſeipſum uocat in præſatiõne ſua Collectionũ. Deriuator, qui ceu ex magnis fluminibus, pelagicis gurgitibus modicos riuos deriuarit. Breuiator, qui quod alij multis ſcripſerunt, ipſe in arcum coegit & Epitomen. Non autem me fugit prodigioſam quandam librorum deprauationem Latinorũ pariter & Græcorum contigiffe ex Epitomis. Hinc enim interitum Liuij, Floro, Theopompi Trogo, iuris Cæſarei Juſtiniano, Theologiæ magiſtro ſententiarum aſcribunt. Ut interim ſileam, quorũ optimorum auctorum apud Græcos iacturam debeamus iſtis abbreviatoribus. Quid enim aliud habemus uel Stephani de urbibus, uel Heſichij, præter utriuſque mutilam Epitomen? Atqui cum ea ætate non dabatur cuiſlibet diues librorum ſuppellex (nec uero excellens illud Dei beneficiũ, multiplicandi arte Typographica libros orbi Chriſtiano innotuerat, quod inenarrabili Dei beneficentia Germaniæ annis ab hinc, lxxx, contigit) uoluerunt plerique boni & Chriſtiani uiri, quæ ſunt aliorum per ſpiritum ſanctum cum charitate fraternæ curantes, hac compendiarium uia & Epitomis publicæ utilitati Eccleſiarum conſulere. Inter hos itaque eminet Zmaragdus noſter, ut non dubitarim ſi ipſi ſancti patres uiuerent, Origenes, Chryſoſtomus, Auguſtinus & alij, haud quaquam improbaturos, ſuos ſanctiſſimos labores, hac illius Collectione, uel per partes in Eccleſiarum utilitatem diſpenſari. Alexander Magnus in Zmaragdo ſcalpi uoluit, ſed non ab alio, quam Pyrgotele, ſine  
a 2 dubio

dubio in ea arte clarissimo, nimirum ab hoc nostro Zmaragdo insculpi & ceu in arctum cogi, patribus molestum minime fuerit. Quod enim apud in modum sedule ex his optimis autoribus undique decerpit, quod lucem adferret Lectionibus Epistolarum & Euangeliorum, quo nimirum ille maiorem Ecclesijs ædificationem adferret, haud quatenus eo fecit, ut quisque hac opera sua contentus, diuina illa patrum monumenta, ex quibus sua desumpserit, euolueret negligenter, nedum rejiceret poenitus. Verum id ista sua deriuatione quaesiuit, & indubie assequutus est, ut quam plurimi, his riuulis degustatis ad hauriendos fontes redderentur auidiores, & ut Proverbium habet, hos amnes duces ad mare sequerentur. Nam eiusmodi sunt quæ ex sanctis patribus noster hic deriuator degustanda exhibet, ut non possint non excitare sui sitim ampliore. Qui autem ad mare istud tantum uastum sanctissimarum lucubrationum, quas D. patres Ecclesijs reliquerunt peruenire non ualerent, si uel ex istis riuulis aqua illa cœlesti fruerentur, quam dominus ceu per canales opera diuinorum patrum nobis impertijt, ne imperitiores, quibus ipsis depromere ex scripturis meliora non est datum, de suis uel aliorum lacunis, quibus Christi offunderent, quod si non totum noxium esset, contaminaret tamen minusque & iocundas & saluares redderet aquas salutis manantes fonte scripturarum. Est quidem ipse sermo Dei lucerna pedibus & lumen semitis nostris, Et sermo Christi ueritas & ueritatis simplex oratio, atque optimus enarrator omnium Christus unigenitus ille, qui est in sinu patris qui & *ἐκ τοῦ πατρὸς* hoc est, nobis enarrauit placita patris omnia, Ioan. cap. primo. Veruntamen cum sancti patres Christi spiritus participes, de cuius plenitudine acceperunt, reliquerint nobis suas sanctas cogitationes & scripturarum interpretationes, easque non uelint aliter legi, quam ut sint ceu pedisseque collate ad Reginam scripturam sanctam, quæ Dei dona aspernari, profecto fuerit ingrati pectoris, sicuti nulla regina tam eximia, quæ pedissequarum recuset officium. Habebat olim unum Cœnobium forte unum librum & omnes legebant. Hic gestus erat, & ardor legendi sacra, & uersandi nocturna, diurnaque manu. Posthac succedente hyeme & refrigerante lectione, accidit, ut libros multos habeant, & nemo legit, & grauatim admittuntur alij, ut legant, perinde facientes, ut quod dici solet canis in præsepi cubans. Monasteria & Collegia scholas fuisse, aperius est, quam ut quis negare possit, non solum Zmaragdi aut superioris seculo, uerum etiam ipsis Apostolorum & Apostolicorum uirorum temporibus, ut ex Philone uidere licet in libro, *ἡ ἐπιτομή τῶν βιβλίων*. Ipse Græca uoce nominat *συνωστία*, hoc est loca honestorum, in quæ secedentes, honeste & caste uite mysteria celebrabant, legis libros, & uolumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum & cetera his similia euolebant, in quorum disciplinis atque exercitijs instituti ad perfectam beatamque uitam studijs ingibus coalescebant. Ab ortu diei usque ad uesperam, omne eis spatium studiorum exercitijs ducebatur, quibus ad diuinam Philosophiam per sacras literas imbuerentur

imbuerentur, patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes, &c. Et Ioannes Euangelista quem tamen Amelicus platonice barbarum uocat, tamen ea loquitur, quæ doctus Plato nesciuit, & Demosthenes æloquens ignorauit, quando occiso Domitiano & permittente Nerua de exilio redijt Ephesum, tanquam ad scholam propriam dicitur redijisse. Præsciebantur istis scholis optimi & eruditissimi quique, quales fuere, Pantenus, Origenes, Clemens, Demetrius, Dionysius, Heraclas, & alij. Ex his scholis assumebantur in presbyteros & Episcopos, qui eo usque profecissent. Et quid erant Hieronymi tempore Cœnobii nisi scholæ in quibus essent cultores & cultrices Dei, qui omne uitæ tempus, discendis & ædifferendis diuinis uoluminibus, aut sanctis psalmis & præcibus dabant. Successu temporis, ut nihil est in rebus humanis firmum, & suum cuique rei senium, res Collegiorum, & Cœnobiorum indies peiores factæ, & laus Priscorum temporum profligata, ut scite Canticum hoc apud ueteres usurpatum (Repub. & libertate populi Ro. pereuntibus) in ea tempora dici posset. Aetas parentum peior atis, Tulit nos nequiores, mox daturus progeniem uitiosiore. Sed deplorandi ea locus in præsentiarum non est. Utinam plerumque Cœnobii essent hodie, quod fuerunt ante annos sexcentos, si non daretur ire ultra (quantum ad Cynosuram Apostolicam directa ac reformata, optimus quisque desiderat) ut si non scripturam sanctam diuinitus inspiratam, quæ utilis est ad doctrinam, &c. & authores ipsos sincerioris Theologiæ interpretæ uellent legere, saltem collectionibus istis uterentur, & spartam hanc suam ornaret. Et quoniam hoc seculo reflorescunt omnia, pietas, eruditio, disciplina honestæ, studia linguarum, multi ex progentibus Cœnobiorum æducarentur in hoc, ut aliquando saluares essent & frugi reipub. Christianæ. Non minori curæ erat Ciceroni homini profano, qualis res publica post mortem suam futura esset, quam qualis tum erat. Longe maior sollicitudo incumbit spiritualibus, & quibus in hoc tam liberaliter prouisum est, ut se impendant, ut multi habeant olim aptissimi ad docendum. Equidem, Illustres Domini & Heroes, ut testimoniū superioris diligentie & uite *νοῦνο βίβλῳ* ferrem, quum hic Zmaragdus ante hac quod ego uiderim non excusus ad me opera diligentis & eruditi typographi Georgij Vricheri Andolocensis, perferretur in exemplari quidem nec integro nec probe scripto, & tamen arderet Abbas in diuinis literis eruditus, secularium literarum non ignarus, ingenio acutus, sermone compositus, uite sanctimonia conspicuus, sic enim de eo Ioannes Spanheimensis scribit, cepi cogitare apud me, de uestra Bibliotheca, quæ ab Illustribus maioribus uestris Prælati & Canonici primi templi Argentini, sic multis annis fuit in præcio habita, & successu temporis utilibus libris sic aucta, ut boni authores meliorum disciplinarum illic inuenirent. Et ex uestra Heroica benignitate, superioribus annis aliquot Germaniæ officinis sepe datus & concreditus sit thesaurus librorum in membrana scriptorum. Huc & ego me recepi, si fortassis istic aliquid Zmaragdi inter

frugilibros inuenirem, unde sordes huius exemplaris, quod typographus dederat abstergi, hiantia comitti, confusa digeri & lacunae resarciri possent. Ut enim natura gemmas altissime recondidit, uilia passim obuia sunt, Ita & hic Zmaragdus paucissimis hactenus notus fuit, ut nec de nomine constiterit quicquam. Et ecce *ἡ ἀποκατάστασις* quod dicitur, incidi in duo Zmaragdina uolumina antiquis characteribus affabre in membranade scripta, quibus adiutus, maxime uero *ἡ ἀποκατάστασις*, & ut sic dicam originalibus Catholicorum patrum sane non mediocri cura labore & diligentia, hunc praesentem authorem, restitui & ceu gemmam diu absconditam etenebris erui. Graeca & Hebraea, quae aliquoties citat uir eruditus (unde coniecturam nobis praebet linguarum cognitione minime caruisse) sic erant mutila & deprauata, ut uix cineres & umbras literarum uidere quis potuerit, ut ut lynceus. Ad haec carmina quae ex Christianis Poetis, Sedulio, Prudentio, & alijs citat, quibus orationem suam inter dum ceu stellulis lucere, & sententiarum gemmulis nitere facit, haec, dedi operam, ut inoffensus legi possunt & planius. Hunc itaq; Zmaragdum Reuerendi Illustres ac Generosi Principes & Domini, D. V. dedicare uolui, non solum quia ex uestra insigni Bibliotheca prodit, sed etiam quia situr generis preclara nobilitate antecellit (instar Zmaragdi lapidis qui uiriditate superat alias gemmas) ipsi principes, duces, Comites, Barones, ita etiam praemultis, D. V. in precio habere sancta studia haud obscuris argumentis declaratis. Ad repurgationem certe doctrinae Christianae & Ecclesiarum reconcinnationem ad quam nos pater coelestis hac tempestate tantis misericordiae suae stimulis incitat & urget, eo moderamine D. V. sese ab initio gesserunt, tam amantes Concordiae & tranquillitatis, cuius rei pleurae Heroica extant exempla, quae longum fuerit hic referre, ut si eodem uti reliqui Ecclesiastici proceres in animum induxissent, & res Ecclesiastica haberet longe foelicitus & orbis noster, exitiali isto dissidio religionis nunquam adeo concussus fuisset, aut concuteretur postea. Deinde non desunt in ipso D. V. Collegio, qui se adeo bonis literis addixerunt, ut non solum domi uersent eas cotidie, uerum etiam earum gratia, Germaniae insigniores Galliarum & Italiae Academias adeant. Ad haec quo & alios ad literarum studia inflamment, & posteritati aptiores ad sacrum Ecclesiae ministerium relinquant, quam proximum seculum reliquit nobis. Decreto maioris Concilij sui quod generale capitulum uocant, statuerunt, suis quoque (quos dicunt) Vicarijs studiorum stipendia, sicque in causa bona, sanctaque studia opibus Ecclesiasticis promouendi, cum Senatu huius reipub. conuenerunt, ut qui ex animo cupiant iuuentutem recte institui & Ecclesijs idoneos parari mitterent. Ad haec cum Principum & Heroum peculiare Enconium est, si optimos in suam familiam eligant, ac tales quibus cordi est, ut subditis bene sit, habent Illustres D. V. Egregios ac consultissimos uiros Doctorem Ioannem Teuschelin, D. Ioachimum Gruninger aduocatos & assesso-

res Capituli, D. Nicolaum Gerbelium erudito candore & candida eruditione praestantissimum uirum Secretarium, omnes iustitiae & iuris prudentiae professores, Et inter eos qui Oeconomiam administrant, Dominum Petrum Heldungum, uirum eruditum, studiorum & studiosorum non uulgarem amatorem, D. V. Oeconomum & procuratorem quam diligentissimum. Omnes sic animatos, ut & pia studia & ueram Ecclesiarum Oeconomiam exoptent, quod eo de se testatur faciunt, quod sic adsunt D. V. consilij & industria, ut subditi D. V. uestram Heroicam benignitatem, clementiam, aequitatem, sentiant indies magis ac magis, siue quid habent quod angat, siue consilio indigent, nam audiuntur humaniter, subueniunt liberaliter. Hinc fit ut uicissim subditi redament amantes Principes & Heroes & a charitate maiorum non excidunt. Hoc itaque cum animo sunt D. V. arbitratum sum me & ipsis haud ingratum, & alijs ob excellentiam & inuitam tum nominis uestri perutile facturum, si librum hunc sub D. V. auspicio in uulgus aedem. Qui enim uidebunt dominationibus uestris in tanto mundi fastigio constitutis, cum propter primam nobilitatem, tum opes & potentiam praecipuam, haec tam sancta & salutaria Ecclesijs Christi adeo probari, hinc non uulgariter ad rerum diuinarum studium, adeoque ad cunctam Christianae uitae frugem, pia aemulatione extimulabuntur. Hanc ergo qualemcumque operam meam huic Zmaragdo restituendo expoliendoque collocatam D. V. optima cum uestrae uerae dignitatis, tum salutis Ecclesiarum studiosis, uoluntate dedicatam, eodem D. V. clementer & beneuole excipiant, Parrochisque, qui in ipsorum ditione sunt, nec meliora habent, auctoritate commendent sua. Certe hic author qualis qualis iudicetur, ea dexteritate istum commentarium ex probatissimis Ecclesiae patribus, Origene, Augustino, Chrystostomo, & alijs concinnauit, ut qui eum sitiente ueri animo legerit, omnino id experturus sit, quod tribuit gemmis, quod non oblectent modo, sed certis etiam remedijs iuuent, non solum eruditione pieque lectionis oblectatione, uerum efficacia remedia contra cunctos animorum morbos, non ipsi percipient tantum, sed & alijs subministrare ualebunt, & ad id instruentur, ut nobiscum Ecclesiae Christi nunc nunc pro dolor dissipatae, & cum doctrinae tum uitae periculis non paucis grauius adhaerent, fidelem operam impendant, qua electi Christi ubique in fide pura Christi in agnitione ueritatis, quae est ad pietatem in spem uitae aeternae indies magis ac magis iungamur, proficiamus & grandescamus, ut per omnes magnates inferiores, publicos & priuatos. Gloria Dei, publica utilitas & publica honestas promoueat, quod faxit Christus Amen.

Adieci autem Reuerendi Domini & Illustres Heroes Zmaragdo, ut lectorem magis inuitarem Epitomen, & Summaria quaedam Euangeliorum & Epistolarum, non ingrata opinor futura pio & minime contentioso lectori. Quae annis ab hinc XIII. cum Moguntiae in Ecclesia Metropolitana Concionatorem agerem (ut certum thema & statum concio haberet

P R A E F A T I O

& ordo esset mihi dicendi, & auditorio tenendi dicta) in usum conscripti. Et iisdem summarijs posthac Argentorati aliquot annis usus fui, & hodie libenter utor, quoties incumbit sermonem Cohortationis ex praescriptis Euangelijs & Epistolis habere. Quam hic mos in hac Ecclesia obtinuit, ut exemplo Origenis, Chrysostomi & Augustini ac ueterum, ordine tota Euangelia & Epistolas pariter, & omnes sacre scripture libros enarremus, nam quaecumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. xv. & iuuat Ecclesiam, nunc mysteria Christi non omnino infeliciter tenentem, enarrationem audire ordine omnium quae nobis diuini scriptores reliquerunt. Quod si hunc meum laborem Illustribus D. V. non ingratum, & ministris Ecclesiarum non infrugiferum intellexero, totum Nouum Testamentum, sic in summaria & Epitomen redactum, Lector Candidus fauente Deo, aliquando a me habebit, Reuerendas ac Illustres, D. V. optimus Christus dignetur incolumes seruare, sine quo nihil potest esse saluum. Argentorati, Anno a natali Christi, M. D. XXXVI, Mense Martio,

Reuerendarum  
& Illustrium  
D. V.

Obsequentissimus, D.  
Caspar Hedio Concionator  
Argentinensis.

VITA ZMARAGDI PER IOANNEM  
Tritemium Abbatem Spanhemensem.



Maragdus Abbas Monasterij sancti Michaelis in Saxonia, ordinis diui patris Benedicti, uir in diuinis scripturis ualde eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio acutus, sermone compositus, uita & conuersatione deuotus, & regularis disciplinae moderator celeberrimus, in exponendis scripturis sanctis, nomen suum longe lateque innotuit, & magnam eruditionis famam obtinuit. Scripsit enim multa preclara uolumina, de quibus extant subiecta. In regulam sanctissimi patris nostri Benedicti lib. unum. In Psalterium totum lib. unum. In Epistolas & Euangelia per circulum anni libros undecim. Sermones ad fratres & alios librum unum. Opus quoque insigne de uirtutibus, quod praetorauit Diadema Monachorum. Alia quoque multa tam in diuinis quam in secularibus scripturis uolumina scripsisse dicitur, quae ad manus nostras non uenerunt.

Claruit temporibus Otthonum primi & secundi  
Clarissimorum Imperatorum.

Ceteris

D. ZMARAGDI IN COLLECTIONES

Epistolarum & Euangeliorum de

tempore & de sanctis,

Prefatio.



**C**ERNENS in Ecclesia plurimos diuinarum scripturarum mysticos sagaciter perquirere sensus, earumque typicos mauelle decerpere fructus. Hunc ex multis unum, allegoriarum floribus plenum curauit colligere librum, & de magnorum tractatibus prolatisque sermonibus patrum, Id est Hilarij, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, Cyrilli, Cyrilli, Gregorij, Victoris, Fulgentij, Ioannis Chrysostomi, Cassiodori, Eucherij, Tychonij, Isidori, Figuli, Bede, Primasij & de caute legendis, Pelagij & Origenis, quasi de magnis fluminibus pelagique gurgitibus in modicos riuulos, pariter derivator, pariterque extiti breuiator. Vt si quis natua ita uiuit pressus ignauia, ut in sacris literis proprio nequeat sudore querere multa. Hæc a nobis excerpta, unaque compacta saltem ruminare non desinet modica. Quia lectionis sacre cognitio, imbecillis baculum, neruosis arma ministrat. Hostium subdolas fortiter premit infidias, & uictoribus æternas feliciter promittit coronas. Ideo ueluti ferculum uarijs delictis plenum, hunc nos diligenti lectori modicum adponimus librum, ut cum hæc ambrosium palato mentis probauerit gustum, in diuinarum scripturarum se exercens latissimo campo, sagaciter plurimum Domini perquirat eloquium, & uelut Deificum, uiuificumque amplectatur animæ cibum. Cuius confortatu seculo, & instanti prouidentior, & in futuro seculo uiuat foelitior. Et hoc animaduertendum, quia sicut temporibus, & diebus conuenientes, ita uerbis uel actionibus, in hoc Comitis libro, Apostolorum uel Prophetarum cum Euangeliorum concordantes utiliter posite sunt lectiones. Quarum concordias opitulante diuina gratia in expositionis Euangelicæ calce, ubi oportune uideronectere, nectam. Vt quomodo sibi inuicem concordia uoce lectiones respondeant, temporibus, diebus, actionibusque conueniant, diligenter attendens, sine mora sollers Lector inteniatur.

*Obserua hunc librum Zmaragdij, Comitis librum dici, sed qua de causa facile pronunciarum non potest. Sunt qui putent, cum ordo diui Benedicti multos Illustri profapia natos habuerit, ut Virichum, Conradum, &c. aut Zmaragdum, Comitem fuisse, aut Comiti inscripsisse has suas Collectiones. Aut fortassis, quia ceu Enchiridion est hæc farrago Catholicorum Doctorum, ut instar indiuisi comitis, semper adsit ad manum. Atqui presente uerso non est opus querere uestigia. Vide Sigbertum in Chronicis, qui aliam sententiam adducit.*

VERSUS ZMARAGDI ABBAT.

ex Monasterio sancti Michaelis

Archangeli.

Quisquis amas typicos legis cognoscere sensus  
Vitalisque cupis doctorum carpere fructus,  
Istius egregij calamum perquirere libelli  
Discute paginulas solers & mente sagaci  
Quid teneat typicum sublato tegmine discite.  
Pabula fert animæ uerbo condita salutis,  
Pollet & in sacris nimium typicisque figuris,  
Sensibus elucet, leto sermone nitescit  
Argenti nitidos distincto limite campos  
Et nimium grauidos diuino munere cunctos  
Ordine multidico consperso semine uatum  
Continet in gremio digestos iste libellus.  
Aurea de quorum proprio sudore recisa  
Rure, fauente Deo, patres traxere metalla,  
A quibus eximios, nitido sermone repletos,  
Sum proprio nisus modulo componere libros.  
Ex quibus hunc modicum sacro carismate plenum,  
Inspirante Deo, uolui coniungere librum.  
Qui mihi perspicue difflorans Dindyma legis  
Quæ tenet in sacris monstret nudata figuris,  
Abdita qui referet, nec non qui mystica pandat.  
Profert in mediū sacro cum dogmate cuncta  
Quæ latuere diu cæco sub tegmine clausa,  
Qui rutilus nocuas pellat de mente latebras,  
Vincula dirumpat, cordis eliminat umbras,  
Inradietque sacro mentis spiramine fibras,  
Ut ualeat uobis diuino semine iacto  
Rore poli madidus, doctorum uomere cultus,  
Cordis optimus ager, centenos reddere fructus.

Finis.

# A IN VIGILIA NATALIS DOMINI, EPISTOLA BEATI PAULI

APOSTOLI, AD ROMANOS.

Capite Primo.



**R**AVLVVS ferius Iesu Christi, uocatus Apostolus, se-  
gregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat  
per Prophetas suos, in scripturis sanctis, de filio suo,  
qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem.  
Qui prædestinatus est filius Dei, in uirtute, secundum spi-  
ritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu  
Christi Domini nostri, per quem accepimus gratiam  
& apostolatam, ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomi-  
ne eius, in quibus estis & uos uocati Iesu Christi Domini nostri.



**E**PISTOLA Græcum uocabulum est, diciturque ἐπιστολή, quod est mittere,  
quia ad absentes mittitur. Ideo enim inuentæ sunt Epistolæ, ut absentes certiores  
facere possimus, si quid sit, quod eos scire oporteat, etiã ἐπιστολή, quod  
ut dixi, significat mittere, dicuntur Apostoli.

**P**aulus.) Victor Episcopus Capue ait: Qui ante persecutor dicebatur  
Saulus, audita uoce de caelo, & persequendi intentione cessauit, & ab hoc uocatus est Paulus,  
ἐπιστολή, quod est a cessatione. Prima nobis questio de nomine ipsius Pauli ui-  
detur exurgere, cur is qui Saulus dictus est in Actibus Apostolorum, nunc Paulus dicatur. Inue-  
nimus in scripturis diuinis quibusdam commutata uocabula, ut ex Abram Abraham, ex Sara  
Sara, ex Jacob Israël, ex Simone Petrus, aliquos uero binis usos esse nominibus, ut Salo-  
monem eundemque Idida, Sedechiam eundemque Iochim, Oziam eundemque Azariam. Nam  
Matthæus idem est & Leui, & quem Matthæus Lebbeum, Marcus Tattheum scribit. Secundum  
hanc ergo consuetudinem uidetur nobis & Paulus duplici usus esse uocabulo, & donec quide-  
genti propriæ ministrabat, Saulus esse uocatus, quod & magis appellationi patriæ uernaculæ  
uidebatur. Paulus autem appellatus est, cum Græcis & gentibus leges ac præcepta conscribit.  
Nam & hoc ipsum quod scriptura dicit: Saulus autem qui & Paulus, euidenter non ei tunc  
primum Pauli nomen ostendit inpositum, sed ueteris appellationis id fuisse designat.

**Seruus Iesu Christi.)** Requiramur cur is qui alibi scribit: Non enim accepistis  
spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clama-  
mus: Abba pater, ipse se hic seruum profiteatur. Sed siue id secundum illam humilitatem di-  
ctum putemus, quam dominus docuit, dicens: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde,  
siue quasi imitator eius, qui semetipsum exinanauit, formam serui accipiens, non errauimus.  
Omni enim libertate nobilior est seruitus Christi. Quid est autem seruum esse Christi, nisi seruum  
esse uerbi Dei, sapientiæ, iustitiæ, ueritatis & omnium uirtutum, quæ est Christus.

**Vocatus Apostolus, segregatus.)** Nomen hoc, id est, uocatus, quia ad omnes perti-  
net, qui in Christo credunt, generale potest uideri, quia unusquisque secundum id quod in eo præui-  
det & eligit Deus, aut Apostolus uocatur, aut Propheeta, aut Magister. In Paulo autem non  
sola generalis uocatio ad Apostolatam designatur, sed & electio, secundum Dei præscientiam,  
subsecuta, per hoc quod segregatus dicitur in Euangelium Dei, sicut & alibi ipse de se di-  
cit: Cum autem placuit Deo, qui me segregauit de utero matris meæ, ut reuelaret filium su-  
um in me. Et in Actibus Apostolorum spiritus sanctus dicit: Segregate mihi Saulum & Barna-  
ban in opus ad quod eligi eos. Præuidit ille, quem non latet mens, quod abundantius, quam  
ceteri omnes, laboraturus esset in Euangelio, quod in fame & siti, & in frigore & nuditate & in  
ceteris periculis prædicaturus esset Euangelium Christi, & ideo de uentre matris segregauit eum.

**In Euangelium Dei.)** Euangelium, εὐαγγέλιον bona aduuentiatio dicitur, nati-  
uitatis

Origenes.

Gen. 17.

1. Paral. 25.

Matth. 9.

Act. 13.

Origenes.

Rom. 8.

Matth. 11.

Philipp. 2.

Ephes. 4.

Rom. 8.

Gal. 1.

Acto. 13.

2. Cori. 6.

εὐαγγέλιον.

**C**uitatis scilicet Christi, passionis & resurrectionis & in cœlum ascensionis. In alijs locis Euangelium Christi dicitur. Marcus enim ait: Initium Euangelij Iesu Christi. Verum, quia Christus uerbum est, & in principio erat apud Deum, & Deus erat uerbum, unū atq; idem dicitur Euangelium Dei, & Euangelium Christi. Ipse enim Dominus dicit: Ego & pater unū sumus, & pater loquitur dicens: Omnia mea tua sunt, & tua mea, & ideo Euangelium patris, Euangelium filij est.

**Quod ante promisit per Prophetas suos, in scripturis sanctis.)** Quæ de Christo prædicta sunt per Prophetas, hæc etiam de Euangelio prædicta esse, sentiendum est, ut illud: Dominus dabit, uerbum Euangelizantibus, uirtutem multam, & Quam speciosi pedes Euangelizantium bona, & alia plurima, simul & ostendit se, non alium prædicare Christum, quæ cuius Euangelium Prophetæ promiserant, esse uenturum. Ipsos asserit Dei Prophetas esse, ut illas scripturas sanctas, quæ de Christo ante cecinerunt.

**De filio suo.)** Multa filij gratia hic notatur, cuius etiam in carne natiuitas dissimilis cæteris inuenitur, eo quod ex uirgine natus est.

**Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.)** Factus per spiritum. Si enim secundum carnem factus est, secundum uerbi utiq; substantiam factus non est.

**Qui prædestinatus est filius Dei in uirtute.)** Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maxime claruit, quam negare quis non potest, recte intelligentium eloquia ueritatis. Nam & ipsum gloriæ Dominum, in quatum homo factus est, Dei filius, prædestinatum esse dicimus. Clamat doctor gentium in capite Epistolarum suarum, de filio Dei: Qui factus est ei ex semine Dauid, secundum carnem. Qui prædestinatus est, filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum. Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset. Ita multi prædestinati sumus, ut membra eius essemus. Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici filij sui.

**Secundum spiritum sanctificationis.)** Sanctificationis uero spiritus dicitur, secundum hoc, quod præbet omnibus sanctitatem, sicut & alibi de eo scriptum est: Qui factus est nobis sapientia à Deo & sanctificatio.

**Ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.)** Non omnium resurgentium, sed ad Christum pertinentium. In ipso Christo resurrectionis forma præceditur, ut prior omnibus uiam resurrectionis, Dei filius, filijs aperiret. De quibus ipse dixit: Quia filij Dei sunt, cum sint filij resurrectionis.

**Per quem accepimus gratiam & Apostolatam.)** Per Christum accepisse se dicit gratiam & Apostolatam, utpote mediatorem Dei & hominū. Gratia, ad laborum patientiam referenda est, ut ipse ait: Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Apostolatus ad prædicationis auctoritatem. Siue, gratiam, in baptismo, Apostolatam, quando ab spiritu sancto directus est, accepit.

**Ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine eius, in quibus estis & uos, uocati Iesu Christi Domini nostri.)** Ostendit Euangelij gratiam, obedientibus prædicandam: in omnibus gentibus ostendit se Apostolatam accepisse, ut iam non legi, sed fidei obedirent. Pro nomine eius, id est, uicem nominis eius fungimur, ut ipse ait: Sicut misit me pater, & ego mitto uos, & qui uos recipit, me recipit.

**In quibus estis & uos.)** Hoc est, & in uobis Romanis Apostolatam prædicationis accepit.

## LECTIO ISAIÆ PROPHETÆ. CAP. LXII.



**A**ec dicit Dominus: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescā, donec egrediatur, ut splendor, iustus eius, & saluator eius, ut lampas accendatur. Et uidebunt gentes iustitiam tuam, & cuncti reges inclitum tuum. Et uocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Eteris corona gloriæ in manu Domini

**A**mini, & diadema regni in manu Dei tui. Non uocaberis ultra derelicta, & terra tua non uocabitur amplius desolata, sed uocaberis uoluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te.

**P**ropter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescā, donec egrediatur, ut splendor, iustus eius.) Hic Prophetæ introducitur persona dicens: Propter Sion non tacebo, sed tam diu clamabo, & precibus iungam preces, donec ueniat qui promissus est, & egrediatur, ut splendor, iustus eius, & cunctū orbē suo illuminet splendore.

**Et saluator eius, ut lampas accendatur.)** Ipse qui dicebat in Euangelio: Ego sum lux mundi, & de quo Ioannes dicebat: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem &c.

**Et uidebunt gentes iustitiam tuam & rel.)** Hoc est, uidebunt iustitiam, quam cunctorum creator miseretur egentibus.

**Et uocabitur tibi nomen nouum &c.)** Id est, nequaquā uocabitur Hierusalem & Sion, sed nomen nouum accipiet, id est, Christianum.

**Eteris corona gloriæ in manu Domini &c.)** Erit Ecclesia quasi corona decoris in manu Domini, & quasi diadema regni in manu Dei sui, quando eam coronauerit turba credentium, & diadema imperij, quando eam martyres gemmarum suarum uarietate distinxerint, & Ecclesia, quæ prius ab idolis fuerat possessa, & à Deo fuerat deserta, habitabit gaudens cum Christo, & gaudebit Christus cum ipsa, sicut sponsus gaudet in sponsa.

## EVANGELIUM MATTHEI CAP. I.



**C**hristi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Ioseph autem uir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, uoluit occulte dimittere eam. Hæc autem

**B**tem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet autem filium, & uocaberis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

**C**hristi autem generatio sic erat.) Quare non Iesu Christi, sed solummodo Christi, hoc est, non utrumque nomen, sed alterum posuit: hoc, ut à maioribus traditur, futuræ reseruarii historiarum, qua mox angelo dicente subinfertur: Et uocaberis nomen Iesum & rel. Quod ergo, qualiter uocatum sit, mox scribendum Euangelista præiudicet, anticipando præperere non debuit. Generatio autem, aut ipse Christus dicitur in carne generatus, ut idem sit Christi generatio, ac si diceretur: Generatio quæ est Christus, aut, sicut à quibusdam legitur, ut sit iste ordo uerborum: Sic autem erat Christi generatio, hoc est, sic ad Christum pertinet hæc genealogia Sequitur.

**Cum esset desponsata mater eius Maria, Ioseph.)** Quæritur, quare non de simplici uirgine, sed de desponsata Dominus natus sit: Primo ut per generationē Ioseph, origo Mariæ monstraretur, quia consuetudo diuinarum scripturarum est, non per foeminas, sed per uiros genealogiam texere. Secundo, ne lapidaretur à Iudeis, ut adultera. Tertio, ut in Aegypto fugiens, haberet maritale solatium. Quartā causam addidit Ignatius, ut partus celeretur Diabolo, dum eum putat non de uirgine, sed de uxore generatum.

**Antequam conuenirent.)** Non ab alio inuenta est, nisi à Ioseph, qui penitentia maritali futuræ uxoris omnia nouerat. Quod autem dicitur: Antequam conuenirent, non sequitur, ut postea cōuenirent, ut falsiloquus uult Heluidius, sed scriptura, quid factum non sit, ostendit. Notandum quod ait: Antequam conuenirent, uerbo conueniendi non ipsum concubitum, sed nuptiarum, quæ præcedere solent tempus, insinuat, quando ea, quæ prius desponsata fuerat, esse coniunx incipit. Ergo antequam cōuenirent dicit, id est, antequam nuptiarum sollempnia rite celebrarent.



**C** Inuenta est in utero habens de spiritu sancto.) Siquidem memorato ordine postea conuenerunt, quando Ioseph ad preceptum angeli accepit coniugem suam, sed non concumbebant, quia sequitur: Et non cognoscebat eam.

Inuenta est autem in utero habens.) A nullo alio quam a Ioseph, qui licentia maritali futuræ uxoris penè omnia nouerat. Ideoque tumentem eius uterum mox curioso depræhendit in utero. Et alibi inuenimus scriptum: In utero, inquit, habens, non, in uterum accipiens, Quia non aliunde acceptum fuisse, sed interius, superueniente spiritu sancto, in utero uirginali integritate circumsepto, habitum declarat conceptum. Sequitur.

Ioseph autem uir eius.) Consuetudo scripturarum est; ut sponsas uxores & sponfos uiros earum appellent.

**Vulg.** Cum esset iustus.) Iustus enim, iustitiæ templum nequaquam corrumperet, quod conceptum habuit, ante quam conuenirent, merito autem Euangelista Ioseph appellat iustum, ut idoneum eius commendat fuisse testimonium. Iustus dicitur Ioseph, ut ex prerogatiua, collata iustitiæ, doceatur eum meruisse cognoscere gratiã, qui fuerat beatæ Mariæ collata, & ideo nec accusare eam poterat. Nec derelinquere præsumebat, sed nouo miraculi stupore suspensus, non reuerentia conceptus, sed nouæ reuerentia fecunditatis sponfatam derelinquere cogitabat, unde & ab angelo, ut dubitans, commoetur.

Et nollet eam traducere.) Hoc est, infamare. Traductionis enim uerbum, sæpe in malam partem reperitur, quod etiam Græcus sermo non absurde significat, *μαρτυριάζειν*, id est, pro palare, quod est, palam facere. Omnibus enim notum sponse conceptum ostēderet noluit.

Voluit occulte dimittere eam.) Dimittere, ut multi uolunt, positum est pro eo, quod est uxorem nõ ducere. Vel certe dimittere eam uoluit, hoc est à pœna adulterij, quasi innocentem, liberare. Ne quasi adulteram traderet ad pœnam, quam sciebat ab omni contagionis reatu securam: Occulte autem, ait, ne aut dimissa uxore sua, coitus reatum super eam induceret, aut liberata, seipsum, quasi adulterij reum constitueret.

**D** Hæc autem eò cogitante, ecce angelus Domini in somnis, &c.) Hunc angelum Domini multi Gabrielem esse consentiunt. Bono & iusto uiro, bona & iusta cogitante, cõgrue bonus & iustus apparuit nuntius. Sepe etenim in scripturis sanctis talia inueniuntur, ut de Deo solenter cogitantibus, oportuna adhibeatur consolatio, ut duobus in uia ambulantibus, dum de se sermocinarent, ostensus est Dominus. Et rursum: Vndecim Apostolis de eo cõloquentibus, clausis licet ianuis, adfuit. Cur in somnis et non potius aperte, quia scilicet erat uir prorsus fidelis, & manifestiore reuelatione non indigens. Pastores quoque tanto manifestius, quanto magis ab huiusmodi eruditione per agrestem erant uitam remoti. Sequitur.

**Vulg.** Ioseph fili Dauid.) Dicens: Ioseph fili Dauid, blandientis affectu adloquitur, ut non quasi ignotum exterreret eum, cum & nomine & genere notus existeret. Familiaritatis enim inditium est, proprio aliquem uocare nomine, simulque notandum, quod Ioseph filius esse dicatur Dauid, ut Mariæ de Dauid stirpe monstraretur. Sic enim Dominus Moysi dicit: Nemo nisi de tribu tua coniugio copuletur. Cur non Iacob potius filius nominatur, sed Dauid refertur esse filius, multis procreatoribus in medio derelictis, nisi ut origo regia declararetur, de qua uentura prædicebatur Christi natiuitas.

**Beda.** Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.) Timebat namque sponsæ illius profiteri coniugium, cuius spiritalem depræhenderat esse conceptum. Accipere autem dixit, non ad coniugij copulam, sed ad spiritualis consortij inseparabilem societatem. Mariam quoque & ipsam Angelus proprio nuncupat nomine, ut amborum nomina designet in cœlis esse descripta, quæ Angelus nominauit in terra. Sequitur:

Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.) In ea, inquit, natum, non extrinsecus seminatam

Pariet autem filium & uocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.) Sequitur ethymologia nominis Iesu, cui dicitur: Saluum faciet populum suum. Vere suus populus est, qui per ipsum saluus fit à peccatis.

Lectio

LECTIO ISAIÆ PROPHETÆ. CAP. IX.

A



Opulus gentium qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Paruuus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est principatus eius super humerum eius. Et uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, ammodo & usque in sempiternum. Zelus dñi faciet hoc.

**Hiero.** Populus gentium qui ambulabat in tenebris uidit lucem magnam.) Hic locuta explanatus, adueniente Christo & prædicatione illius coruscante, primo terra Zabulon & Neptalim Scribarum & Phariseorum erroribus est liberata, & grauissimum traditum onum Iudaicarum iugum excussit de ceruicibus suis, postea per Euangelium Pauli Apostoli, qui nouissimum Apostolorum omnium fuit, ingruata est, id est, multiplicata prædicatio & in terminos gentium, & uiam uniuersi maris Christi Euangelium splendunt. Denique omnis orbis, qui ante ambulabat, uel sedebat in tenebris, & idololatriæ ac mortis uinculis tenebatur, clarum lumen Euangelij aspexit.

Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.) Inter mortem & umbram mortis hoc esse puto, quod mors eorum est, qui cum operibus mortuis ad inferos perrexerunt. Anima enim quæ peccauerit ipsa morietur. Umbra autem mortis eorum, qui cum peccent, necdum de uita egressi sunt, possunt enim, si uolunt, poenitentiam agere.

B

Paruuus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.) Iste igitur puer qui natus est de uirgine, appellatur Emanuel, id est, nobiscum Deus, & habet principatum super humerum, uel quia crucem suam ipse portauit, uel quia de ipso scriptum est: Reuelauit Dominus Deus brachium sanctum suum omnibus gentibus. Et illud: Et brachium Domini cui reuelatum est: Vocabitur ergo post duo nomina, sex alij nominibus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Non enim, ut plerique putant, unã iungenda sunt nomina, ut legamus, admirabilis consiliarius, & rursum, Deus fortis, sed admirabilis legendum est separatim, quod Hebraice dicitur *אֱלֹהִים*, & consiliarius seorsum, qui lingua eorum appellatur *אֱלֹהִים*, & Deus separatim, qui Hebraice *אֱלֹהִים* dicitur, fortis Hebraice *אֱלֹהִים* appellatur: patrem autem futuri seculi, quod in nostra uocatione completur; & principem pacis, qui locutus est ad Apostolos: Pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. Non dubitabit, qui pacem nostram, iuxta Apostolum, esse legerit Dominum saluatorem.

Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.) Nec dubitare poterit de multiplici saluatoris imperio & pace eius, quæ non habeat finem, qui in Psalmis legitur: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Et rursum: Et multitudo pacis, donec auferatur luna, id est, usque ad consummationem seculi.

Super solium Dauid & super regnum eius, ut confirmet illud & corroboret &c.) Principatus autem illius & imperium erit super solium & regnum Dauid, quod post captiuitatem Babylonicam fuerat dissipatum, ut confirmet illud & roboret & doceat esse perpetuum. Ne cassa re promissio Dei iudicetur ab incarnationis tempore usque in sempiternum.


Zelus Domini exercituum faciet hoc.) Zelus, id est, emulatio Domini fecit hoc, quia ipsi eum ad emulationem prouocauerunt in his qui non erant Dei, & ille eos prouocauit ad æmulandum in gentem quæ non erat gens.

EVANGELIUM LUCÆ CAP. II.



Actum est autem in diebus illis. Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Hęc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes ut profiterentur.

a 3 singul





**C** singuli in ciuitatem suam, Ascendit autē & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eò quod esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cū Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. Et peperit filium suum primogenitū, & pannis eū inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem uigilantes & custodientes uigilias noctis supra gregem suum. Et ecce angelus domini stetit iuxta illos & claritas Dei circumfulsit illos. Et timuerunt timore magno, & dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

**Beda.** **E**xijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis.) Non solum autem hæc noua mundi descriptio, illius summi regis aduentui testimonium perhibebat, qui congregatos à mundi plagis omnibus, electos suos, æternæ beatitudinis albo conscriberet, uerum etiam eiusdem regni duces, quieti sui moderaminis pace iuabatur. Quia nimirum compressis, à præliorum turbine, gentibus uniuersis, prædicaturos orbi Christi discipulos, quod liber propter uerbum ire uellent, ab ingruentium seruore seditonum, tremenda id temporis, ut ita dixerim, Romani nominis umbra protegebatur. Exijt ergo edictum à Cæsare Augusto, ut censum profiteretur uniuersus orbis, quia imminēbat edictum regis Christi, quo salutem conquireretur uniuersus orbis, qui uocabulum Augusti perfectissime complens, utpote suos & augescere desiderans, & ipse augere sufficiens, censoribus suæ professionis non ablatione pecunie subiectos, sed fidei oblatione signare præcepit: Euntes, inquit, in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.

**Mat. ult.**

Hæc descriptio prima facta est.) Significat hanc descriptionem uel primam esse earum, quæ totum orbem concluderint, quia plerique iam partes terrarum sæpe leguntur fuisse descriptæ, uel certe primo tunc coepisse, quando Cyrenius, uir unus ex consensu Curie Romanæ, à Cæsare, ius dare gentibus, Syriam missus est. Quomodo tunc, imperante Augusto & Cyrenio præsidete, ibant omnes, ut censum profiterentur, singuli in suâ ciuitatem, ita & nunc imperante per Ecclesiæ præsidēs, id est, doctores, immo suadente & premia pollicente Christo, eamus omnes, nullus excipiat, à censu iustitiæ, ueniamus ad eum qui laboramus & onerati sumus, & ipse reficiet nos. Tollamus iugum eius super nos, & discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde, & inueniemus requiem animabus nostris. Hæc est enim nostra ciuitas & patria, requies uidelicet beata & cœlestis animarum, ad quam nimirum ciuitatem pacis & quietis ire & deuote regi nostro thesaurum referre, est crescentibus quotidie uirtutis ac fidei profectibus supernæ lucis, quæ sunt gaudia æterna, speculari, & pro his adquirendis, prospera mundi, simul & aduersa contemnere, & his acquisitis, mundatos nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, preciosius auro, Deo munus offerre. Sequitur.

**Beda:**

Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, & reliqua.) Ioseph, auctus, uel augmentum interpretatur. Galilæa, transmigratio, uolubilitas, rota, uel confessio, Nazareth, flos, uirgultus, uel munditia, Iudæa confessio, siue glorificans, Bethleem, domus panis. Dauid, fortis manu, uel desiderabilis interpretatur. Nomen quidē inde mutuas, quod Gygantem fortiter strauerit, & pulcher aspectu, decoratq; facie fuerit. Illum scilicet de sua domo ac familia nasciturū præfigurās, qui singulariter mundi principē debellaret, speciosus forma præ filiis hominū: & ipse in Bethleem natus est, ut intellectualiū pastor esset ouium, hoc est, simpliciuū rector animarum. Factum est

**Psal. 45.**

**A** Factum est autem cum esset ibi, impleti sunt dies, ut pareret, & peperit filium suum primogenitum.) Bene, non solum propter indicium Regis stemmatis, sed propter nominis sacramentum, Dominus in Bethleem nascitur. Bethleem namq; domus panis interpretatur, ipse namq; est, qui ait: Ego sum panis uitæ, qui de cœlo descendi. Locus ergo, in quo Dominus naceretur, domus panis ante uocatus est, quia futurum erat, ut ille per materiam carnis appareret, qui electorū mentes interna facietate reficeret. Sed & usq; hodie & usq; ad consummationem seculi Dominus in Nazareth concipi, & in Bethleem nasci non desinit, cum quilibet audientium, uerbi flore suscepto, domum se æterni panis efficit. Quotidie in utero uirginali, hoc est, in animo credentium per fidem concipitur, per Babtissima gignitur. Quotidie generitæ Dei Ecclesia, suum comitata autorem, de rota mundanæ conuersationis, quod Galilæa sonat, in ciuitatem Iudæ, confessionis uidelicet & laudis ascendens, censum suæ deuotionis, æterno Regi persoluit. Quæ in exemplum beatæ semper uirginis Mariæ nupta simul & immaculata concipit nos uirgo de spiritu, parit nos uirgo sine gemitu, & quasi alij quidem desponsata, sed ab alio fecundata, per singulas sui partes, quæ unā Catholicam faciunt, præposito sibi pontifici uisibiliter iungitur, sed inuisibili Spiritus sancti uirtute cumulat. Unde & bene Ioseph auctus interpretatur, indicans nimirum hoc uocabulo, quod infantia magistri loquentis nil ualeat, si non augmentum superni iuauinis, ut audiatur, acciperit. Quod aut filium suum primogenitum Maria peperisse describitur, non iuxta Heluidianos accipiendum est, alios quoq; filios eam procreasse, quasi nequeat primogenitus dici, nisi qui habeat fratres, sicut non unigenitus, nisi qui caret fratribus, solet appellari. Quia & testimonium legis, & manifesta ratio declarat, omnes unigenitos, etiam primogenitos, non aut omnes primogenitos etiā unigenitos posse uocari, hoc est, non solum esse primogenitū, post quē alij, sed omnē ante quem nullus è uulua processerit. Est ergo Christus Iesus unigenitus in substantia Deitatis primogenitus in susceptione humanitatis, primogenitus in gratia, unigenitus in natura.

**B** Et pannis eum inuoluit & reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.) Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Qui totū mundum uestit ornatu, pannis uilibus inuoluitur, ut nos stolam primam recipere ualeamus. Per quem omnia facta sunt, manus pedesq; cunis adstringitur, ut nostræ manus ad opus bonum exerta, nostri sint pedes in uiam pacis directi. Cuius cœlum sedes est, duri præsepis angustia continet, ut nos per cœlestis regni gaudia dilatat. Qui panis est angelorum, in præsepio reclinat, ut nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat. Qui ad dextram patris sedet, in diuersorio loco eger, ut nobis in domo patris sui multas mansiones præpararet. Quāuis hoc, quod non in parentum domo, sed in diuersorio & in uia nascitur, per significationē intelligi altius potest. Ipse namq; ait: Ego sum uia, ueritas & uita, qui ergo per diuinitatis essentiam ueritate & uita permanet, per incarnationis mysterium, uia factus est, qua nos ad patriam, ubi

**10th. 14.**

Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & custodientes uigilias noctis super gregem suum.) Quod uigilant itaq; nato Domino pastores supra gregē ouium suarū, significant eos, cū dispensatione manifesta, uigilatos in Ecclesia pastores animarum castarum, quibus dicatur: Pascite, qui in uobis est, gregem Dei.

**1. Pet. 5.**

Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos.) Bene autem uigilantibus pastoribus, angelus apparet, eosq; Dei claritas circumfulget, quia illi præ cæteris uidere sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solliciti sciunt. Dumque ipsi pie super gregē uigilant, diuina super eos gratia largius corrulcat. Videre Ecclesiæ surgentis exordium, Christus nascitur, & pastores uigilare coeperunt, & bene pastores uigilant quos bonus pastor informat. Grex igitur, populus. Nox, seculum. Pastores, sunt sacerdotes, aut fortasse ille sit pastor, cui dicitur: Esto uigilans & confirma cæteros, quia non solum Episcopus, sed etiam angelos destinauit. Angelus Mariam, angelus Ioseph, angelus pastores instruit, & concipiendum, & conceptum, & natum, cœli ciues Deum testantur, ut & mortales sufficienter imbuant, & suum auctori seruitium incessanter impendant. Nam & in frequentibus tentato, passuro, surgenti, atq; ad cœlos ascendenti, semper adesse perhibentur.

**Gregor.**

**Ambr.**

Et timuerunt timore magno, & dixit illis angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo.)

2 4 Non

Beda. C Non omni populo Iudæorum, quorum plurimi rebelles extiterunt, sed omni fidelium populo, de cunctis tribubus gentibus, & linguis, in unam Christi Ecclesiam congregato, æternum gaudium Euangelizatur & magnum.

Quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.) Vbi notandum, quod Angelus, qui in nocte utiq; uigilijs pastores affatur, non ait: Hac nocte, sed, hodie natus est uobis saluator. Non aliam scilicet ob causam, nisi quia gaudium magnum Euangelizare ueniebat. Nam ubi tristitia significatur, ibi sæpe nox adiungitur, uel nominatur, ut illud: Omnes uos scandalum patiemini in me in ista nocte. Neq; enim frustra angelus tanto lumine cinctus apparuit, ut claritas Dei pastores circumfulsisset, hoc est, ex omni parte illorum radios luminis aspersisset dicatur, quod nunquam in tota Testamenti Veteris serie, toties angelis apparentibus, adiungitur. Sed mystice præmonuit, quod aperte postea monuit Apostolus, dicens: Nox præcessit, dies autem adpropinquauit. Abiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.

Math. 26.

Beda.

Et hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum &c.) Notandum solertius, quod signum nati saluatoris datur, infantem non Tyrio exceptum ostro, sed pannis squalentibus inuolutum: non in ornatis auro stratorijs, sed in præsepibus inueniendum, hoc est, non tantum humilitatis eum & mortalitatis, sed & paupertatis habitum suscepisse pro nobis, quia cum diues esset, pauper factus est pro nobis, ut nos illius inopia ditaremur. Cum esset Dominus cælorum, pauper factus est: in terris, ut terrigenas doceret paupertate spiritus regnum acquirere posse cælorum.

2. Corin. 8.

Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.) Vno Euangelizante nuntio, natum in carne Deum, mox multitudo militiæ cœlestis aduolans confono in laude creatoris ore prorumpit, ut & sui, sicut semper, obsequij deuotionem Christo impendat, & nos suo pariter instruat exemplo, quoties uel aliquis fratrum sacræ eruditionis uerbis insonuerit, uel ipsi lecta siue audita, quæ pietatis sunt, ad mentem reduxerimus, Deo statim laudes, ore, corde, & opere reddendas. Et bene chorus adueniens angelorum, militiæ cœlestis uocabulum accipit, qui & duci illo potenti in prelio, qui ad debellandas æreas potestates apparuit, humiliter obsecundat, & ipse potestates easdem contrarias, ne mortales tantum temptare ualeant, quantum uoluit, fortiter armis cœlestibus percutit. Quia uerus Deus est & homo nascitur, iure hominibus pax & Domino gloria canitur. Glorificant angeli Deum pro nostra redemptione incarnatum, quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum repleti: optant pacem hominibus, quia quos infirmos prius abiectosq; dispexerant, nascente in carne Domino, iam socios uenerantur. Qui, cum pacem hominibus poscunt, exponunt, & quibus, uidelicet bonæ uoluntatis, hoc est, eis, qui suscipiunt natum Christum, non autem Herodi, Pontificibus & Phariseis, ceterisq; Antichristis, qui eius natiuitate audita, turbati sunt, eumq; quantum ualere, gladijs insecuti: Non est enim pax impijs, dicit Dominus, pax autem multa diligentibus nomen tuum Domine, & non est illis scandalum,

Esaiæ. 48.  
Ysaï. 118.

EPISTOLA PAULI AD HEBRÆOS CAP. I.

**M**ultiphariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis. Nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansq; omnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorum faciens. Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis. Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre, dicit: Et adorent eum omnes angeli eius. Ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem

**A**um autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga equitatis uirga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis. Et omnes, ut uestimentum, ueterascent, & uelut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

**M**ultipharia et multis modis olim Deus loquens patribus in Prophetis) Dicendo enim: Multipharia & multis modis olim Deus locutus est patribus nostris in Io. Chry. Prophetis, significat, quod alibi dictum est: Ego enim uisiones multiplicauit, & in manibus Prophetarum assimilatus sum. Quod autem sequitur: In nouissimis diebus locutus est nobis in filio suo, ueluti si diceret: Quid magnum, si Prophetas misit patribus nostris: nobis enim ipsum proprium filium unigenitum misit.

Osee. 12.

Quem constituit hæredem uniuersorum.) Cum dicit: Quem constituit hæredem humanitatem significat, cui dictum est: Pete à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Ergo non iam portio Domini tantum Jacob, & fors eius Israël, sed omnes nationes & gentes toto orbe, diuisas, in hæreditatem distinctam sanguis amplectitur Christi. Hæreditas ab herede dicta est, id est, Domino, quod in ea potestate libera dominetur. Hæredis hic utitur nomine, tu duo quedam per hoc astruat & ostendat, hoc est, quod proprius sit filius, & quod dominacionis illi nulla contingat amissio. Cum ergo dicit: Quem constituit hæredem uniuersorum, sub intelligitur, totius mundi.

Psal. 2.

Calisto.

Io. Chry.

Per quem fecit, inquit, & secula.) Vbi sunt qui dicunt: Erat, quando non erat: Sicut enim neminem iudicat pater, sed dicitur iudicare per filium, quoniam iudicem genuit, sic etiam dicitur operari per filium, quia eum constat opificem genuisse.

Iohan. 5.

**B** Qui est splendor gloriæ & character substantiæ eius.) Non enim ex intellectu proprio hæc loquebatur Apostolus, nec humano hanc dispensationem reperiebat ingenio, sed spiritus sancti hæc illi suggerebat administratio. Hoc cum religiositate debemus accipere, quia ex ipso impassibiliter natus, neq; diminutus, neq; in aliquo minoratus, sed Deus uerus, de Deo uero, omnipotens de omnipotente, lumen de lumine, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Portans omnia uerbo uirtutis suæ.) Solent Arriani proponere: Quia cum dixisset Deus: Fiat lux, pater præcepit, filius obediit. Sed ecce ostendimus, quia suo uerbo cuncta perficit: Ferens omnia, inquit, hoc est, gubernans, siquidem cadentia & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est, continere mundum quam fecisse. Sed si oportet aliquid addatius dicere, adhuc amplius est. Nam in faciendo quidem ex nullis existentibus rerum essentiæ productæ sunt, in continendo uero, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur. Hæc ergo dum reguntur, & ad inuicem sibi repugnantia coaptantur, magnū & ualde mirabile plurimæq; uirtutis indicium declaratur.

Gen. 1.

Purgationem peccatorum faciens.) Postquam enim dixit superius illa magna ualdeq; miranda, dicit nunc & de cura eius & purgatione peccatorum, quam erga nos egit, sic & Petrus de illo ait: Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis liberati, eum iustitia uiuamus. Et Iohannes ait: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo, & secit nos regnum, Sacerdotes Deo & patri suo.

1. Pet. 2.

Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis.) In excelsis ergo dicens, non cum in loco concludit, sed ostendit omnibus altiozem, quoniam usq; ad ipsum solum paternæ claritatis. Sicut ergo pater in excelsis est, sic & filius. Confessus enim nihil demonstrat aliud, nisi honoris equalitatem.

Tanto enim melior angelis effectus, quāto differentius præ illis nomen hereditauit.) In hoc quod dixit, factus, pro, susceptus, intellige, tanquam si diceret, me lius est susceptus ab angelis.

Cui

**C** **Castiod.** Cui enim angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu? Intendamus ergo quod posuit: Dixit ad me, filius meus es tu, quod etiam ei dicturus erat post Baptismum: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit. Et ut Christum unam personam, id est, uerbum carne factum esse sentiret, adiecit: Ego hodie genui te. Dicendo enim, hodie, cetera eternitatem suae maiestatis ostendit, hodie enim, apud Deum nullo initio incipit, nullo fine concludit. Non est enim ibi, fuit, neque, erit, sed semper permanet, & semper est, & quicquid dixeris illi, hodie est. Quod ait: Genui te, natiuitate illam significat, de qua Esaias dicit: Generationem eius quis enarrabit?

**Et rursum: Ego ero illi in patre & ipse erit mihi in filium.** In his duobus uersibus, absolute debellatur iniquitas Iudaeorum, quid enim euidentius, quid planius, quam ut esse credatur filius, qui inuocat patrem: & rursum credatur esse pater, qui appellat filium.

**Io. Chry.** Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terre, dicit: In uero ergo assumptione carnis appellat, fors enim eramus à Deo, sicut qui sunt extra regales aulas in uinculis conligati. Sic etiam Christus effecit, egressus quippe ad nos, hoc est, carnem fumens & collocatus nobiscum, praecepta Regis innotuit, & sic nos à peccatis emundans, & ad Deum conuertens, in aulam regalem, uelut mediator optimus, introduxit. Properea ergo exitum uocatur suae incarnationis aduentum. Tunc enim totum orbem possedit, cum ab uniuersis est agnitus, quomodo si quis in quandam domum introducat aliquem, & confestim omnes illius domus Principes iubeat, ut illum prout simul omnes adorent. Ita & Christus secundum carnem iussit à cunctis angelis adorari, dicens: Et adorent eum omnes angeli Dei.

**Castiod.** Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus. Qui facit angelos suos spiritus, spiritus generale nomen est, incorporalis potentisq; substantiae, uisibiliter, siue inuisibiliter, operans quod ei diuinitus inspiratur. Angelorum enim nomen, non significat naturam, sed obedientiam, & γῆλος enim Graeca lingua dicitur, qui Latine nuntius interpretatur. Nam quando mittuntur, angeli fiunt, cum tamen natura spiritus esse noscantur. Addidit, suos, ut illos ostenderet, qui recta mente Domini uoluntatibus obsecundant.

**Hierony.** Et ministros suos flammam ignis. Ignem urentem dicit, ut in alijs lumen ueritatis infundant. In alijs peccata consumant. Ignis iste sanctos purgat, peccatores consumit. Ignem istum, qui sanctus est, non timeat, qui peccator est, timeat. Ego puto istos esse ignes angelos eius. Isti ergo angeli, quos consumunt, quicquid est lignum, scenum, stipula, qui aut aurum & argentum est, & lapides preciosi, mittetur quidem in ignem, sed mundior inuenietur.

**Io. Chry.** Ad filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi. Ecce magna differentia, quia illi quidem creati sunt, hic autem increatus. Intueris quomodo diuidit, & cum quanta claritate creaturas à creatore discernit, ministros uocans, & Dominum: seruos & haeredem. Ad proprium filium dicit: Sedes tua Deus in seculum seculi. Ecce habes regni signaculum: Et uirga equitatis, inquit, uirga regni tui. Ecce habes & aliud signaculum. Virga uero ista regulam diuinae significat aequitatis, quae ueraciter recta dicit, quia nulla prauitate curuatur, uirga ista iustos regit, impios percutit, continet ueraciter supplicantes, sed haec uirga non de cespite arboris egreditur, sed ab ipsius diuinitatis iustitia procedit, fortitudo inuisibilis, aequitas rectissima, inflexibilis disciplina.

**Castiod.** Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. Ipsa est uirga recta, amare aequitatem & odisse nequitiam. Nemo enim perfecte diligit iustitiam, nisi qui & actus pessimos excratur, quoniam diuersis qualitatibus, eodem tempore non est in uno loco. Nec potest ipso momento ibi nigrum uideri, ubi candor insederit, quia & praesentia lucis, noctis absentia est.

**Virgaretha.** Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Alij Reges, qui typum illius praeulerunt, & regnando consortes dicti sunt, oleo corruptibili sunt inuncti. Hic uero filius Dei à Deo patre, oleo exultationis, hoc est, reuerentiae, ascensionis, dominationisq; est delibutus, quia Christus natura unctus, nos per gratiam.

**Hieron.** Et tu in principio Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt caeli, ipsi peribunt tu autem permanebis. Cum dicit. Initio terram tu fundasti Domine, ostendit quod à sanis mentibus non potest abnegari, quia creator ante creaturas suas, sine aliquo initio cognoscitur existisse. Et intende, quia hic opiniones Philosophorum mirabili-

**Castiod.** bili breuitate destruxit, quarum prima est: Mundum à nullo esse creatum. Secunda: Sine fine mansurum. Sed, cum dicitur: Initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt caeli. Prima illa persuasio nephanda conuincitur. Cum uero pronunciat: Ipsi peribunt, sinem eos habere declarauit, ut nullus in stellis, gentili errore, consideret, cum eas in mutandas esse sentiret. Quod autem ait: Tu autem permanes, sicut eternitatem Domini ostendit, dum crearet omnia, sic, post caelos mutatos, ipsum dicit in maiestatis suae gloria permanere.

**A** Et omnia, ut uestimentum ueterascent. Dicendo enim, omnia, ut arbitror, non angelos, non spiritalis creaturas designat, quae in sua dignitate mansurae sunt, sed illa, quae commutatione probantur obnoxia. Quod autem dicit: Sicut uestimentum ueterascent, ad carnis fragilitatem uidetur aptandum, ipsum enim, ueterascent, quod more uestis morte consumitur.

**Et uelut amictum immutabis eos, & mutabuntur.** Amictum, id est, operitorium, caelos forsitan debemus aduertere, qui ad uicem uelaminis terras operiunt, qui simili ter, ut alia, commutabuntur. Et ut facta Domini ostenderet, iam sub aeternitate mansura dicit: Mutabis ea, & mutabuntur, quia nunquam erit ad hoc corruptibile reditura. Nam si corrupti oni ulterius subiacerent, non dicerentur esse mutata. Sicut Daniel propheta testatur, dicens: Quoniam sapientia & uirtus & intellectus ipsius sunt, & ipse mutat tempora & secula, subiecit.

**Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.** Idem positum est contra illa, quae dicta sunt, quoniam dum illa sint commutabilia, Dominus semper immutabilis per se uerat: ipse omnipotentia eius designat, quia reuera ipse est, cum se digna semper operat, esse naturam eius subsequenter declarat, quia ipse solus per se nouit esse, qui, ut sit, alio non eget adiutore, sic istis tribus uersibus, & mutatio creaturarum, & aeternitas Domini mirabili breuitate descripta sunt.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. I.

**B** In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso uita erat, & uita erat lux hominum. Et lux in tenebris lu-

cet, & tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes. Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux uera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria uenit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et uerbum caro factum est, & habitabit in nobis. Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratia & ueritate.

**In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum & c.** In principio erat uerbum. In quo principio: Et uerbum erat apud Deum. Et Deus erat uerbum. Ad idue enim dicenda nomina uerborum, quasi uoluerunt uerba. Ecce uerbum dico, cum dico Deus, quam breue est, quod dixi, quatuor literas & syllabas duas. Nun-

quid nam hoc totum est, Deus, quatuor literae & syllabae duae: an quantum hoc uile est, tantum carum est, quod in eis intelligit, quid factum est. In corde tuo, cum dicerem, Deus, magna & summa quaedam substantia cogitata est, uiua, perpetua, omnipotens, infinita, ubique praesens, ubique tota, nusquam exclusa, quae ista cogitas, hoc est, uerbum de Deo in corde tuo. Alij Euangelistae Christum ex tempore nati describunt, Iohannes eundem in principio fuisse testatur, dicens: In principio erat uerbum. Alij inter homines eum subito apparuisse commemorant, ille ipsum apud Deum semper fuisse declarat.

August.

Beda

declarat

**C** declarat, dicens: Et uerbum erat apud Deum. Alij cum uerum hominem, ille ipsum uerbum confitetur esse Deum, dicens: Et Deus erat uerbum. Alij hominem cum apud homines temporaliter conuersatum, ille Deum, apud Deum in principio manentem ostendit, dicens: Hoc erat in principio apud Deum. Alij magnalia, quae in homine gessit perhibent, ille quod omnem creaturam uisibilem & inuisibilem, per ipsum Deum pater fecerit, docet, dicens: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Fuerunt heretici, qui dicerent: Si ergo natus est, Christus erat, quando non erat, hos in primo sermone redarguit Euangelista, cum dicit: In principio erat uerbum. Fuerunt alij, qui Christum hominem tantum, non & Deum crederent, quos consequenter opprimit, cum ait: Et Deus erat uerbum.

**Aug.** Omnia per ipsum facta sunt.) Vniuersa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor, superna, inferna, spiritalis, corporalis, nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscumque substantia, quae potest habere pondus, numerum, mensuram, esse potest, nisi per illud uerbum, & ab illo uerbo creatore, cui dictum est: Omnia in mensura, in numero, & pondere disposuisti.

Et sine ipso factum est nihil.) Peccatum non per ipsum factum est, & idolum non est per uerbum factum.

**Hiero.** Per hanc enim sententiam excluduntur idola. Propter quod ait apostolus: Scimus, quia nihil est idolum.

**1. Corin. 8.** Omnia creata uel facta per uerbum bona sunt, & modo suo subsistunt. Omnia igitur creatura modo suo subsistunt, omne quod subsistit, naturam habet, nihil non habet naturam, nihil igitur non subsistit malum, sine uerbo factum est, sine uerbo factum est nihil, malum igitur nihil est. Nihil uero non subsistit, malum igitur non subsistit, nullum malum subsistit, omnis creatura subsistit. Nullum igitur malum creatura est, quare nihil neque bonum aliquid est, neque ullo modo subsistit, neque ulla creatura est, & omne quod modo aliquo est, & bonum est, & non nisi per uerbum est.

**Aug.** Quod factum est: In ipso uita est.) Sic distinguendum est, quod factum est, hic subsistit, & deinde inser. In ipso uita est. Facta est terra, sed in ipsa non est uita. Est autem in ipsa sapientia, specialiter ratio quaedam, qua terra facta est, haec uita est, terram uides, est in arte terra. Coelum uides, est in arte coelum, solem & lunam uides, sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte uita sunt.

Et uita erat lux hominum.) Ergo illa uita, per quam facta sunt omnia, ipsa uita, lux est, & non quorumcumque animalium, sed lux hominum, quia ex ipsa homines illuminantur, peccata non illuminantur, homo enim factus est, ad imaginem Dei, & habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam.

Et lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt.) Homines infideles, iniusti, iniqui, rapaces, auari, amatores seculi, hi sunt tenebrae, quae Dominum non comprehendunt, id est, non intelligunt. Purga de oculo tuo, quicquid mali est, & uidebis sapientiam, quae Deus est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

**Matth. 5.** Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.) Quia ergo Dominus Iesus Christus sic erat homo, ut lateret in illo Deus, missus ante illum magnus homo, per cuius testimonium inueniretur plusquam homo. Et quis est hic? fuit homo: & quomodo possit iste uerbum de Deo dicere: missus a Deo: quid uocabatur? cui nomen erat Ioannes: quare uenit? audi.

Hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederet per illum. Non erat ille lux &c.) Qualis iste, qui testimonium perhiberet de lumine: magnum aliquid iste Ioannes, ingens meritum, magna gratia, & magna celestis: quare igitur uenit? ut testimonium perhiberet de lumine, ut quid hoc, ut omnes crederent per illum, & de quo lumine testimonium perhiberet. Erat lux uera, quare additum est, uera, quia & homo illuminatus, dicitur lux, sicut Dominus Iesus discipulis ait: Vos estis lux mundi, & Apostolus inquit: Fuisitis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Nam & oculi nostri dicuntur lumina, sed nisi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina illa sine causa patent, sic & Ioannes erat lux, sed non uera, quia illuminatione factus est lux.

Erat lux uera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum.

Omnem

**A** Omnem uidelicet, qui illuminatur siue naturali ingenio, seu sapientia diuina. Sicut enim nescio Beda. à semetipso esse, ita etiam nemo à semetipso sapiens esse potest, sed illo illustrante, de quo scriptum est: Omnis sapientia à Domino Deo est, cuius utramque naturam, & diuinam uidelicet, qua semper ubique totus manet, & humanam, ex qua in tempore natus, loco inclusus, apparuit, consequenter Euangelista describit, dicens:

In mundo erat.) Non putes, quia sic erat, quomodo in mundo est terra, coelum, luna, stellae, arbores, pecora, & homines, non sic Deus in mundo erat, sed sicut artifex regens, quod fecit. Deus autem inuisibilis mundo ubique positus, praesentia maiestatis facit & gubernat quod fecit.

Et mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.)

Quid est. Mundus per ipsum factus est? coelum, terra, mare, & omnia quae in eis sunt, mundus dicitur. Nunquid coeli non cognouerunt, qui stellam miserunt? Aut Angeli non cognouerunt, qui accesserunt & ministrabant ei? Aut sidera non cognouerunt saluatorem suum? omnia undique testimonium perhibuerunt. Qui ergo non cognouerunt? amatores mundi, qui, amando mundum, dicti sunt mundus, hoc enim meruerunt appellari, quod ille, ubi habitant. Nam qui non diligunt mundum, carne uersantur in mundo, sed corde inhabitant coelum.

In propria uenit.) In propria, quia in mundo, quem per diuinitatem fecit, per humanitatem natus apparuit. In mundo ergo erat, per diuinitatem: in mundum uenit, per incarnationem. Venire quippe uel abire humanitatis est, manere & esse diuinitatis.

Et sui eum non receperunt.) Homines scilicet, quos ipse creauit, Iudaei quos peculiariter sibi elegerat in plebem, quibus suae cognitionis reuelauerat archanum, quos mirificis patrum gloriauerat actibus, quibus suae legis doctrinam contulerat. Ex quibus se incarnandum promiserat, & in quibus se incarnatum, ut promiserat, ostendit, ipsi eum recipere magna ex parte recularunt, multi enim eum ex utroque populo respuerunt, multi receperunt, de quibus Euangelista consequenter insinuat, dicens:

Quorquocumque autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri &c.)

**B** Magna beneuolentia, magna misericordia, unicus natus est, & noluit manere unus, sed Deus unicum eundem ipsum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ergo potestas, ut filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur eis, ut credat in eum. Dominus noster, matrem tantummodo habet super terram, & nos patrem tantummodo habemus in caelo. Cum enim accepisset mortalem hominem Adam, dedit hominibus immortalem suum patrem Deum.

Ex munere diuino, prius potestate adoptionis accepta, postea consecuti sunt, ut esse filij Dei merebantur.

Qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate uiri, neque ex uoluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.) Quod dicit: Ex sanguinibus, non est Latine, sed Graece positum est pluraliter *ἐκ σαρκῶν*, apud Latinos enim semper sanguis dicitur singulariter, sed maluit ille qui interpretabatur, quasi minus Latine loqui, secundum Grammaticos, & tamen explicare ueritatem secundum auditores infirmos. Si enim diceret, ex sanguine, singulariter, non explicaret quod uolebat. Ex sanguinibus enim maris & foeminae nascuntur homines. Quid autem subdit: Neque ex uoluntate carnis, carnem pro foemina posuit, quia de costa cum facta esset, dixit Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et Apostolus: Nemo carnem suam odio habet, id est, uxorem. Carnalis quippe nostra generatio ex sanguinibus, id est, ex natura maris & foeminae ducit originem. Ac uero spiritalis spiritus sancti gratia ministratur, quam à carnali distinguunt Dominus, ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Et uerbum caro factum est & habitauit in nobis.) Verbum caro factum est, ut nos de carne transiremus in uerbum, nec uerbum desijt esse, quod fuerat. Nec homo perdidit esse, quod natus est, gloria est aucta, non natura mutata.

Medicus ergo iste sic uenit, ut de carne uicia carnis extingueret, & de morte occideret mortem. Ideo

Aug. b tem. Ideo

**C**tem. Ideo uerbum caro factum est, ut possimus dicere: Vidimus gloriam eius. Qualem gloriam? qualis factus est filius hominis.

**Beda.** Et uerbum caro factum est. Nihil aliud debet intelligi, quam si diceretur, & Deus homo factus est, carnem uidelicet induendo & animam, ut sicut quisque nostrum unus homo ex carne constat & anima, ita unus ab incarnationis tempore Christus, ex diuinitate, carne & anima constat.

**a. Pet. 1.** Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre.) Gloria Christi, quam ante incarnationem uidere non poterant homines, post incarnationem uiderunt, aspicientes humanitatem miraculis resurgentem, & intelligentes diuinitatem intus latitantem, illi maxime, qui eius claritate ante passionem transfigurati, in monte sancto cõtemplari meruerunt, uoce de lapia ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, & post passionem, resurrectionis, ascensionisque ipsius gloria conspecta, spiritus eius sunt dono mirifice resecti, quibus omnibus manifeste cognouerunt, quod huiusmodi gloria, non cuiuslibet sanctorum, sed illi soli homini, qui esset in diuinitate unigenitus à patre conueniret.

**Fulgentius.** Plenum gratia & ueritate.) Quia & in diuina natura, quia Deus ueritas est, plenus est, & in humana, in qua homo uerus, gratia factus est, plenus est, in illa plenitudine Deus est in forma Dei, æqualis Deo, in ista plenitudine, seruus in forma serui, quia in similitudine hominum factus, & habitu est inuentus ut homo.

**Phil. 2.** Gratia plenus erat, & est homo Christus Iesus, cui singulari munere, præ cæteris mortalibus datum est, ut statim ex quo in utero uirginis cõcipit, & homo fieri inciperet, uerus esset & Deus.

**Beda.** **CONCORDIA.** Istarum duarum in plurimis sit concordia lectionum. Euangelium dicit: In principio erat uerbum. Et Apostolus: Tu in principio Domine terram fundasti. Euangelium dicit: Omnia per ipsum facta sunt, & mundus per ipsum factus est. Apostolus dicit: Per quem fecit & secula. Notandum quod Dominum Iesum Christum, utriusque Deum appellauerunt. Euangelium ubi ait: Et Deus erat uerbum. Apostolus ubi dicit: Thronus tuus, Deus in seculum seculi.

**Psalm. 45.**

**D** IN NATALI SANCTI STEPHANI  
LECTIO ACTVVM APOSTOLO. CAP. V.



Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellabatur Libertinorum & Cyrenensium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Audientes hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset Stephanus plenus spiritu sancto, intendens in cœlum, uidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris uirtutis Dei, exclamantes autem uoce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum. Erejcientes eum extra ciuitatem lapidabant, & testes deposuerunt uestimenta sua secus pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem, Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Postis autem genibus clamauit uoce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino.

Stephanus

**A** Stephanus plenus gratia & fortitudine.) Stephanus στέφανος Græce, Latine Hiero. coronatus dicitur, qui pulcherrima ratione quod percepturus erat in re, quodam prælagio præoccuparet in nomine: lapidatus humiliter, sed sublimiter coronatus, Hebraicæ autem interpretatur norma uestra, quorum uidelicet, nisi martyrum sequentium, quibus primo patiendo, forma factus est, moriendo pro Christo.

**Faciebat signa & prodigia.)** Prodigia dicuntur, porro dicentia, id est, nouum aliquid longe futurum prædicentia. Signa dicuntur, indicia aliqua, ab eo quod aliquid signi fient.

**Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano.)** Synagoga Græce, Latine congregatio dicitur. Libertini, qui de seruitute manumissi & libertate donati sunt. Constat autem, de stirpe seruili fuisse, qui primo seruituti Christi resisterunt, qui etsi ab hominibus emancipati, tamen serui erant peccati. Cilicia, cœtus, luctus, uel uomitus interpretatur. Alexander, auferens angustiam tenebrarum: Asia, eleuata uel elatio interpretatur.

**Et non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.)** Hoc est, quod Dominus ipse suis martyribus ait: Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri.

**Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus.)**

Conscientia cum arguitur, inpatiens est, & non poterant Christi ueritate sustinere. Aures eorum, furorem mentis in uultu demonstrabant. Stridebant dentibus in eum, carnes lacerare cupientes, ostendentes se esse beluas. Inde enim minabantur, unde tantummodo ostendebantur & beluæ, & impletum est in illis: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

**Cum autem esset Stephanus plenus spiritu sancto, intendens in cœlum, uidit gloriam Dei, quia plenus erat spiritu sancto, propterea intendebat in cœlum.)**

Plenitudo enim spiritus sancti, non eum permittebat terrena aspiciere. Nam & Moyses uidisse dicitur gloriam Dei, & populus in consecratione domus Domini, uidisse dicitur gloriam Dei Israël. Et Apostolus Iohannes dicit in Euangelio: Et uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre.

**Et Iesum stantem à dextris Dei.)** Stantem dixit, non sedentem, stabat cum martyre suo, & pugnabat quasi in prælio constitutus. Ille lapidabatur, & Iesus suscipiebat plagas.

**Ecce uideo cœlos apertos.)** Iam mihi aperta est uia, ad huc in terra sum, etiam ad cœlorum regna aspicio, cœlos istos aperuerunt mihi lapides uestri, persecutione uestra aperuffis mihi cœlos, usque ad huc cœlos apertos non uideram, sanguis meus clauis cœlorum est. Ac si diceret: Deponite lapides, confitemini Iesum, & uos uidebitis cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei, sed illi lapides tenentes, persecutionis ueritatem audire non poterant.

**Et filium hominis stantem à dextris uirtutis Dei.)** Cum Dominus Iesus Christus, Dei & hominis perfectus sit filius, quid est, quod hunc beatus martyr, hominis potius, quam Dei filium appellare maluit? cui plus utriusque gloriæ uideretur adlaturus, si eum Dei potius quam hominis filium appellare uoluisset, nisi ut hoc testimonio Iudæorum confundere tur infidelitas, qui se hominem crucifixisse, & hunc Deum credere noluisse meminerunt. Ad confortandum ergo beati martyris sapientiam, cœlestis regni ianua panditur, & ne innoxius homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet coronatus in cœlo. Unde, quia stare, pugnantis uel adiuantis est, recte à dextris Dei stantem uidit, quem inter homines persequentes adiutorem habuit.

**Exclamantes autem uoce magna, continuerunt aures suas.)** O prauos animos, claudunt aures, ne aperti illis ingrediatur ueritas. Claudunt aures, quia clausos habebant & oculos, & cœlos apertos non uiderant.

b a & impetum



**C** Et impetum fecerunt unanimiter in eum.) Vna impietas, unus impetus, *ma-*  
ior consensus in scelere, quam in religione.

**Beda.** Et efficiens eum extra ciuitatem lapidabant.) Et Dominus extra portam passus  
est, qui nos elegit de mundo in supernum suum regnum & gloriam, & Stephanus, quasi adue-  
na mundi, extra ciuitatem lapidatur. Non enim habuit hic manentem ciuitatem, sed futuram  
rota mente quaerebat. Et iuxta rerum immutationem martyr mundi cordis, ad caelos intuitu  
dirigit, persecutor dure ceruicis manus ad lapides mittit.

**Deut. 17.** Et testes deposuerunt, uestimenta secus pedes adolescentis, qui uocabatur  
Saulus.) Quare testes falsi primum lapidauerunt: quia lex praeeperat, ut quicumque  
testimonium diceret contra aliquem causae mortis, ipse primum lapidem mitteret in eum, quem  
primum ore occiderat suo.

**Hiero:** Deponunt uestimenta, qui iam Dei auxilium proiecerant. Saulus autem temptatio, siue in-  
fernus interpretatur. Recte igitur, qui lapidabant martyrem, uestimenta sua iuxta infernum  
reliquerant.

Et lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem: Domine Iesu suscipe  
spiritum meum.) Videte confessionem, hominem uidet stantem, & tamen Dominum  
confitetur. Ac si diceret: Domine Iesu, stas quidem quasi homo, sed adiuuas quasi Deus. Stas,  
surrexisti ut me uenientem susciperes & amplexareris, filius inuocat patrem, martyr inuocat  
agonizantem. Domine Iesu suscipe spiritum meum, qui expellitur de carne mea, propter confes-  
sionem tuam, fas est enim, ut spiritus, qui pro te funditur a te suscipiatur.

**Beda.** Postis autem genibus clamauit uoce magna dicens: Domine, ne statuas  
illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset, obdormiuit.) Pro se quidem stans  
orauit, pro inimicis genu flexit, quia ipsorum maior iniquitas, maius supplicandi remedium  
flagitabat. Et mira beati martyris uirtus, qui sic zelo seruebat, ut eis, a quibus tenebatur, palam  
sue perditionis culpas exprobraret, sic dilectione ardebat, ut in morte quoque pro eis, a quibus oc-  
cidebatur, oraret.

## EVANGELIUM MATTHAEI CAP XXIII.

**D** Icebat Iesus turbis Iudaeorum & principibus sacerdotum, Ecce  
ego mitto ad uos Prophetas & Sapientes & Scribas, & ex illis  
occiditis & crucifigitis, & ex eis flagellabitis in synagogis uest-  
ris: Et persequimini de ciuitate in ciuitate, ut ueniat super uos  
omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti usque  
ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum &  
altare. Amen dico uobis, uenient haec omnia super generationem istam.  
Hierusalem, Hierusalem, quae occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te  
missi sunt. Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina  
na congregat pullos suos sub alas, & noluisti. Ecce relinquetur uobis do-  
mus uestra deserta. Dico enim uobis, non me uidebitis amodo, donec dis-  
catis: Benedictus qui uenit in nomine Domini.

**D** Icebat Iesus turbis Iudaeorum: Ecce ego mitto ad uos Prophetas &  
Sapientes & Scribas, & ex illis occiditis & crucifigitis & flagellabitis in sy-  
nagogis uestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem, ut impleatis men-  
suram patrum uestrorum.) Id est, quod illis defuit, uos adimplete. Illi enim inter-  
fecerunt seruos, uos Dominum crucifigite: illi prophetas, uos est qui per Prophetas praedicatus  
est. Potest hoc & ad discipulos eius referri, de quibus nunc dicit: Ecce ego mitto ad uos Prophe-  
tas &c. Simulque obserua iuxta Apostolum scribentem ad Corinthios, uaria dona esse discipu-

**Hiero:**

1. Corin. 12.

lorum

**A** Iorum Christi. Alios Prophetas, qui uentura praedicant, Alios Sapientes, qui nouerint quando  
debeant proferre sermonem. Alios Scribas in lege doctissimos, qui describunt in tabulis cor-  
dis sui, ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellatus in Acti-  
bus Apostolorum discipuli, & persecuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudea,  
ut ad gentium populum transfirerent.

Vt ueniat super uos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.)

Quaeritur, quomodo sanguis omnium Prophetarum atque iustorum, ab una Iudaeorum gene-  
ratione requiratur, cum & multi sanctorum, siue ante incarnationem, seu post mortem, resur-  
rectionemque saluatoris ab alijs sunt nationibus interempti, & ipse Dominus Iudaeis licet accla-  
mantibus, a Romano tamen praeside, Romanoque sit militibus crucifixus. Sed moris est scriptu-  
rarum, duas saepe generationes hominum, bonorum scilicet & malorum computare, hoc est,  
eorum, qui non ex sanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati  
sunt: & eorum, quibus dicitur: Vos ex patre Diabolo estis, & alibi: Serpentes, generatio uiperarum.

**Beda.**

Dicamus breuiter, quare sanguis Abel iusti usque ad Zachariam filium Barachiae, ab illa gene-  
ratione quaeratur, cum neutrum eorum occiderit. Regula scripturarum est, duas generationes,  
bonorum uel malorum nosse. Bonorum, de qua scriptum est: Haec est generatio quaerentium  
Dominum, quaerentium faciem Dei Jacob, & in alio loco de omnibus sanctis: Generatio recto-  
rum benedictur. De malis uero: Generatio uiperarum, & requiruntur omnia a generatione ista.  
Et illud: Generatio praua atque peruersa, haec cunctis reddis Domino, popule stulte & insipiens, &  
gens sine consilio & sine prudentia: Ergo isti, qui similia Cain & Ios contra Apostolos gesserunt,  
de una generatione esse referuntur: & omnes sancti, qui similes in uirtutibus sunt, una generatio  
esse uidentur.

**Math. 3.**

**Hierony.**

**Psal. 24.**

**Psal. 112.**

**Psal. 78.**

A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae.)

Quaeritur, cur duos hos specialiter posuit Abel & Zachariam, quia neuter tunc praesens fuit, &  
postea multi ab eis sancti occisi sunt, mirum pro aequalitate piaculi. Cain enim occidit Abel  
fratrum suum, nulla causa iusta existente. Ios quoque rex filium sacerdotis nutritis se, & eri-  
piens de morte, & in templo septem annis abiecedentis se, cum Athalia, auia eius, omne semen  
regium, desiderio regni, interfecisset, maximeque conlaetaneum suum: horum, inquam, omnium  
oblitus, interfecit. Item quaeritur: Si sanguis horum, qui post hunc occisi sunt, uenit super eos,  
mirum non est. Sed quare usque ad sanguinem Zachariae quaerendum est, cum  
& multi post eum usque ad natiuitatem Christi, & ipso mox nato innocentes in Bethleem pu-  
eri sint ab hac generatione perempti? Nisi forte, quia Abel pastor ouium, Zacharias sacerdos  
fuit, & hic in campo, ille in atrio templi necatus est. Vtriusque gradus martyres, & laici scilicet &  
altaris officio mancipati, sub eorum uoluit intinere uocabula.

**Beda.**

**B**

Quem occidistis inter templum & altare.) Inter parietem templi & altare in-  
terius, siue, ut alij dicunt, inter ruinas templi & altare hostiarum exterius. Quaeritur, qui  
sit iste Zacharias filius Barachiae, qui occisus est inter templum & altare, quia multos legimus  
Zacharias. Sed, ne libera nobis tribueretur erroris facultas, manifeste ostendit, de quo dicit  
hoc, quod additum est: Quem occidistis inter templum & altare, illum significare Zachariam  
uolens, qui occisus est a Ios Rege Iudae, sicut Regum narrat historia. Sed obseruandum, quod ille  
Zacharias non sit filius Barachiae, sed filius Ioadae sacerdotis, unde scriptura refert: Non fuit  
recordatus Ios patris eius Ioadae, quae sibi fecisset bona. Cum ergo Zachariam teneamus &  
occisioni consentiat locus, quaerimus, quare Barachiae dicitur filius & non Ioadae. Barachias  
in lingua nostra benedictus Domini dicitur, & Ioadae iustitia interpretatur, & ideo uir iustitia  
plenus, benedictus Domini recte appellatur.

**Math. 2.**

Hierusalem, Hierusalem, quae occidis Prophetas & lapidas eos qui  
ad te missi sunt.) Hierusalem, non saxa & aedificia ciuitatis, sed habitatores uocat, quae  
patris plangit affectu, sicut & in alio loco legimus, quod uidens eam, fleuerit.

**Hieron.**

2. Par. 24.

Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congre-  
gat pullos suos sub alas suas, & noluisti.) In eo autem quod dicit: Quoties uolui,  
congregare filios tuos, omnes retro Prophetas, a se missos esse testatur. Ausis quoque similitudinem  
b 3 congre-

**Hier.**

**Luc. 6. 19.**

**C**ongregatis sub pennis nidum suū, in Cantico Deuteronomij legitur: Sicut Aquila protegit nidum suum, & super pullos suos desiderauit, expandens alas suas, suscepit eos & tulit super pennas suas. Et pulchre, qui Herodem de sua nece tractantem, uulpem uocarat, uespum autem conparat. Fraudulenta enim uulpes, semper insidias auibus tendere non cessat. Quod dicit: Qui ad remissi sunt, hoc est, qui ad profectū tuū missi fuerāt. Quoties uolui, ac si diceret, indebita reddis mihi, cōgregare de Aegypto, & Babylone pullos sub alas. Duq̄ alē Domini Moses & Aarō, qui eduxerūt populū de Aegypto, siue Zorobabel & Eldras & Neemias, & Iesus filius Iosedech Duces, qui eduxerūt populū Israhēl de Babylone. Queritur quomodo dicit: Quoties uolui, cū Prophetā dixerit: Omnia quę uoluit Dñs fecit, id est, nolui ex me, sed uoluitis ex uestra parte.

**Hiero.** Ecce relinquetur domus uestra deserta. Hoc ipsum ex persona Hieremię, iam ante dixerat: Relinqui domum meam, dimisi hęreditatem meam, facta est mihi hęreditas mea quasi spelunca hyenę. Desertam Iudęorum domum idem templum illud, quod ante fulgebat augmentis oculis conprobamus, quia habitatorem Christum perdidit, & hęreditatem pręri peregestiens, occidit heredem. Aliter, ecce relinquetur uobis domus uestra deserta, hoc est, nunc uestra est, non mea, quę dudum domus mea uocabatur. Deserta in uindicta crucis, siue templū Iudęorum à Domino habitatore relinquetur, ibitq̄ ad gentium Ecclesiam.

**Bedæ:** Ipsam ciuitatem, quam nidum suum uocauerat, nunc domū Iudęorum appellat, quę nō inmerito Domini auxilio nudata, suę ditioni relinquatur, quia non solum auis illius omnipotentis, quam Matheus gallinam nuncupat, alis protegi desepxit, sed eandem auem, se protegere uolentē, uulpibus, deuorandam, idem Herodi & Pilato crucifigendum tradidit Christum, Nec mora uulpiū earundē, hoc est, regum terrę, & ipsę rapinę donatur, occiso enim Domino uenerunt Romani, & quasi nidum uacuuū diripientes, tulerunt eorum locū, gentem & regnū.

**Hiero.** Sciendum quia hyenę, unde superius in testimonio Hieremię, mentio facta est, bestia est, quę noctu cadauerimus mortuorum uiuit, & de sepulchris solet effodere corpora, nihilq̄ est immunditię, quo non uescatur, talis est Israhēl, offendens Dominum suum, & omnium bestiarum moribus, traditus, nempe quia à Domino est derelictus.

**Aug.** Dico enim uobis: nō me uidebitis amodo donec dicatis: Benedictus, qui uenit in nomine Domini. Hęc quidem turbę dixerunt Domino, uenienti ad Hierusalē, sed quia Lucas nō dicit, quo hinc abcesserit Dominus, ut non ueniret, nisi eo tempore, quo iam illud diceretur. Perseuerat quippe in itinere suo, donec ueniat Hierusalē. Cogit profecto hoc mystice intelligi, de illo eius aduentu, quo in claritate uenturus est, maxime cum Matheus Dominum prędecantatas ei à turba laudes dixisse testatur.

**Hiero.** Idē quod dicit: Donec dicatis: Benedictus qui uenit in nomine Domini, hoc uult intelligi, nisi poenitentiam egeritis, & confessi fueritis, ipsum me esse, de quo Prophetę cecinerunt, filium omnipotentis patris, meam faciem non uidebitis. Habent Iudei, datum sibi tempus poenitentię, consistantur: Benedictus qui uenit in nomine Domini, & Christi ora conspicient.

**CONCORDIA** Istarum duarum in hoc sit concordia lectionum, quia utraq̄ de lapidatione iustorum, unam faciunt mentionem. Hęc est lectio Actuum Apostolorum, de beati Stephani, perspicue, & proprie iam patrata. Euangelij uero lectio, de cuiuslibet Prophetę lapidatione absolute facit, non proprie mentionem.

**IN NATALI SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ.**  
Lectio Epistolę beati Pauli Apostoli ad Ephesios capite primo.

**B**enedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cœlestibus in Christo: Sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem, ut essemus sancti & immaculati in cōspectu eius in charitate. Qui predestinauit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christū, in ipsū, secūduū proposiuit uoluntatis suę, in laudē glorię gratię suę, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redēptionē, per sanguinē eius, in remissionē peccatorū, secūduū diuitias gratię eius, quę superabundauit in nobis.

**Hiero.** Benedictus Deus & pater Dñi nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo. Quomodo secundū substantiā Deus bonus, nos cōmunionē sui, efficit bonos, ita ipse benedictus, nos prestat esse

**A** benedictos. Benedixit autem nos, non in una benedictione tantum, sed & in cunctis, nō quod omnes omnia consequamur, sed dum singuli, uel singulas, uel plures habemus, ex omnibus omnes singulas possideamus, & nō interuenis benedictionibus, sed spiritalibus. Queritur, quomodo ad huc in terra nos positos, cœlesti benedictione benedixerit. Siue igitur quod conuersatio nostra in cœlestis est, & non sumus de mundo isto, sed deposita imagine τὸν οὐρανόν, portamus imaginē supercœlestis, & in carne nō uiuimus, sed in spiritu, siue quod omnes benedictio spiritalis in Christo, licet in terra sit, tamen de cœlestibus cōputetur: Benedixit nos, inquit, in omni benedictione spiritali, id est, in sermone Dei, & sapientia, & uirtute, ceterisq̄ uirtutibus. Duplīter autem legendū: Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, ut sit benedictus Deus, qui uniuersorum conditor est, & hic distinctio, deinceps inferatur, qui est, & pater Domini nostri Iesu Christi. Vel ita, ut Deus & pater, ad Dominum nostrum, in cōmune referatur, benedictus Deus, eius qui assumptus est hominis, & pater eius, qui in principio apud Deum, erat Deus uerbum. Non quo alius assumptus homo, & alius sit sermo, qui assumptus sit, sed quo unus, atq̄ idem, pro uarietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis predicet.

Sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem. Volens itaq̄ Paulus ostendere, quod Deus nos elegit, ut essemus sancti, & immaculati coram ipso, hoc est, Domini ante fabricā mundi, in pręsentia Dei, cui omnia futura iam facta sunt, & anteq̄ stant uniuersa, sunt nota, hoc usus est sermone dicens. Ante cōstitutionē mundi. Quod autē ait: Ut essemus sancti & immaculati. Inter sanctū & immaculatū, hoc interest, quod sanctus & immaculatus intelligi potest. Immaculatus uero, nō statim & sanctus. Paruuli uero immaculati sunt, qui in integro corpore non fecere peccatū, & tamen nō sancti, quia sanctitas uoluntate & studio cōparatur.

**B** In charitate predestinās nos in adoptionē filiorū, per Iesum Christū &c. Duplīter legēdū, ut charitas, uel superioribus, uel inferioribus copulet. Cū superioribus ita, ut essemus sancti & immaculati corā ipso in charitate. Cū inferioribus ita, in charitate predestinans nos &c. Nec nō etiā hoc inferendū, quod cū predestinet nos in adoptionē filiorū, per Iesum Christū, tamen nō ante filij esse possumus, nisi filij eius Iesu Christi fidem & intelligentiā recipiamus, & illa quidem natura filius est, nos uero adoptione. Ille nunq̄ filius nō fuit, nos anteq̄ essemus predestinati sumus &c. Spiritū adoptionis accepimus quando credimus in filiū Dei.

Secundū placitum uoluntatis suę. Verbum ἐκδοκίαν, quod Latinus interpretatus est, placitū, apud Gręcos compositū est, ex duobus integris, ἐκ τὸν οὐ καὶ τὸν δὸκίμ, id est, à bene & placito, quod nos possumus dicere, bene placitū, quia nō statim omne quod placet, & bene placere potest, sed hoc bene placitū dicit, ubi quod placuit, recte placitū cōparatur.

In laudē glorię gratię suę, in qua gratificauit nos in dilecto. Omnis ergo gratia quā consequimur, in gloriā & laudē eius, qui nos gratificauit in dilecto, hoc est, in Domino Iesu Christo & saluatore cōpletur, quia absq̄ sapientia, ueritate, iustitia, pace, redemptione, quibus omnibus Christus intelligitur, nullū bonū esse potest. Nec putandū quod in Latinis codicibus, habet scriptū, in dilecto filio suo, sed simpliciter & absolute, in dilecto. Quod ita mihi intelligendū uidei, ut subaudiat, ab omnibus. Si enim Christus, ut sepe iam diximus, sapientia est, iustitia, pax, gaudiū, &c. hęc uirtutū uocabula, etiam hi, qui sequi nequeunt diligūt, & nullus tam confessi sceleris est, ut nō sapientiā, & iustitiā amare se dicat, iste est dilectus, quem estimo in Esaia significari: Cantabo dilecto, & uinea facta est dilecto, & in Psalmo. Et dilectus quemadmodum filius unicorñium.

In quo habemus redēptionē. Ille redimitur, qui captiuus est, & in hostiū ueniens potestare, liber esse desiuit, ita & nos quidā dicūt, in hoc mundo esse captiuos, & sub principibus, & potestatibus, iugo seruitutis teneri, nec ante uinctas catenis explicare manus, & oculos sursum ad tollere, nisi redemptor aduenerit Iesus Christus filius Dei, qui proprium sanguinem dedit, & nos deseruitute eripiens, libertate donauit.

Per sanguinem ipsius. Duplīter uero sanguis Christi, & caro intelligitur, uel spiritalis illa atq̄ diuina, de qua ipse dicit: Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Et: Nisi manducaueritis carnē meā, & sanguinē meū biberitis, non habebitis uitam eternam. Vel: Caro & sanguis quę crucifixa est, & qui militis effusus est lancea.

Remissionē peccatorū. Consequēter autē post redēptionē sanguinis Christi, remissionē accepisse scribuntur peccatorū, quia nisi redempti fuerimus, frustra nobis peccata donant, nec ante ueniā accipere possumus nisi precitū pro nobis, cruētus quodā uictor accepterit.

Hierony.

Esaia. 5. Psal. 29.

Ioan. 6. Ioan. 19.

**C** Secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nobis.) Qui intell-  
 githoc, quod dictum est: Gratia estis saluati & non ex operibus, iste scit, quod secundum diui-  
 tias suas, Dei gratia abundet in nobis, maxime in Ecclesia de gentibus congregata. An non est  
 magnitudo gratiarum in Paulo & in ceteris sanctis: de quibus dicitur: Nescitis, quoniam ange-  
 los iudicabimus? Has diuitias gratiarum, ille in se non facit uacuas, qui, quantum ualet huma-  
 na fragilitas, laborat, contendit, & cum Paulo dicit: Gratia eius in me uacua non fuit: qui uero  
 ad deteriora delabitur, in isto, diues gratia Dei, paupertate tenuabitur.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. VLT.

**D**ixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus Petrus, uidit illum dis-  
 cipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœ-  
 na supra pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui te tradet?  
 Hunc ergo cum uidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem  
 Quid? Dicit ei Iesus: Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu  
 me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non mor-  
 ritur. Et non dixit ei Iesus, quia non moritur. Sed si eum uolo manere do-  
 nec ueniam, quid ad te? Hic est discipulus iste, qui testimonium perhibet  
 de his, & scripsit hæc, & scimus quia uerum est testimonium eius.

**D**ixit Iesus Petro: Sequere me.) Postquam enim Dominus Iesus significauit Pe-  
 tro, qua morte clarificaturus esse Deum, protinus adiungit: Sequere me, ac si aperte dicat:  
 Quia ipse prius pro tua redemptione, crucis supplicium subire non timui, quid tu pro mei cõ-  
 fessione nominis crucem pati formidas? qui eo gloriosiore martyrij palma glorificaberis, quo  
 in hac promerenda magistri iter sequeris.

**C**onuersus uidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.)  
 Hinc etenim patet, quia cum dixisset Iesus Petro: Sequere me, surrexit de loco conuiuij, & cœ-  
 nit abire. Secutus est autem eum Petrus, secutus est & ille discipulus, quem diligebat Iesus, Io-  
 annes uidelicet, ipse, qui hoc scripsit Euangelium. Diligebat autem eum Iesus, non exceptis cœ-  
 teris singulariter solum, sed pre ceteris familiaris unum, quem specialis prerogatiua castitatis,  
 ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe diligit, qui omnibus dicit: Sicut dilexit  
 me pater & ego dilexi uos, manete in dilectione mea. Sed hunc pre omnibus diligit, qui uirgo  
 electus ab ipso, uirgo in quum permansit. Tradunt namq; hystorice, quod eum de nuptijs, uo-  
 lentem nubere, uocauerit, & propterea, quem a carnali uoluptate retraxerat, potiore sui amoris  
 dulcedine donauit.

**Q**ui recubuit in cœna super pectus eius.) Quod autem discipulus ille super  
 pectus magistri recubuit, non presentis solummodo dilectionis, sed & futuri signum myste-  
 rij figurabatur. Etenim tunc iam Euangelij, quod idem discipulus erat scripturus, uberius atq; al-  
 tius ceteris sacræ scripturæ paginis archana diuinæ maiestatis esse comprehensurum. Quia  
 enim in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Merito super pectus  
 eius recubuit, quem maiore ceteris sapientiæ & scientiæ singularis munere donat. Ceteros  
 quippe Euangelistas nouimus, plura de miraculis nostri saluatoris, pauciora de diuinitate lo-  
 cutos. Ioannes autem, per pauca de humanis scribentibus actibus, potius se exponendis diuinæ nature  
 indidit archanis, patenter insinuans, quanta de pectore Iesu fluente doctrinæ cœlestis, quæ no-  
 bis erueret, hauserit. Sequitur: Hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu:

**D**omine hic autem quid? Quia beatus Petrus audierat per passionem crucis se  
 clarificaturum esse Deum, uoluit etiam de fratre & cõdiscipulo cognoscere, qua esset ipse mor-  
 te perpetuam transiturus ad uitam.

**D**icit ei Iesus: Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu me  
 sequere.) Non, inquit, eum per passionem martyrij uolo consumari, sed absq; uolentia  
 persecutoris, diem expectare nouissimum, quando ipse ueniens, eum in æternæ beatitudinis  
 mansionem recipiam, & quid hoc ad te? tantum crucis patibulum subeundo, mea te uestigia  
 sequi

**A** sequi debere memento. Non quia, non & ipse multos antea labores pro Domino, pressurasq;  
 malorum tollerauerit, qui & in Actibus Apostolorum, cum ceteris Apostolis flagella-  
 tus inuenitur, quando ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habitus sunt pro  
 nomine Iesu contumeliam pati, & a Domiciano Cæsare, in seruentis olei dolium missus, in Ec-  
 clesiastica narra hystoria, ex quo tamen Diuina se protegente gratia, tam in tactus exierit, quæ  
 fuerat a corruptione concupiscentiæ carnalis extraneus. Nec multo post, ab eodem principe,  
 propter insuperabilem Euangelizandi constantiam, in Pathmos insulam exilio relegatur. Vbi  
 humano licet destitutus solatio, Diuinæ tamen uisionis & allocutionis meruit crebra conso-  
 latione releuari. Deniq; ibidem Apocalypsim, quam ei Dominus de statu Ecclesiæ præsentis, uel  
 futuro reuelauit, manu sua conscripsit. Vnde constat, promissionem sic manendi, donec ueniret  
 Dominus, nõ eõ pertinere, quod sine labore certaminis uicturus in mudo, sed illo potius quod  
 sine dolore passionis transiturus esset è mundo. Sic enim in patrum literis inuenimus, cum  
 longo confectus senio, sciret imminere diem recessus sui, conuocatis discipulis suis, post  
 monita exhortationum, ac missarum celebrationem, ultimum eis uale fecit, deinde descendens,  
 in desolatum sepulchræ suæ locum, facta oratione, positus est ad patres suos, iam liber à dolore  
 mortis, quàm a corruptione carnis inuenitur alienus.

**E** Illud etiam in his duobus Apostolis, Petro & Iohanne, quem non moueat ad quærendum  
 Cur Iohannem plus dilexerit Dominus, cū ipsum Dominum plus dilaxerat Petrus: Vbicunq;  
 enim se cõmemorat Iohannes, ut nomine suo racito ipse possit intelligi, hoc addit, quod eõ dili-  
 gebat Iesus. Porro quod Apostolus Petrus, plus alijs dilexerit Christum, possunt quidem do-  
 cumenta multa proferri, sed ut longe in alia non eamus, in ipsius teritiæ manifestationis Domi-  
 ni, paulo superiore lectione, quæ istam præcedit, satis euidenter apparet, ubi interrogans eum  
 dixit: Diligis me plus his? quod utiq; sciebat, & tamen interrogabat, ut etiam nos, qui legimus  
 Euangelium, amorem Petri ergo Dominum, & in illo interrogante, & in illo respondente noscere  
 mus. Quod autem in eo, quod respondit Petrus: Amo te. Non addidit, plus his, hoc respondit,  
 quod de se ipso sciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur scire poterat, qui cor al-  
 terius uidere non poterat. Sed tamen superioribus uerbis dicendo: Etiam Domine, tu scis, sa-  
 tis & ipse declarauit, scientem Dominum interrogasse, quod interrogauit. Sciebat igitur Domi-  
 nus, non solum quod diligeret, uerum etiam quod plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen si  
 proponamus quærentes, quis duorum sit melior? utrum, qui plus, aut qui minus diligit Chri-  
 stum? Quis dubitabit respondere? eum qui plus diligit, esse meliorem. Item si proponamus,  
 quis duorum sit melior? utrum quem minus, an quem plus diligit Christus? eum, qui plus di-  
 ligitur a Christo, meliorem procul dubio respondebimus. Adgrediar igitur in eius manifesta  
 misericordia, cuius est occulta iusticia, de soluenda quæstione tam ingenti, pro uiribus quas ipse  
 donauerit disputare: Si eum, inquit, uolo manere, id est, sic eum expectare finem conditionis,  
 propriæ, non finem mundi. Quod autem subdit: Donec ueniam, non solū de generali illo, quo  
 resoluendus est mundus, sed etiam de hoc, quo quotidie sanctos suos uisitare dignatur aduentu,  
 accipi potest. Quod uero ait: Diligis me plus his, potest ita, plus, intelligi, ut Iohannem hoc loco,  
 qui specialius dilectus est, a ceteris excipiet. At uero, iuxta mysticum sensum, in Petro actualis  
 uita, in Iohanne contemplatiua significat. In utroq; præsens pariter & futura. Ecclesia autem, cuius  
 Petrus, propter primatum Apostolatus gerebat figuram, clauis regni cœlorum a Christo accepit.  
 In petra, hoc est, potestate soluendi, ligandiq; peccata, quod est enim per proprietatem in Christo  
 Ecclesia, hoc est, per significationem Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus pe-  
 tra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia, quam significabat Petrus, quam diu deger in malis, a-  
 mando & sequendo Christum, liberatur a malis. Magis autem sequitur Christum in eis, qui cer-  
 rant pro ueritate usq; ad mortem, quibus idem Petrus ait: Christus pro nobis passus est, relin-  
 quens nobis exemplum, ut sequamur uestigia eius. Ecce propter quod ei dictum est: Sequere  
 me. Est alia uita immortalis, quæ non est in malis, ubi facie ad faciem uidebimus, quod hic per  
 speculum & in enigmate uidetur. Duas itaq; uitas, sibi diuinitus prædicatas & commendatas  
 nouit Ecclesia. Quarum est una in fide, altera in specie. Vna in peregrinatione, altera in æterni-  
 tate. Vna in labore, altera in requie. Vna in uia, altera in patria. Vna cum hoste pugnat, altera  
 sine hoste regnat. Ergo una bona est, sed adhuc misera. Altera melior & beata. Ista signifiata est  
 per Apostolum Petrum, illa per Iohannem. Ideo dicitur huic: Sequere me. De illo autem: Si eum  
 uolo manere donec ueniam. Ac si dicat: Tu me sequere, per imitationem perferendi temporalia  
 mala. Ille maneat, donec sempiterna uenio redditurus bona. Sic eum uolo manere, id est, expe-  
 ctare, quoniam quod per eum significatur, non utiq; nunc, sed cū uenerit Christus, implebitur.

Hic

1. Cor. 13.

1. Pet. 2.

1. Cor. 13.



Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc.)

Testimonium  
Iohann. Evan.

Hic manifeste beatus Iohannes suam personam designat ex officio, quæ designare uerat ex uocabulo. Perhibuit namque testimonium uerbo Dei predicando, perhibuit scribendo, perhibuit denuo docendo, perhibet etiam nunc pandendo. Si quidem à tempore dominicæ passionis, resurrexerat, & ascensionis in cælesti, & usque ad ultima Domiciani principis tempora, per annos circiter 85, absque ullo scribendi adminiculo uerbum predicabat. At ubi à Domiciano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor exiit, exilio missus est. Irripentes in Ecclesiam heretici, quasi in destituta à pastore ouilia lupi Marcion, Cherintus & Ebion, ceterique Antichristi, qui Christum fuisse ante Mariam negabant, simplicitate fidei, Euangelicæ peruersa maculauerunt doctrina. Sed cum ipse post occisionem Domiciani, permittente pio principe Nerua, rediret Ephesum, compulsi ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de cetera patris diuinitate & Christi altius facere sermonem, eò quod in triu aliorum Euangelistarum scriptis, de humanitate eius sufficienter sibi uideretur habere testimonia. Quod ille se non aliter facturum respondit, nisi indico iesuio, omnes in comune Dominum præparentur, ut illa digna scribere posset. Et hoc ita parato, instructus reuelatione à sancti spiritus gratia ingebriatus, omnes hereticorum tenebras patefecit, & subita ueritatis lucem dispulit: In principio, inquit, erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Similiterque in totum sui sermonis cursum faciens Dominum nostrum Iesum Christum, sicut uerum hominem, uere ex homine temporaliter factum, ita etiam uerum Deum, uere ex Deo patre, & æternaliter natum, uere cum patre & spiritu sancto semper existentem clarissima assertionem perdocuit. Imò omnia diuinæ ueritatis & ueræ diuinitatis, quantum alteri mortalium nulli licuit archana referauit. Et hoc uirgini priuilegium recte seruabatur, ut ad scrutanda uerbi incorruptibilis sacramenta, incorrupto ipse non solum corde, sed & corpore procederet. De cuius dictorum ueritate, quæ sit nemini ambigendum, ipse quoque cura ueritatis ostendit, qui cum dixisset: Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Continuo subiecit & ait: Et scimus quia uerum est testimonium eius. Quia ergo cum ceteris fidelibus scimus, uerum esse testimonium eius, curemus per omnia, ut recta fide intelligendo, recta operatione exercendo que docuit, ad dona perueniamus sempiterna, que promissum per Dominum nostrum Iesum Christum, qui uiuit & regnat cum patre in unitate spiritus sancti, Deus per omnia secula seculorum Amen.

Nota, indico iesuio scribere.

Iohann. Christus Deus est homo.

CONCORDIA. In hoc istarum duarum sit concordia lectio, quia humano de Iohannis actu & nomine, & alia tantum de eius actu faciunt rationabiliter mentionem, qui ab omni contagione immaculatum, cum Dominus ab infantia custoduit eum & sanctum, ideo illi Apostolica apte conuenit, uel maxime ubi ait: Benedictus Deus, qui elegit nos &c.

IN NATALI INNOCENTVM LECTIO LIBRI  
Apocalypsis Iohannis Apostoli. CAP. XIII.



Idi supra montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis, & audiui uocem de caelo, tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitruum magni, & uocem quam audiui, sicut cytharatorum cytharizantium in cytharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei, & ante quatuor animalia & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia, qui empti sunt de terra. Hii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, uirgines enim sunt. Hii sequuntur agnum quocumque ierit. Hii empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, et in ore ipsorum non est inuentum mendacium. Sine mala sunt ante thronum Dei.

Idi supra montem Sion agnum stantem.) Agnus Christus, de quo Iohannes ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Mons Sion, qui speculatio interpretatur, hoc loco Ecclesia intelligitur, super quem Dominus Iesus Christus stare perhibetur, uirtutis & protectionis ei prestans adiutorium & munimen. Nota quod bestia superius in arena maris, agnus in monte Sion stare perhibetur, & cum illo centum 44. milia. Hic est numerus populi Dei, hic finis

A

tus numerus ponitur pro infinito, & sacratus secreti significatione mysterij. Nam ternario numero triplicato sit nouenarius, & quaternario quater ducto sedecim faciunt. Nouies autem decies sexies centum, quadraginta quatuor implentur, quo numero uirginei exanimis mystice infinuata est plenitudo, ut cum de istis tam copiosa dicitur multitudo, de ceteris Ecclesiarum membris non dubitetur.

Habentes nomen eius, & nomen patris &c.) Superius enim dixerat de bestia ascendente de terra, quod faceret omnes pusillos, & magnos diuites, & pauperes liberos, & seruos habere caracterem in dextera manu, & in frontibus suis. Hic autem contrario deseruit Dei, ne iam uehementi persecutionis impetu, uel succubuisse aliquem, uel perisse, infirmus animus estimar, subdit: Habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Quod dicit, nomen, intelligitur agni, & nomen patris eius, intelligitur Dei patris.

Et audiui uocem de caelo.) Id est, Ecclesiam, quæ cælum sepius in diuinis nominatur scripturis. De Ecclesia enim scriptum est: Cælum mihi sedes est. Et de eiusdem Ecclesie predicatoribus scriptum: Cæli enarrant gloriam Dei. Magna uox sanctorum, magna est deuotio charitatis, quam se de caelo audisse refert, cum eos qui uocem ediderunt, in Sion monte stare prædiceret, ut ostendat se montem Sion non aliud quam Ecclesiam dixisse, quæ ad deuincenda grauamina, pressurarum sublimi contemplatione erecta gaudio regis sui, certamina, laude simul & imitatione concelebrat. Hoc est enim ueraciter agno stantem psallere.

Agno stantem psallere.

Tanquam uocem aquarum multarum, & tanquam uocem tonitruum magni.)

Quid per uocem aquarum multarum, nisi uox intelligitur predicatorum? Quid per uocem tonitruum magni, nisi uox Euangelij designatur? Unde & quidam Apostoli filij tonitruum nominantur. Tonitrua enim sunt Euangelia, ubi comminando adiunt: Omnis arbor, qui non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur.

Et uocem quam audiui, sicut cytharatorum, cytharizantium in cytharis suis.)

Quid per uocem cytharizantium, nisi uox consona omnium designatur predicatorum, & una concordia eorum, quæ in mundis cordibus, canticum personat charitatis. Concytharistæ Dei omnes sancti sunt, qui carnem suam crucifigentes cum uicijs & concupiscentijs, laudant eum in Psalterio & cythara: quantum amplius illi, qui Angelicæ priuilegio castitatis, totos se faciunt Domino holocaustum singulariter, abnegantes semetipsos, tollentes crucem suam, sequuntur agnum quocumque ierit.

Gal. 7.

Et cantabant quasi canticum nouum.) Quid per canticum nouum, nisi nouum testamentum, & confessio designatur fidelium, id est, credo Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Dominum nostrum filium eius, & in spiritum sanctum. Hoc enim canticum nouum cantat, qui, ueteri homini deposito, per gratiam baptismatis innouat feliciter. Ille canrus qui mentem purissimam consolatur, qui medullitus delectatur, hoc nouus homo cantare debet canticum nouum non uetus, qui necdum Ad peccata deposuit. Nouus utique cantus est, quia nunquam talem antea mundus audiuit.

Canticum nouum

Nouum.) Quod nulla uetustate sordescat, sed semper in sui dignitatis gratia perseueret.

Ante sedem.) Sedes Ecclesia est perfecta, quæ meruit cælum esse, eò quod sit habitaculum Dei. Sedes sunt saluatoris Domini, quas ille sua maiestate iam possidet, sicut legitur: Sedes sapientiæ anima iusti est.

Et ante quatuor animalia.) Quatuor enim animalia, quatuor designant Euangelia, quæ alio loco plena oculis ante & retro describuntur. Ante, quia de futuro iudicio prædicant.

Retro.) Quia de ueteri Testamento testimonium donant. Quod autem sequitur:

Et seniores.) Illos significat, de quibus superius dixerat.

Et in circuitu sedis sedilia uiginti quatuor milia, & super thronos uiginti quatuor seniores, sedentes amicti uestimentis albis.) Qui siue decalogum duplicatum & quatuor significant Euangelia, siue 12. Apostolos, & 12. Patriarchas, id est, Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, Aaron, Iosue, Isaiam, Hieremiam, Ezechiel, Daniel & David. Et nemo poterat dicere canticum nisi 144. milia, qui empti sunt de terra. Singulariter canticum agno

Sapi. 7.

agno

Cagno cantate, est cum eo in perpetuū præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi ceteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant, qui per eharitatem quidem ex illorum celsitudine læti sunt, quamuis ad eorum premia non adurgunt.

Virgines enim sunt, hij qui sequuntur agnum quocunq; ierit.) Hæc pulchre beatus Augustinus, uirgines admonendo, exposuit: Pergite, inquit, sancti Dei, pueri & puellæ, mares ac foemine, coelibes & innuptæ, pergite perseverando in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis uberius. Separate foelicibus, cui seruitis instantius. Amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando ueniat ad nuptias. Vos assertis ad nuptias agni canticum nouū, quod cantabitis in cytharis, præ ceteris, dilectus agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat. Ipse uos uidit duodecimes duodena milia sanctorum cytharedorum, in libatæ uirginitatis in corpore, in uiolatæ ueritatis in corde. Sequimini agnū, quia & agni caro utiq; uirgo. Sequimini eum uirginitate cordis & carnis, quocunq; ierit. Quid est enim sequi, nisi imitari, quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequeremini uestigia eius.

Hij sunt, qui cum mulieribus nō sunt coinquinati, uirgines enim sunt.) Virgines enim dicit integritate fidei. Sic de uniuersali Ecclesia loquitur Apostolus, dicens: Despōdi uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo, nam & hanc uisionem Thichonius, non de uirginibus specialiter tantum, sed de tota generaliter interpretatur Ecclesia. Hij empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, redempti precioso sanguine Christi, ut Apostolus ait: Empti enim estis precio magno, glorificate & portate Dominum in corpore uestro. Hæ primitiæ de illo sancto & immaculato Ecclesiæ grege, quasi sanctiores, prioresq; hostiæ, pro uoluntatis suæ meritis, à spiritu sancto eliguntur.

Et in ore ipsorum non est inuentū mendaciū.) Non dixit: nō fuit in ore eorū mendaciū, sed non est inuentū. Sicut Apostolus dicit: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis. Et: Iniquitas iniusti non nocebat ei, qua die cōuersus fuerit ab iniquitate sua, & poterit esse uirgo, & dolus in ore eius non inueniri. Virgines enim castos dicit & pudicos. Sine macula sunt antea thronum Dei. Sine macula, hoc est, sine peccato. Tunc enim iusti immaculati sunt, quando indulgentiæ munera consequuntur, sicut Propheta dicit: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Beati ergo immaculati, qui in uitam æternam merentur intrare.

EVANGELIUM MATTHÆI. CAP. I.



Cce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi usq; dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes querat puerum, ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum, & erat ibi usq; ad obitum Herodis, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Aegypto uocauit filium meum. Tunc Herodes uidens quod illulus esset à magis iratus est ualde. Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Berhlem, & in omnibus finibus eis, à bimarū & infra, secundum tempus, quod exquisierat à magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia nō sunt. Defuncto autem Herode: Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & uade in terram Israel. Defuncti sunt enim, qui querebāt animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & uenit in terram Israel. Audiens autem, quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit

A mutie illō ire. Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et ueniens habitauit in ciuitate que uocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus uocabitur.

E Cce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius.) Non dicit tuum puerum, neq; mulieris, sed specialis priuilegio solius pueri nomen ponitur. Sequitur.

Et matrem eius.) Non enim dicit, accipe uxorem, siue cōiugem tuam, sed matrē eius, uerus enim pater eius in cœlis est. Quia Babylon atq; Aegyptus præ omnibus terris principijs ostendit, quia utramq; emendaturus esset, & igne potius fidei succensurus. Adificetur quoq; quod ab ipsis uitæ inihis, ad tentationes debeas atq; insidias præparari. Nam statim ut ortus est, contra eum tyrannus furit, & in Aegyptum fugit, & mater in noxiam barbarorum regionē fugatur, nam non dicitur: Accipe coniugem tuam, sed matrem eius, quia absoluto per signum partu, omnis explosa suspitio est.

Et fuge in Aegyptum, & esto ibi usq; dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum. Possimus quoq; odium Herodis, quo perdere uoluit Iesum, super persecutionibus, que Apostolorū sunt temporibus factæ in Iudæa, specialiter accipere. Quando in ualescente inuidia, prædicatores sunt uerbi pene oēs expulsi de prouincia, & in gentibus prædicaturi, sunt longe lateq; dispersi. Sicq; factum est ut gentilitas, quæ per Aegyptum figurabatur, peccatis ante tenebrosa, lumen uerbi acciperet. Hoc est enim puerum Iesum & matrem eius per Ioseph in Aegyptum transferri, fidē Dominicę incarnationis, & Ecclesiæ societatem, per doctores sanctos Gentibus committi.

Qui cōsurgens accepit puerū & matrem nocte, & recessit in Aegyptū.) Aegyptus tenebræ & mororū interpretatur. Ergo fugit Ioseph cum Maria & puero in Aegyptum, significat Doctores cum lege & nominis Christi prædicatione, ad Gentes, que in tenebris & in nocte infidelitatis erant, transituros.

B Et erat ibi usq; ad obitum Herodis.) Quod dicit: Et erat ibi usq; ad obitum Herodis, quadriennio, ut quidam putant tempore supputato, siue, ut alij uolunt, duobus tantum annis, indicat figurate, fidem Christi in Gentibus mansuram, donec plenitudo earum introeat, & sic omnis Israel saluus fiat. Obitus quippe Herodis, terminum intentionis malitiosæ, qua nunc contra Ecclesiam Iudæa sequit, insinuat.

Ut adimpleretur quod dictū est à Domino, per Prophetam dicentem.) Hoc dicimus in Osea Propheta esse scriptum. Possimus autem loco isto testimonium proferre ex Numeris, dicente Balaam: Deus ex Aegypto uocauit eum. Gloria eius sicut unicornis. Ex Aegypto uocauit filium meum. Quod iterum Iesus uocatur ex Aegypto, significat Iudæos in fine mundi credituros, iuxta illud: Cum intrauerit plenitudo gentium, tum omnis Israel saluus fiet. Potest tamē & secundū allegoriam intelligi. Qui postea quā uenit ad Aegyptum mūdi huius, deduxit eum pater & adsumpsit ad semetipsum, ut uiam faceret his, qui de Aegypto mundi huius ascensuri erant ad Dominum. Tunc Herodes uidens quod illulus esset à Magis, iratus ualde est. Quod dicit: Tunc Herodes, cum iungitur, ubi dicit: Quod Magi per aliam uiam sunt reuersi. Iratus est, manente scilicet prædicta turbatione. Additur, ualde, eo quod à Magis illulus sit. Et mittens occidit omnes pueros. In morte innocentum, preciofa omnium Christi martyrum, est mors designata. Quod enim paruuli occisi sunt, significat per humilitatis meritum, ad martyrii perueniendum gloriam. Et quia nisi conuersus fuerit quis, & effectus sit ut paruulus, non potest animam dare pro Christo. Qui erant in Bethlem, & in omnibus finibus eius. Quod autem in Bethlem & omnibus finibus eius occisi sunt, ostendit non solum in Iudæa, unde Ecclesiæ cepit origo, sed & in omnibus eiusdem Ecclesiæ, quacunq; per orbem diffusa est, persecutionem sæuituram perfidorum, & piorum patientiam coronandam.

Ab imatu & infra secundū tempus quod exquisierat à Magis.) Id est, à puero duorum annorum, usq; ad puerum unius noctis. Secundum Anagogen, qui occisi sunt, cōstrina & operatione perfectos indicat. Qui uero infra simplices uel idiotas, fidei tamē nō sicut constantia fortes & que denuntiat. Quod illi quidem occisi sunt, sed Christus, qui querebatur, uiuēs euasit, insinuat corpora quidem martyrum ab impijs posse perimi, sed Christū, pro quo perfectu

Doctrina.

Quid sit mystice Iesum in Aegyptum fuisse.

Quadrimum Biennium.

Osea. 11. Num. 23. Rom. 11.

Mors innocentium martyrum mortem designat.





**C**ur in Sion. Tantū in sinu Abraham, post mortem, beata requie consolati, superne pacis ingressum, spe felices, expectabant. Qui enim nunc per Euangelium suum terribiliter, ac salubriter clamant: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ipse rum per legem suam clamabat: Masculus cuius preputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit, id est, quia pactum uitæ, in paradyso hominibus à me datum, Adam pruaricante, transgressus est, in quo omnes peccauerunt, peribit de cœtu sanctorum, si non ei fuerit remedio salutari subuentum.

1041. 3.  
Exod. 13.  
Leuit. 12.

**Beda.** Vocatū est nomen eius, Iesus &c.) In hoc, quod in die circumcissionis sue nomen ut Iesus uocaret, accepit, ad imitationem priscorum fecit, sicut Abraham Patriarcha, qui primus circumcissionis sacramentum & promissionis testimonium accepit, & eodem die amplificationem nominis simul cum sua coniuge promeruit, ut qui eatenus Abram, id est, pater excelsus, deinde Abraham, id est, pater multarum gentium uocaretur.

**Hiero.** Sed & Sarai uxor tua, inquit Dominus ad Abraham, non uocabitur Sarai, sed Sara. Errant qui putant primum Saram per unum. R. Scriptum fuisse, & postea alterum. R. Additum, Sarai primum uocata est per שָׂרָי. Sublato ergo, id est, i elemento addita est אָ לִי טָרָה, quæ per A legitur, & uocata est שָׂרָה, Saraa. Causa autem ita nominis inmutati, hæc est, quod antea dicebatur princeps mea, unius scilicet tantummodo domus materfamilias, postea uero dicitur absolute princeps, id est, ἡγετοῦσα.

**Beda.** Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moyse tulerunt illum in Hierusalem, ut listerent illum Domino.) Decretum quidem legis erat paruulum post tricesimum tertium circumcissionis diem ad templum Domini deferri, dantem hostiam pro eo: primogenitum autem masculum sanctum Domino fieri, mystice, sicut diximus, insinuans, neminem nisi circumcisum uicij, dominicis dignū esse cōspectibus: neminem, nisi mortalitatis nexibus absolutum, supernæ ciuitatis gaudia perfecte posse subire. Verum si legis ipsius uerba diligentius inspexeris, profecto reperies, quia non solum Dominus incarnatus, quantum à peccati contagione, tantum à conditione legis fuerit liber, quàm ob hoc magis suscipere dignatus est, ut eam sanctā, iustam, ac bonam esse probaret, & nos ab eius seruitute actimore fidei gratia liberaret, sed etiam ipsa Dei genitrix, sicut ab admixtione uirilī, sic et à legali sit iure immunis. Dicit enim Moyse: Mulier si suscepto semine pepererit masculū, immunda erit septē diebus, iuxta dies, separationis menstruæ, & die octauo circuncidē infantulus. Ipsa uero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Nota ergo, quod non omnis mulier pariens, sed ea quæ suscepto semine pepererit, designatur immunda, ritūque legis docetur esse mundanda, ad distinctionem uidelicet illius, quæ uirgo concepit, & peperit filium. Et uocauit nomen eius אֱלֹהֵינוּ, quod est interpretatū, nobiscum Deus. Non ergo filius qui cum homine Deus est, non mater, quæ spiritu sancto operante peperit, uictimis hostiarum, quibus purgaretur, indigebat, sed ut nos à legis uinculo solueremur, sicut Dominus Christus, ita & beata semper uirgo Maria legi est sponte subiecta.

**D.**  
Leuit. 12.

Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculum adaperiens uulnam, sanctum Domino uocabitur.) Quod dicit, omne masculum adaperiens uulnā, & hominis & pecoris primogenitum significat, quod utrumque sanctum Domino uocari, atque ideo sacerdotis esse, præceptum est. Ita duntaxat, ut pro hominis primogenito præcium acciperet, & omne animal immundum redimi faceret, cuius inquit redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, ubi saluo subtiliore tractatu breuiter intmandum, quod illa omnia primogenita, uel figura fuerint eius, qui cum unigenitus esset Dei filius primogenitus fieri dignatus est omnis creaturæ, & uere & singulariter sanctus Domino, quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, uel certe nostræ fuerit deuotionis indicium, qui omnia bonæ actionis initia, quæ quasi corde gignimus, Domini gratia deputare. Male autem gesta redimere debearmus, dignos uidelicet poenitentia fructus, pro singulis quinque corporis uel animæ sensibus offerentes. Itaque quod ait: Adaperiens uulnam, consueque natiuitatis more loquitur, non quod Dominus noster sacri uentris hospitium, quod ingressus, sanctificauit, egressus de uirginasse credendus sit, iuxta Hereticos, qui dicunt: Bearam Mariam uirginem

**A.** uirginem usque ad partum, non uirginem esse post partum, sed iuxta fidem Catholicam, clauso uirginis utero, quasi sponsus suo processit de thalomo, de quo pulchre Propheta: Et conuerui me, inquit, ad uiam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem, & erat clausa, & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & uir non transeat per eam. Quonia Dominus Deus Israël ingressus per eam, eritque clausa, Principum Princeps in ea sedebit, comedat panem coram Domino. Quamuis possit etiam mystice designari, nullum præter Dominum Ecclesiæ uirginis uterum per aquam & spiritum sanctum ad regenerandum Deo filios posse referare, ideoque hunc masculum, incomparabili dignitate Domino sanctum uocari.

Ezech. 17

**B.** Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.) Dicitur est in lege, ut pro infante, si masculus sit, ut prædixi, quadragesimo, si foemina octogesimo die natiuitatis, agnus agniculus inmaculatus in holocaustum, & turtur, siue pullus columbinus offereretur pro peccato: Si autem non inuenerit, inquit, manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, uel duos pullos columbæ, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. Dominus ergo Iesus Christus cum diues esset, pauper factus pro nobis, pauperem pro se hostiam uoluit dari, ut uidelicet, una sua paupertate nos diuites in fide & illic faceret hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Moraliter autem, siue fortia quis opera, seu creauerit infirma, quæ masculi ac foeminae uocabulo distinguntur, ut hæc legitime Domino ualeant consecrari. Quem necesse est innocentia, & turturum pariter, siue columbam conpunctionis offerat, quia enim uolucres hæc pro cantu gemitus habent. Non immerito lachrymas humilium designat. Et bene duos, unum pro peccato, & alterum in holocaustum. Holocaustum namque totū incensum dicitur. Quia nimirum duo sunt genera conpunctionis, Deum namque sitiens anima, prius timore conpungitur post amorem. Qui ergo prius flendo, ne duceretur ad supplicium, turturum pro peccato offerrebat, de altero facit holocaustum, cum postmodum flere amarissime incipit, quia disfertur à regno Hoc sane inter turtures & columbas distat, quod columba quæ gregatim conuerfari, uolare & gemere consueuerit, actiue uitæ frequentia demonstrat. De qua dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor unū, & anima una. Turtur uero, qui singularitate gaudet adeo, ut si coniugem casu perdidit, solus exinde permaneat, speculatiue uitæ culmina denuntiat, quia & paucorum est ista uirtus, & his singulariter attributa. Item cum intrans cubiculum clauso hostio oro, patrem in abscondito, turtur offero. At cum eiusdem operis copares quæro, canendo cum Propheta: Venite adoremus, & procidamus autem Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad altare deporto.

Columba, typus adiuue uite.  
A. 4.  
Turtur, typus cōtemplatiue uite.

**Beda.** Ecce homo in Hierusalem, cui nomen Symeon.) Non solum ab angelis & Prophetis, sed etiam à Senioribus, & reliquis iustis, generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas & uterque sexus, euentorum miracula fidem adstruunt, uirgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, magus adorat, utero clauso exultat, uirgine conuictetur, iustus expectat.

Et homo iste iustus & timoratus expectans consolationem Israël, & spiritus sanctus erat in eo.) Bene iustus & timoratus dicitur, quia difficile iustitia sine timore custoditur. Bene iustus, quia non suam, sed populi gratiam requirebat, cupiens ipse corpore uinculis fragilitatis absolui, sed expectans uidere promissum. Sciebat enim, quia beati oculi, qui uiderent, sed donec ueniret ille nolebat ire.

Et responsum acceperat à spiritu sancto non uisurum se mortem nisi prius uideret Christum Domini.) Vide locutiones scripturarum. Mortem uidere dicit: Quomodo uidet, quibusue oculis, quæ ueniendo ipsos oculos claudit, sed uidere mortem, experiri significat. Nam & nos conuersionem habendo in cœlesti Hierusalem, templi Domini limina frequentando, hoc est, pia sanctorum, in quibus inhabitat, exempla sectando, merebuntur uerbum Domini in manibus accipere, & fidei charitatisque brachijs amplecti.

Locutiones scripturarum. Videre mortem

Et uenit in spiritu in templum.) Quod autem ait: Venit in spiritu, significat eum, eadem gratia spiritus, qua olim uenturum præcognouerat, & iam nunc uenientem, iamque à se uidentem cognouisse saluatorem.



**C** Et cum iducerent puerum Iesum parentes eius, ut facerent secundum consuetudinem Legis, & ipse accepit eum in ulnas suas.) Tropice accipit Symeon Christum, ueteranus infantem, ut doceat nos exuere ueterem hominem, qui corrumpitur cum actibus eius, & renouatos spiritu mentis nostrae, induere eum qui secundum Dominum creatus est, in iusticia & sanctitate & ueritate. Accipit senior infantem Christum, ut insinuet, hoc scilicet, quasi senio iam & longaeuio grate defessum, ad innocentiam, & ut ita dixerim, infantiam Christianae conuersationis rediturum, & sicut aquilae iuuentutem illius esse renouandam.

Et benedixit Dominum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum uerbum tuum in pace.) Impletum est desiderium senis, mundi ipsi us senectute uergente, ipse ad senem hominem uenit, qui mundum ueterem inuenit. Audiat mundus: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra, Desituatur uetus, nouitas surgat.

Quia uiderunt oculi mei salutare tuum, quod paraisti ante faciem omnium populorum.) Beati oculi qui uident, quae Symeon uidit, beati qui non uiderunt & crediderunt. Illud ipsum, inquit, quod omnibus prope modum Gentibus populis & linguis merito ac fide conspicendum, paraisti, spe ac dilectione quaerendum prauidisti, ipse diu desideratum, nunc & carnis & cordis oculis tuum salutare contemplantur.

Lumen ad reuelationem Gentium & gloriam plebis tuae Israel.) Lumen quidem, utriusque populo salutare dicit, id est, Christus a Deo patre paratur, qui tamen gloriam magis Israel, cui diu speratur, & ex quo praenunciatur, aduenit. Gentium uero dicitur esse reuelatio, quarum mentis oculos profunda iam caecitate dimotos, neque ulla spe aduentum Domini erectos, ipse uisitare pariter, reuelare, atque illustrare dignatus est. Et bene reuelatio Gentium Israelis gloriae praefertur, quia cum plenitudo Gentium introierit, nunc omnis Israel saluus fiet. **CONCORDIA.** In hoc istarum duarum sit concordia dilectionum, quia ambae de participatione Domini, quae primum facta est loquitur in templo.

**D** DOMINICA I. POST NATALEM DOMINI,  
Epistola Pauli ad Galatas Cap. III.



Quanto tempore haeres paruulus est, nihil differt a seruo suo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad praesinitum tempus a patre. Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus, seruientes. At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum Dei reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda uestra clamantem: Abba pater. Itaque iam non est seruus, sed filius, quod si filius & haeres per Deum.

Quanto tempore haeres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad praesinitum tempus a patre.) Secundum acceptam comparationem disputationis producit eloquium. Hic seruum uocat Iudaicum populum, qui legis literae sub carnali obseruantia seruiebat, in fide paruulus, & a sensu doctrinae spiritualis alienus, cum Dominus diuinae agnitionis thesauros atque diuitias Gentibus, seruituti daemorum subiacentibus, contulisset. Gentiles enim, qui natura substantiam infidelitatis consumpserant, egeni & pauperes erant. Hic autem principes & sacerdotes, tutores & actores appellat, qui super plebem exercere uidebantur dominatum. Quod autem dicit:

Usque ad praesinitum tempus a patre.) Illud tempus intellige, quo pater uita excedens, filium tutoribus & actoribus prouida ordinatione committit. Iuxta quam comparationem unigeniti pater legi tempus usque ad aduentum filij praesinituit.

Ita &

**A** Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.)

Id est, obseruationes dierum & temporum, quas sub hac causa, ne per otium ad idola euagaremur, accepimus. Si enim & Iudaei erant elementis seruientes, quid differant à Paganis? Paganos elementa colere, omnibus notum est, Iudaeos autem non elementis, sed sub elementis Domino seruuisse, propter neomaximas, & sabbatha, & circumcisiones, & caetera talia. Haec enim carnalia sunt. Quicquid enim uisibile est, carnale est, & de elementis est. Ex ea igitur parte, qua supra diximus, sub elementis seruiebant Iudaei. Ex alia parte legem habebant spiritalem, quae & peccare prohibet, & exhortatur ad dilectionem Domini Dei, qui uenturus eis fuerat promissus, ad remittenda peccata.

At ubi uenit plenitudo temporis, misit Dominus filium suum.) Id est, quando iam per consuetudinem transgressionum, legem uix pauci poterant custodire. Vel certe plenitudo temporum intelligenda est, quando florente populis mundo, opportunum ac salubre Domino uisum est, remedia salutis gentibus exhibere, quae iam competenter possit sexti saeculi aetas natura suscipere. Plenitudo ergo temporis, aetas mundi senescentis ex uenia intelligi potest, in qua ei ita commissa & credita est ueritatis agnitio, sicut profecto annis filio, recte profundarum rerum creditur institutio, & sane praeterita secula, quae in primo parente nostro terra sub infernali ergastulo tenebantur, Longa indigebant dilatione, ut iam multis temporibus expiatione Christi liberarentur aduentu.

Factum ex muliere.) Mulier, non corruptionem, sed sexum significat. Denique **E**ua statim ut facta est, mulier appellatur, Et ipse Dominus ad matrem. Quid mihi & tibi, inquit, est mulier. In eo autem quod dicit: Ex muliere, monstrat, non more solito ex conuento uiri & foeminae, sed per spiritum sanctum ex matre tantum, Christum incarnationem hominis suscepisse. Nam idem Apostolus ad Corinthios ait: Sicut mulier ex uiro, ita & uir per mulierem. Unde sicut in principio generationis, mulier ex uiro sumpta est, ita & Christus secundum carnem ex matre tantum est. Prima hominis conditio, quia primus homo non est natus, sed factus. Secunda, de latere uiri. Tertia, ex uiro & foemina. Quarta, Dei & hominis sine uiro de foemina. Iam erat una, sine uiro & foemina. Altera de uiro sine foemina. Tertia, de uiro & foemina. Restabat quarta sine uiro de foemina. Sed ista quarta liberauit tres, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Ipse enim sub lege tam diu fuit, donec baptizatus Noui Testamenti inciperet Euangelionem praedicare: Qui si sub lege factus non esset, non facile Iudaeos ad obedientiam prouocare potuisset. Promptius autem, suae legis & sui generis uidebatur, audire posse doctorem, sicut de se Apostolus dicit: Factus sum Iudaeus tanquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer. His qui sub lege erant, tanquam essem sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrificarem. Gentes autem poterat alienas a lege saluare, etiam si sub lege non fuisset positus.

Ut adoptionem filiorum reciperemus.) Id est, non facile nos natura Iudaei uocationem illius recipissemus, si factus sub lege non esset. Promptius fuit, ut ad uitam legis filios inuitaret legis assessor.

Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus filium suum in corda nostra.) Probat nos pater, adoptionis suae filios, quando super nos spiritum filij sui miserat, corditer infundit & dignanter ut ipsa communicatio paracliti, qui ex utroque procedit, haereditas nos pariter & filij assereret coheredes. In qua sententia trinitatem euidenter explicuit.

Clamantem abba pater.) Id est, qui cordibus nostris Deum, patrem esse nostrum, occulta inspiratione clamaret.

Itaque iam non est seruus sed filius.) Id est, cur uis seruus fieri, qui accipiens spiritum filij, filius & haeres effectus es. Ex hoc enim nos probat omnes in uno spiritu unum esse Dei filium, totus enim Christianus populus, in uno Dei filio credens, & unum Christi corpus effectus, unus rite uocatur & filius.

Quod si filius & haeres per Deum.) Non per meritum nec naturam, sed per gratiae spiritum, de quo in epistola ad Romanos ait: Ipse enim spiritus testimonium reddit

Docemur.

Gentium reuelatio.

Seruus.

Gen. 32.  
104m. 2.

1. Cor. 15.

Quoniam hominis conditio.

Rom. 8.

**C** reddit spiritus nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij & heredes, heredes quidem Dei coheredes autem Christi.

Rom. 8.

EVANGELIUM LUCAE  
CAP. II.



**M**arat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super hijs, qui dicebantur de illo. Et benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Et in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel, de tribu Affer, haec processerat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septem a uirginitate sua. Et haec uidua erat usque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et haec ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilaeam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.

**D** **E**Rat Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quae dicebantur de illo.) Hic Mariam figuram Synagogae tenet, Ioseph autem figuram legis. Patrem Saluatoris appellat Ioseph, non quod uere, iuxta Fotinianos, pater fuerit eius, sed quo ad famam Mariae conseruandam, pater sit ab omnibus estimatus. Quamuis & eo modo pater illius ualeat dici, quo & uir Mariae recte intelligitur, sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugit, multo uidelicet coniunctius, quam si esset aliunde adoptatus.

**Beda** Et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam.) Quomodo autem in ruinam, nisi quia & lapis offensionis est, & petra scandali, id est, ruina his, qui offendunt uerbo, nec credunt, de quibus ipse dicit: Si non uenissem & locutus eis fuisset, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. **Aliter.**

**Hiero.** Aliquid in me quod male stabat, cadat, patiatur ruinam, ut surgat in melius, peccati superbia se erexerat, cadat. Antequam crederem, bonum in me iacebat, malum stabat. Postquam ille uenit, quod in me malum fuit, corruit: fornicationis, immunditiae, luxuriae, idololatriae, ceterarumque pestium utilis ruina facta est. Haec est ruina ad quam primum uenit Iesus destruere, ut illa destructa & mortificata consurgant & edificentur in me omnia bona. Videndum est itaque, ne forte Saluator noster alijs atque alijs in ruinam uenerit, & in resurrectionem, sed ipsidem & in ruinam & in resurrectionem uenerit. Me oportet primum cadere, & cum cecidero, postea bene resurgere, ne saluator causa mihi fuerit malae ruinae, sed propterea cadere me fecit, ut consurgam. Et multo mihi ruina utilis fuerit, quam illud tempus, quo uidebar stare, stabam enim peccato, & quia peccato stabam, prima mihi utilitas fuit, ut caderem & peccato morerer. Iniquus eras, cadat in te iniquus. Diligebas scorta primum, inter scortator intereat. Peccator eras, cadat in te peccator, ut possis de hinc resurgere & dicere: Si commortui sumus, & conuiuimus: & si conformes facti sumus mortis, conformes & resurrectionis erimus.

2. Tim. 2.  
Rom. 5.

**Beda.** Et in resurrectionem multorum in Israel.) Bene in resurrectionem, quia lumen est, quia gloria plebis Israel, quia dicit: Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit uiuet.

**Ambro.** Duae resurrectiones, una prima, quae nunc est & animarum est, quae uenire non permittit in morte. Secunda, de qua Dominus ait: Venit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent. Qui audierint dixit, qui obedierint, qui crediderint, et usque in finem per-

Ioan. 5.

**A** perseverauerint. Alia secunda, quae nunc est, sed in seculi sine futura est, nec animarum, sed corporum est. quae per ultimum iudicium, alios mitti in secundam mortem, alios in eam uitam, quae non habet mortem.

Et in signum, cui contradicetur.) Scribis uidelicet & Phariseis, Hereticis, & Paganis. Signum autem, cui contradicetur, fidei Dominice crucis accipe, de qua Apostolo Paulo dicitur Iudaei: Nam de secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicetur. Nos quippe omnes scimus, uera esse quae de saluatore scripta sunt, sed apud incredulos & haeticos uniuersa, quae de eo scripta sunt, signum sunt, cui contradicetur. Virgo mater, signum est, cui contradicunt Marcionitae. Habuit corpus humanum, & hoc signum est, cui contradicetur. Resurrexit a mortuis, & hoc signum est, cui contradicetur. Et quid necesse est multa persequi. Omnia quae de eo scripta sunt, signum est, cui contradicetur ab incredulis & haeticis.

Asto. 28.  
Hiero.

Et tuam ipsius animam pertransierit gladius.) Necliteta, nec historia docet ex hac uita Mariam corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur. Et ideo prudentiam haud ignara mysterij coelestis ostendit. Viuum est enim uerbum Dei & ualidum & acutum & omni gladio acutissimo, penetrans usque ad diuisionem animae & spiritus, artuumque & medullarum, cogitationes cordis & secreta scrutatur animorum.

**Aliter.** Tribulationem igitur & dolorem Dominicae passionis, gladij nomine signatum esse, credibile est, quo materna anima uulnerata est doloris affectu, & usque hodie, & usque ad consummationem seculi, praesentis Ecclesiae animam gladius durissime tribulationis pertransire non cessat, cum signo fidei, ab improbis contradicenti, cum audito Dei uerbo multos cum Christo resurgere, sed plures a credulitate ruere, gemebunda pertractat.

Ambr.

August.

Et reuelentur ex multis cordibus cogitationes.) Quod dicit: Ut denudentur multorum cordium cogitationes, hoc intelligendum puto, quia per Domini passionem & infirmitate Iudaeorum & discipulorum infirmitas patuit.

August.

**B** Incertum erat quondam, qui Iudaeorum gratiam Christi, quam uenturam utique nouerant, recipere mallet. Hac enim natiuitate audita, reuelatis mox cordium cogitationibus, Herodes Rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, pastores cum timore & gaudio Deo laudem resonant, hominibus pacis nuncium pandunt, eius doctrina & uirtute diffamata, alij ad eum quasi magistrum ueritatis confluunt, alij ab eo quasi seductore refugiunt. Eius signo crucis erecto, hi quasi iuste morti datum, blasphemantes inrident: Illi quasi uitae autorem mori acriter dolent.

Beda.

B

Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Affer.) Arridet autem Ecclesiae mysterijs, quod Anna & gratia eius interpretatur, & filia est Phanuel, qui facies Dei dicitur. Cum Psalmographo decantans: Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. Et de tribu Affer, hoc est, beati, descendit, qui inter Patriarchas duodecim, ordine nascendi, est octauus, de quo numero, quia Nouo Testamento sit sacer, crebrius est inculcatum.

Beda.

Psal. 4.

Nam Anna gratia eius interpretatur, tenens figuram Prophetarum. Sed & Phanuel pater eius, facies Dei interpretatur. Affer beatus. Affer beatus erit figuram populi credentium tenens, sed uel pinguedinem panis interpretatur, qui de caelo descendit.

Ambro.

Haec processerat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septem a uirginitate sua.) Annis septem, id est, synagoga cum heptatico uel postea per septem dona spiritus sancti, a uirginitate sua, quia cum uiro suo septem annis fuit.

Et haec uidua, usque ad annos octoginta quatuor.) Iuxta intellectum uero mysticum, quia Ecclesiam significat, quae in praesenti quasi sponsa Domini sui est morte uidua. Numerus etiam annorum uirginitatis eius, tempus Ecclesiae designat, septies quippe duodeni octoginta quatuor faciunt, & septem quidem ad huius seculi cursum, qui diebus septem uiuunt. Duodecim uero ad perfectionem doctrinae Apostolicae pertinet, ideoque, siue uniuersalis Ecclesia, seu quaelibet anima fidelis, quae totum uitae suae tempus, Apostolicis mancipare curat institutis, quasi septem per 12. multiplicare, & typicis octoginta quatuor annis Domino seruire laudat. Sicut etiam tempus septem annorum, quo cum uiro suo manserat, Dominicae incarnationis tempore decentissime congruit. Septenario namque, ut dixi, numero perfectio solet temporis indicari, sed ibi propter Dominicae priuilegium maiestatis, quo in carne uersatus, docui sim-

Beda.

plex

Cplex. Septem annorum est numerus expressus, hic ob Apostolicę culmen dignitatis septem anni, per duodecim multiplicantur.

Amb. Quæ nõ discedebat de templo ieiunij & obsecrationibus seruiens nõ est ac die.) Multorum enim annorum uidua fuit, & talis uidua, qualem describit Apostolus: Non in delicijs uiuens, ne uiua moriatur, sed persistens in orationibus nocte & die. Orãdo ergo & multos annos supplicando humiliter, uidere meruit humilem, quem adorabat ex-celsum.

Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.) Prophetauit Simeon, Prophetauerat copulata coniugio, Prophetauerat uirgo, debuit etiam uidua, ne qua aut professio deesset, aut sexus, & ideo Anna, & stipendijs uiduitatis, & moribus talis inducitur, ut digna planè fuisse credatur, quæ redemptorem omnium uenisse nunciaret.

Beda: Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam ciuitatem suam Nazareth. Prætermisit hoc loco Lucas, quæ à Mattheo satis exposita, nouerat Dominum uidelicet post hæc, ne ab Herode necandus inueniretur, Aegyptum à parentibus esse delatum, de functione Herodes sic demum Galilæam reuersum Nazareth, ciuitatem suam in habitare cœpisse.

Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.) Noranda distinctio uerborum, quia Dominus Iesus Christus in eo, quod puer erat, id est, habitum humanæ fragilitatis induerat, crescere & confortari habebat. In eo uero, quod etiam uerbum Dei, & Deus æternus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Vnde rectissime, plenus sapientia perhibetur & gratia: Sapientia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Gratia autem, quia eidem mediatori Dei & hominum, homini Iesu Christo magna gratia donatum est, ut ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset & Deus. Hoc hominum natura non recipit, ut ante duodecim annos sapientia compleatur, quomodo omnia in illo mirabilia fuerunt, ita pueritia mirabilis fuit, ut Dei sapientia completeretur.

CONCORDIA. Harum duarum, & in matre, & in lege fit concordia lectionum in matre, quia Apostolus dicit: Natum ex muliere. Euangelium dicit: Dixit ad Mariam matrem eius. In lege, quia Apostolus dicit: Factum sub lege. Euangelij dicit: Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini. Legales enim legaliter pro illo oblatæ sunt cœrimonie.

IN DIE THEOPHANIAE LECTIO ISAIÆ  
Prophetæ. Cap. LX.



Vrge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebrę operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui, leua in circũtu oculos tuos & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi. Filij tui de longe uenient, & filij tuę de latere surgent. Tunc uidebis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quãdo conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi. Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi.

Hiero.

S Vrge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum.) Ecclesię dicitur, quę primum de Iudaico populo congregata est, & lumen, quod super eam ortum fuerat, per Apostolos transfusi ad gentes, cui dicitur: Surge illuminare, ut quæ cecidit in incredulis, surgat in fidelibus; quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesijs. Venit enim lumen tuum, quod tibi omnes

A omnes Prophetæ pollicebantur, quod iugiter expectabas.

Et gloria Domini super te orta est.) Ideo gloria Domini, quæ quondam fuerit super tabernaculum & templum eius, super te orta est. De qua dictũ est: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Psal. 89.

Quia ecce tenebrę operient terram.) Id est, qui terrena sapiunt.

Et caligo populos.) Siue ut in Hębraico legit, אַחֲרַיִתִּי tribus quod proprie refert ad Super te autem orietur Dominus.) Id est, sol iustitię Christus. (Iudeos.

Et gloria eius in te uidebitur.) De qua scriptum est: Et uidimus gloriam eius, Ioh. 1. quasi gloriam unigeniti à patre plenum gratiæ & ueritatis.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo.) Nos omnes ambulamus in Apostolorum lumine, quæ lucet in mundo, & tenebrę eam non comprehenderunt.

Et reges in splendore ortus tui.) Quando primum in Christo natus es, quod & spiritaliter impletur, & carnaliter, ut reges quorum cor in manu Domini est, & quibus non regnat peccatum, in mortali corpore ambulent, in splendore nascentis Ecclesię, siue in eo qui ortus est in Ecclesia, & ueri Regis Christi fidei colla submittant, quod quotidie uidemus impleri, quando idololatrię errore sublato, ad fidem Christi Romani principes transeunt.

Leua in circũtu oculos tuos & uide, omnes isti congregati sunt, uenerunt tibi.) Hęc dicitur ad Ecclesiam, quę primum ad Apostolos congregata est in Sion, de quibus & in Apostolorum actibus legimus, quod de uniuerso orbe terrarum uiri religiosi fuerint in Hierusalem, qui suscipere sermonem Dei, & linguis suarum alienarumq; gentium, uel audirent loquentes alios, uel ipsi loquerentur ad cæteros. Acto. 2.

Filij tui de longe uenient.) Nos autem simus filij, qui de longe uenimus ad Dominum, peregrini quondam à Testamento Dei, & repromissionibus eius, sed quid dicit Apostolus: Vos qui eratis aliquando longe, facti estis prope. 1. Pet. 2.

B Et filia tuæ lac sugent.) Quod dicit, filia tuę lac sugent, significat, quod animæ in Christo lactantes, & in baptisate paruulorum, (De quibus & Petrus loquitur: Quasi modo paruuli, rationales & absq; dolo, lac desyderate.) Sugunt lac Apostolorum, quibus paruulis atq; lactantibus, loquebat, & Paulus: Filij, quos iterum parturio, donec Christus formet in uobis. Gal. 4.

Tunc uidebis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quãdo conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium uenerit tibi.) Cum eleua ueris oculos tuos, filiosq; prospexeris uenire. Tunc gaudebis & in modum fluiuiorum, aquis subitis inundaberis, & mirabitur ac stupebit, imo dilatabitur cor tuum. Audientes Apostolum: Dilatamini & uos, ne angustia pectoris, non possitis habere habitorem Christum, qui dicit in Euangelio: Ego & pater ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. 2. Corin. 6.

Inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino adnunciantes.)

Post diuitias maris & fortitudinem gentium, gregesq; Camelorum & Dromedarij Madian & Epha, promittuntur Hierusalem, qui omnes ueniunt de Saba, portantes aurum & thus, & quod his maius est, adnunciantes Domini salutem. Madian & Epha regiones sunt trans Arabiã, fertiles Camelorum, omninq; prouincia appellatur Saba. Vnde fuit & Saba Regina, quæ uenit sapientiam audire Salomonis, & ipsa deferens aurum & thus. Math. 12.

Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi.)

Cedar aut regio Saracenorum est, Nabaioth, unus est filiorum Hismahel, ex quorum nominibus solitudo appellat, quę frugum inops, pecorum plena est, per familiaria ergo nomina, Gentium Barbararum quę uicinę sunt Israeli, totius mundi conuersio predicat. Madian quippe, in hoc loco interpretatur iniquitas. Epha resolutus siue effundens. Saba conuersio uel captiuitas. Cedar tenebrę uel mœror. Nabaioth prophetiæ. Greges igitur Camelorum iniquitatis uinculis resoluti, & animas suas effundentes Deo, operient Hierusalẽ muneribus, & omnes de captiuitate uenient, & conuersiones ueritatis fidei deferentes, & thus sacrificij, & per hæc munera nequaquę propria salute contenti, proficient, ut etiam ceteris predicent salutem Dei, habentes in muneribus principalia, aurum sensum & thus odoris optimi atq; dicentis. Dirigatur oratio mea sicut in-

Psal. 141.  
d censum



**C**ensum in conspectu tuo, & Christi bonus odor sumus, in omni loco, aritesq; Prophetarum. De quibus in uicesimo octauo Psalmo canitur: Adferre Domino filij Dei, adferre Domino filio os arictu, uenient & offerent se sacrificium Domino, & placabiles hostia fiant, ut Christi glorificet Ecclesia. De huiusmodi ouibus saluator discipulis loquebat: Ite ad oues perditas domus Israel. Proprie super his intelligit, qui de gētibz electi in sacerdotiū ministri sunt saluatoris

2. Corin. 2.  
Psal. 28.  
Mat. 10.

## EVANGELIUM SECVNDVM MATHEVM. CAP. II.



**M** natus esset Iesus in Bethleē Iudę in diebus Herodis Regis. Ecce Magi ab Oriente uenerunt Hierosolimam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudęorū? Vidimus stellā eius in oriente, & uenimus adorare eum. Audiens autē Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolima cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotū, & scribas populi sciscitabat ab eis, ubi Christus nasceret. At illi dixerūt ei: In Bethleem Iudę. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquā minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tum Herodes clam uocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellę quę apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate de puero diligenter, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eū. Qui cū audissent Regem, abierūt. Et ecce stella quam uiderant in oriente, antecedebat eos, usq; dum ueniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Mariā matre eius. Et procidentes, adorauerunt eum. Et aperitis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrram. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam.

**D** CVM natus esset Iesus in Bethleem Iudę. Pulchre autem dicitur Bethleem Iudę ad distinctionem eius Bethleem quę in Galilęa sita est, sicut in Iesu uolumine reperiri potest. Est enim Bethleē ciuitas Dauid, quę mūdi genuit saluatore, quę prius Ephrata uocata est, cui Iacob postea, quando ibi pecora sua pascit, Bethleem nomen, quodam uaticinio futuri impofuit, quod domus panis interpretatur, propter eū panem, qui ibi de cęlo descendit.

Ios. 19.

In dieb. Herodis Regis. Hic Herodes antipatris Aſcalonitidis. Matris uero Cypridis Arabicę filius fuit, qui morbo iter cutis aque, scātētibz toto corpore uermibus tricesimo septimo regni sui anno mortuus est, sub huius filio Herode, Christus passus est. Nam & ideo Reges & duces Iudę istius tēporis alienigenę referunt, quia p̄dicitū fuerat: Nō deficiet princeps de Iuda, nec dux de femore eius donec ueniat, cui repromissum est, & ipse erit expectatio Gentū.

Gen. 49.

Ecce Magi ab Oriente uenerunt. Igitur dum oriens est, qui quæritur. Ideo enim ab oriente indicatur, quia ipse ad semetipsum nos ducit.

Isa. 2.

Hierosolimam, dicentes. Ideo Hierosolimam uenerunt, quia de Sion exhibit lex & uerbum Domini de Hierusalem. Siue ut Iudęi ignorantes Christi natiuitatem sibi proximā à Magis de longe uenientibus, culpantur. Nam & propterea, ut sacerdotes à Magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent, de aduentu eius. Iudęi enim asserunt. Sem filium Noe quem dicunt Melchisedech, primum post diluuium in Syria condidisse urbem Salem, in qua regnum fuit eiusdem Melchisedech, hanc postea continuerunt Hiebusi, è quibus sortita est uocabulum Hiebus, sicq; duobus nominibus copulatis, Hiebus & Salem, uocata est Hierusalem, quę postea à Salomone Hierosolyma, quasi Hierosalomonia dicta est. Hęc & corruptę à poetis olim nuncupata, & postmodum ab Helio Adriano uocata est, Heli, in ipsa est & Sion, quę Hebraice interpretatur speculatio, eo quodd in sublime constructa est, & de longe uenientia contempletur.

Vbi est, qui natus est rex Iudęorum. Id est, rex confessionum, rex qui natus omnes

**A** omnes gentes illuminare uenit. De quo Iſaias ait: Puer natus est nobis, reddunt causam in quirentibus quis dixit uobis? Respondent.

Eſai. 9.

Vidimus stellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum. Domini stellam se dicunt uidisse, uel ex artis scientia, uel ex uaticinio Balaam, dicentis: Orietur stella ex Iacob, & conſurget uirga de Iſrael, & percutiet duces Moab. Hanc stellam tradunt, ut columbam, nec antea, nec postea, esse uisam, quia nec antea, nec postea, similis illi quem demonstrauit est natus, stellam eius uidimus, non nostram, non cęli, sed Regis qui natus est.

Num. 23.

Nos quidē sub fato stellarum nullius hominis genitum ponimus, quanto minus illius tēporalem generationem sub aſtorum conditione, credamus factam, qui est æternus uniuersorum creator & Dominus. Itaq; illa stella quam uiderant Magi Christo in carne nato, non ad decretū dominabatur, sed ad testimoniū famulabatur. Nec eius subiacebat imperio, sed indicabat obsequio. Proinde non ex illis erat hæc stellis, quę ab initio creaturę iter suū ordinemq; sub creatoris lege, custodiunt, sed nouo uirginis partu nouum sydus apparuit, quod mysterium officij sui, etiam ipsis Magis quærētibz Christum, cum ante faciem præiret, exhibuit, donec eos usq; ad ipsum locum ubi Dei uerbum inſans erat, præeundo perduceret.

August.

Nec Christus?  
nec Christiani  
sub fato stellarum  
sunt.

Magos qui ad adorandum Dominum perrexerunt, quidam ex progenie fuisse Balaam existimāt. Eruditos in Astronomica disciplina, & stellam illam nō ex notis fuisse sideribus, quippe quia nec eodem cęlesti ordine mouebatur ut cęterę. Hęc enim ad locum in quo natus erat Dominus, demonstrando nutu proprio ferebatur.

Vulga.

Alij dicunt nepotes Balaam esse, filij Beor, quia sectam eius secuti sunt. Alij dicunt Persas fuisse, ut metro Canorius dicit: Tum iuber & Perses celerem pertendere gressum.

Vulga.  
Canori.

Hieronymus dicit: Chaldęi stellas Deos esse confirmabant, unde eorum Deus nuncupatus, uerum indicat Dominum, unde Chaldęi esse existimantur, quod dicit: Vidimus stellam eius in oriente. Id est, nos in oriente positi, siue de oriente in occidentem, stellam ortā uidimus, fixis historię radicibus, spiritalia intueamur. Bethleem quę interpretatur, domus panis, significat Ecclesiam, siue cor hominis in quo Christus, qui dixit: Ego sum panis uiuus, nascitur Herodes qui interpretatur, pellicus siue pellis gloria, significat diabolum regnantem in mundo. Tres Magi genus humanum cum Phisica, Ethica, Logica, significant.

Ios. 6.

**B** Phisica.) Hoc est, naturalis.

Ethica.) Id est, moralis, mores enim apud Græcos εθικα appellantur.

Logica.) Hoc est, rationalis, Philosophię enim species est, ratio enim Græce λογικη dicitur. Magi qui sacerdotes interrogant, significant Ecclesiam Gentium, sacerdotes legem uel synagogam.

Quęrendū quid sit, quod redemptore nato pastoribus angelus apparuit, atq; ad adorandū hunc Magos non angelus, sed stella perduxit, uidelicet Iudęis ratione utentibus rationale animal, id est, angelus predicare debuit. Gentiles, quia uti ratione nesciebant, ad cognoscendū Dominum, non per uocem, sed per signa perducunt, illis Prophetia tamquam fidelibus, istis signa tamquam infidelibus data sunt.

Greg.  
Questio, Cur  
angelus pasto-  
ribz, & Magis  
stella appa-  
ret.  
Beda.

Constat quippe Magos Christum hominem intellexisse, propter quod dicunt: Vbi est qui natus est: & regem, quia dicunt: Rex Iudęorum, & Dominum, quia dicunt: uenimus adorare eum. Qui etiam hoc sublimissime de illo senserunt, quia cum esset Rex Iudęorū, ad saluandas etiam Gentes, quę in ipsum credere atq; ad illum uenire uellent, esset idoneus, quod sēto maxime aduentu probauerunt & actu. Sed & de stella quę eis apparuit, quidā dicunt ab oriente usq; ad uicinia Bethleem, ducē eis itinere extitisse, quod nequaquā ita esse, ipsa Euangelij ueritas inquisita demonstrat, sed potius in oriente tantū eos stellam uidisse, statimq; intellexisse, quia hæc ortum nati in Iudęa Regis signaret, ideo uenerunt Iudęam, Cumq; testimonijs prophetis cis, in Bethleem illum natum cognouissent, mox illuc iter agentes, stellam quam in oriente uiderant, ducem habere meruerunt. Quę non in summa cęli altitudine inter cęteras stellas, sed in uicinia terrę uisa est illis.

Audiens autē Herodes Rex, turbatus est, & oīs Hierosolyma cum illo.)

Cęli Rege nato Rex terrę turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum cęlfitudo cęlestis aperitur, & ut alij uolunt, ideo Herodes Regis nomen in Christo indignat, quia Augusti decreuerat, ne quis Rex, uel Deus, sine suo consilio diceretur. Omnem enim Hierosolimam cum illo dicit esse turbatam, quia turbatio Regis, turbatio populi est.

Gregor.

Augusti decre-  
tum.

## DOMINICA PRIMA POST THEOPHANIA.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos Capite. XII.



**Q**uesco uos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra, hostiam uiuentem sanctam Deo placentem, rationale obsequium uestrum. Et nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus uestri, ut probetis quæ sit uoluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, qui sunt inter uos. Non plus sapere quæ oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et unicuique Deus diuisit mensuram fidei, sicut enim in uno corpore multa membra habemus. Omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo. Singuli autem alter alterius membra.

**C**ad obseruantiam spiritalem, religionis summa translata sit, adgreditur spiritualis huius obseruantie, mores & instituta sanctare & ait. *Origenes.*

**O**besco itaque uos fratres per misericordiam Dei. Quia omnes conclusi erant sub peccato, nunc iam non in meritis, sed in misericordia Dei salus humana consistit. Ideo quasi qui officium suscepit reconciliandi uos Deo. Obsecro uos non per potentiam sed per misericordiam Dei. Quid uos obsecro?

**U**t exhibeatis corpora uestra, hostiam uiuentem. Viuentem dicit hostiam quæ uitam, hoc est, Christum in se gerit, & dicit, mortem Iesu in corpore circumferimus, ut & uita Iesu Christi in corpore nostro manifestetur.

**S**anctam. Sanctam dicit in qua sanctus spiritus habitat, ut illud: Nescitis quia templum Dei estis & spiritus Dei habitat in uobis. *1. Cor. 6.*

**D**eum placentem. Placenter Deo dicit utpote à peccatis, & uicijs separata, hii enim qui membra sua mortificant, ab incentiuo libidinis & furoris, actus corporis sui Domino placitos habent, hostiam uiuentem sanctam Domino placentem rationabiliter offerunt.

**R**ationabile obsequium. Obsequium hic cultum dicit, qui dudum in pecudum mutorum corporibus consistebat. Nunc, inquit, in corpore rationalis hominis offeratur, & corpora magis uestra quam pecudum fiant sacrificium Deo, quia dignum est Domino, tales hostias immolare, arietes autem & hircos & uitulos, immortalis & incorporeo Domino offerre, nulla ratio recta & honesta suscipit.

**E**t nolite conformari huic seculo. Ostendit esse, quandam formam huius seculi, & aliam futuri seculi, & si qui sunt, qui amant presens seculum, & ea quæ seculi sunt, secundum formam seculi presentis appetunt, qui uero non respiciunt ea, quæ uidentur, sed quæ non uidentur, æterna sunt, & transformantur, & renouantur ad futuri seculi formam. Vide ergo ne forte cum uenerit ira in cor tuum, & concupiscentia mala & auaritia, ceteraque quibus seculum presens delectatur, formam tibi seculi presentis inponant. Si uero e contrario, mansuetudo, patientia, lenitas, continentia, fides, ueritas, ceteraque uirtutes habitent in corde tuo, conformem te futuri seculi faciunt, & ita pulchram animam tuam, ut dicat illi à uerbo Dei. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Canticum. 1.*

**S**ed reformamini in nouitate sensus uestri. Renouatur autem sensus noster per exercitia sapientie, & meditationem uerbi Dei, & legis eius intelligentiam, & quanto quis cotidie ex scripturarum proficit lectione, quanto altius intellectus eius ascendit, tanto semper nouus & cotidie uouus efficitur. Potest etiam & sensus renouari ad iustitiam & continentiam, & ad fidem & patientiam, &c.

**U**t probetis quæ sit uoluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. In multis enim putatur esse uoluntas Dei, & non est, in quo is utique qui sensum habet renouatum errat & fallit. Est autem non cuiusque sensus, sed ualde renouati, probare in singulis quibus agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, si sit uoluntas Dei, & nihil omnino uel agere uel dicere uel cogitare, quod uoluntati Dei non senserit conuenire, quia uoluntas Dei est, quicquid bonum & beneplacitum & perfectum est. *d 3 Dico*

**E**t congregans omnes Principes sacerdotum, & scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. Magi tantummodo Regem nunciant, Herodes Christum requirit. Ipsum igitur Regem de quo interrogat, confiterur. Deinde ubi nasceretur, inquiri, utique pronuntiatus, ostenditur. Neque enim quæri poterat, qui non erat nunciatus. Quare in uoluit Deus hoc à Iudeis inquiri, ut dum ostendit, in quem non credit, ipsi sua demonstrantione darent. Nam perreuerunt Magi & adorauerunt, remanserunt Iudei, qui destrauerunt.

**A**t illi dixerunt: In Bethleem Iudee, sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiit Dux qui regat populum meum Israel. Ac si diceret, una es in principibus urbium principatum tenentibus, quia à te duo nascentur principes, id est Dauid & Christus.

**T**um Herodes clam uocatis Magis, diligenter didicit tempus stellæ quæ apparuit eis. Timebat enim Magos, ad se aliqua causa non reuerfuros, ut euenit, & ideo tempus stellæ clam uocatis Magis didicit. Unde & hic deficit historia, cum secrete indicant tempus stellæ.

**E**t mittens illos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens, adorem eum, qui cum audissent Regem, abierunt. Natiuitate Regis nostri cognita, Herodes ad callida argumenta conuertitur, ne terreno regno priuaret. Renunciari sibi ubi puer inueniret postulat. Adorare uelle se simulat, ut quasi huc, si inuenire possit extinguat, sed quia sicte quesitum, inuenire non potest.

**E**t ecce stella, quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum ueniens staret ubi erat puer. Vbi est Herodes, stella non uidetur, ubi est Christus uidetur, & uiam pergentibus ad Christum ostendit, quia ipse secundum incarnationis mysterium, & stella & uia est, & nos per se ducit ad se.

**V**identes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde, & intrantes domum inuenerunt puerum, cum Maria matre eius. Gauisi sunt gaudio magno ualde, quia maius gaudium fit de inuentis, quam de possessis. Puer ille inuenitur cum matre, de quo Isaias ait: Puer natus est nobis, filius datus est nobis.

**E**t procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrram. Veterum traditio fuit, ut nullus ad Regem, siue ad Dominum rogandum uacuis intraret. Magi uero eum quem adorant, mysticis muneribus precantur. Auro Regem, Thure Deum, Myrra mortalem. Sicut heretici qui hunc Deum credunt, sed ubique regnare non credunt, hi ei thus offerunt non aurum. Sunt qui hunc Regem existimant, sed Deum negant, hi ei aurum offerunt, non thus. Sunt qui hunc & Deum fatentur & Regem, sed adsumpsisse carnem mortalem negant. Hi ei aurum & thus offerunt, non myrram. Nos offeramus aurum ei, ut ubique eum regnare credamus. Offeramus thus, ut credamus, quod his qui in tempore apparuit Deus ante tempora extitit. Offeramus myrram, ut eum quem credimus in sua diuinitate impassibile, credamus etiam in nostra fuisse carne mortalem. Quamuis in auro, thure & myrrha intelligi & aliud potest. Aurum namque sapientiam designat. Salomone adtestante qui ait: Thesaurus desiderabilis requisit in ore sapientis. Thus autem, quod Deo incendit, uirtus orationis exprimit. Psalmita adtestante: Dirigat oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Per myrram uero, carnis nostræ mortificatione, designatur. Unde & sancta Ecclesia dicit: Manus meæ distillauerunt myrram. Nato ergo Regi Aurum offerimus, si in conspectu eius, claritate supernæ sapientie resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis, per sancta orationum studia in ara cordis incendimus. Myrram offerimus, si carnis uicia, per abstinentiam mortificamus.

**E**t responso accepto in somnis, ne rediret ad Herodem &c. Magnam uero nobis aliquid Magi innuit, quod in regione suam per uiam aliam reuerunt. Regio quippe nostra paradisius est. A regione etenim nostra superbiendo, iobediendo, uisibilia sequendo, cibum uertitum, gustando, discessimus, sed ad eam necesse est, ut stendo, obediendo, uisibilia cõternendo, cibum appetitum carnis refrenando redeamus. Per aliam uiam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradysi gaudio, per dilectam carnem discessimus, ad hoc per lamenta reuocamus.

**C**ONCORDIA. Istarum duarum perspicua est & gratissima concordia lectionum, ambæ enim de uocatione Gentium misericorditer, & ambæ de oblatibus Domino mystice concorditer loquuntur muneribus.

Mich. 6.

Christus stella  
et uia.

Esa. 9.

Gregor.

Proph. 21.

Psal. 141.  
Cant. 5.

**D**ico enim per gratiam quæ data est mihi. ) Paulus sicut & in alijs dicit non in sua foris sapientiæ carnalis uerbis, sed per gratiam quæ sibi data est loquitur. Est enim multa differentia, per gratiam loquentis, & per humanam sapientiam. Denique nonnulli eloquentes, & eruditi uiri cum multa dixerint, compositæ & erudite, tamen quia non per gratiam, neminem auditorum, aut ad fidem, aut ad timorem Dei, aut ad compunctionem cordis potuerint incitare. Alij non magna eloquentia, sed simpliciter loquentes, multos infidelium conuertunt, & hoc est per gratiam loqui quæ data est Paulo.

Omnibus qui sunt inter uos, non plus sapere quam oportet sapere. ) Quod dicit omnibus, qui sunt inter uos simile est, ac si diceret: Omni qui in Deo est, cuius semper esse est, quod dicit. Non plus sapere, uidetur ad superbientes ramos oleastrum, & insultantes ramis qui de bona oliua fracti sunt, hunc aptare sermonem, & dicere eis, non debere plus sapere quam oportet, hoc est, plus sapere quam oportet sapere: Ego autem dico, quod heretici plus sapiunt de Christo quam oportet sapere, qui negant eum Dei creatoris esse filium, & alia multa plus de illo quam oportet fingentes.

**Greg.** Sed sapere ad sobrietatem. ) Dum enim per supernam gratiam, ad altiora intelligenda deducimur, quanto subtilius leuamur, tanto semper in humilitatem nosmetipsos in intellectu nostro premere debemus. Ne conemur plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ne dum nimis inuisibilia discutimus aberremus, quod in Græco dicitur. *σὺν ὀφθαλμοῖς*, in nostris codicibus, hoc est, in scripturis diuinis, sobrietas à maioribus interpretatur est ab alijs tamen eruditius uiris temperantia ponitur, quæ temperantia, una ex quatuor generalibus uirtutibus habetur. Ergo sapere ad sobrietatem, temperanter sapere est, hoc est, ut in omnibus, quæ agimus, uel quæ loquimur aut sentimus temperantiam teneamus.

**D** Et unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. ) Hoc est, ut sciat unusquisque & intelligat quæ in eo sit mensura gratiæ Dei quam consequi meruit per fidem, interdum enim accipit, quis à Deo, ut sapiat in opere charitatis, aut erga misericordias pauperum, aut circa debiliam curam, aut erga uiduarum, & pupillarum defensionem, aut erga hospitalitatis sollicitudinem, hæc ergo singula diuisit Deus unicuique secundum mensuram fidei, sed si is qui accipit gratiam, ut de uno aliquo horum saperet, non intelligat mensuram gratiæ sibi datæ, sed uelit sapere in quo gratiam non accipit, & non discere uelit, sed docere quæ nescit, iste cum minus sapiat plus uult sapere, quam oportet, uerum ut euidentius adhuc de his Apostolus adsignaret, intro ducit exemplum & dicit.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent. Ita multi unum corpus sumus in Christo singuli autem, alter alterius membra. ) Ordinatissime per hæc componens omnne corpus Ecclesiæ, ut sicut membra corporis, singula quæque proprios habent actus, & tamé uno consensu mutuo sibi inuicem cedunt, ita, inquit, & in Ecclesia quæ est, corpus Christi, diuersos singuli habemus actus, uerbi gratia alius per sapientiam, est oculus, alius per opera est manus, alius audiendo est auris, unum tamen est ex omnibus membris, corpus in Christo Iesu Domino nostro. Quomodo autem corpus istud in Christo sit, idem est, in ueritate, & sapientia & iustitia & sanctificatione, quæ omnia Christus est, iam sæpe diximus.

## EVANGELIUM LVCAE CAP. II.



**I**tem factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. Consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus in Hierosolyma & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt iter diei & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui

**A** qui eum audiebant super prudentia & responsis eius. Et uidentes ammirati sunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebat te. Et ait ad illos. Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in hijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse. Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia ætate & gratia apud Deum & homines.

**E**t cum factus esset Iesus annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent remansit puer Iesus in Hierusalem. ) Qui à natiuitate, immo à conceptione humana, manifestis miraculorum, quia Deus sit, est ad probatus indicijs, ipse etiam mox ubi tempus ætatis congruebat, utramque suam reuerenter pandere cepit, atque aperire substantiam, & quid uidelicet patri, iuxta ueritatem diuinæ maiestatis, & quid iuxta adsumptionis humanæ fragilitatem debeat matri, nec absque prouidentia, duodenis prima suæ fidei rudimenta reuelabat, quæ duodecim Apostolorum ministerio, per cunctum erant, reuelanda & elucidanda orbem. Possumus & hoc dicere, quia sicut septenario, sic & duodenario numero, qui multiplicatis inter se inuicem septenario partibus consistat, uel rerum uel temporum uniuersitas ac perfectio designatur: Atque ideo quo omnia loca uel tempora decet occupari, recte à duodecimo numero, iubar sumit exordium.

**B** Et non cognouerunt parentes eius, & existimantes autem illum esse, in comitatu uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes reuersi sunt in Hierusalem requirentes eum. ) Querit aliquis quomodo Dei filius tanta parentum, cura nutritus, his ab euntibus potuerit obliuiscendo resingui. Cui respondendum, quia filijs Israël moris fuerit, ut temporibus festis uel Hierosolymam confluentes, uel ad propria redeunt, seorsum uiri, seorsum autem foeminae, choros ducentes incederent. Infantesque uel pueri, cum quolibet parente in differenter ire potuerunt. Ideoque beatam Mariam uel Ioseph, uicissim putasse puerum Iesum, quem se comitari non cernebant, cum altero parente reuersum.

Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos & interrogantem. ) Quasi fons sapientiæ doctorum medius seder, sed quasi exemplar humilitatis, audire prius, & interrogare doctores, quam instruere, querit indoctos. Ne etenim paruuli à senioribus erubescant discere, & ipse ob ætatis humanæ congruentiam homines auscultare non erubescit Deus. Ne infirmus docere, quis audeat, & ille puer doceri interrogando uoluit, qui per diuinitatis potentiam uerbum scientiæ ipsi suis doctoribus ministravit.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super doctrina & responsis eius, & uidentes admirati sunt. ) Stupebant qui eum audiebant & uidentes admirati sunt. Et eo amplius stupebant super prudentia responsionum, quo paucitatem uidentes, contemnebant annorum. Nos autem scientes hunc esse, de quo olim Propheta gratulabundus exultabat, Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, & uocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, nequaquam miremur eum, qui sic paruulus factus est homo, ut nihilominus, quod erat semper, Deus ac fortis, permaneret.

Et dixit mater eius ad illum: Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego, dolentes, quærebat te, & ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse. ) Non quod eum

Quasi filium quærent uiruperat, sed quid ei potius cui æternus est filius, debeat, cogit oculos mentis at tollere, quia enim Deus & homo est. Nunc excelsa deitatis, nunc infinita præ se fert humanæ fragilitatis, quasi homo seniores interrogat, quasi Deus que seniores & edocti mirentur responderet. Quasi Dei filius in templo Dei commoratur, & quasi filius hominis cum parentibus quo iubent regreditur.

Et ipsi nõ intellexerunt uerbum quod locutus est ad illos, & descendit cum illis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Quid enim magister uirtutis nisi officium pietatis implet? quid inter nos aliud, quam quod a nobis agi uellet ageret, deferrebat patri, deferrebat ancillæ. Ipsa enim dicit: Ecce ancilla Domini. Deferrebat simulato patri, deferrebat Domino uero patri, & utiq; matre natus, uirginem conseruauit, & castam. Vtiq; a patre, non uoluntate, non opere, non tempore distabat ut eius uidelicet exemplis ammoniti, quid parentibus debeamus, qui tanta pro nobis patiuntur agnoscamus.

Quid parentibus debeamus

Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Siue quæ in relexit, seu quæ necdum intelligere uerba Euangelij potuit, omnia suo pariter in corde, quasi ramanda, & diligentius scrutanda recondebat. Discamus ergo in omnibus castitatem, quæ minus ore pudico, quam corpore argumenta fidei conseruabat in corde. Et si illa ante præcepta Apostolica tacet, cur tu post Apostolica præcepta magis cupis docere, q̄ discere.

Et lesus proficiebat sapientia & ætate, &c.) Hic locus manicheos pariter & Apollinaristas expugnat. Ostendens Dominum uerã carnem ueram habere & animam. Nam sicut carnis est græte, sic est animæ sapientia proficere, & gratia, quæ tamē in sapientia nullatenus proficere si naturalē intelligentiã quæ hominibus rationis causa cõcessa est, nõ haberet. De cuius nomine hic pauca dicenda sunt: Iesus enim saluator interpretatur. Cuius sacri nominis non solū ethimologia, sed & ipse numerus literarū perpetuæ nostræ salutis mysteria redolet. Sex quippe literis apud Græcos scribitur Ἰησοῦς, uidelicet, Ι & Η & Σ & Ο & Υ & Σ. quorum numeri sunt. X. & VIII. & CC. & LXX. & CCCC. & CC. qui fiunt simul, DCCC. LXXXVIII. qui numerus figuram resurrectionis adauget. Nam quod VIII. simpliciter hoc & X. & C. multiplicata significant. Possimus & ita dicere, quod VIII. absolute resurrectionis exemplum in nomine saluatoris mortalibus præstet, & X. quomodo Decalogus legis debeat impleri suæ nõs resurrectionis Dominus figuris instituerit pariter & iuuerit, ut quomodo ipse resurrexit a mortuis. Ita & nos illo adiuuante resurgere ualeamus, & in C. quæ nos in futuro sequatur gloria demonstrat. Centenarius namq; numerus qui de leua transit in dexteram, illius temporis felicitatem præfigurat. De quo Dominus ait: Iterum uidebo uos & gaudebit cor uestrum. X.

Philosophia de nomine Iesu.

D

CONCORDIA. Istarum duarum quamuis non in uerbis in actu tamen fit concordia unctionū. Ascendentes enim in Hierusalem cum hostia parentes, Domini ingressi sunt templū quod nos spiritaliter agere, hortatur Apostolus dicens: Obsecro uos per misericordiã Dei ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Domino placentem, & reliqua.

1047. 15.

#### DOMINICA II. POST THEOPHANIA.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos, capite, XII.



Abentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate. Qui preest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione: Odi entes malum, adherentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem preuenientes. Sollicitudine non pigri, spiritu feruentes. Domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos, benedicite & nolite maledicere. Gaude te cum gaudentibus. Flete cum flentibus. Id ipsum inuicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.

Habentes

A **H**abentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes.) Primas. Donum non ex nostro, sed ex donantis pendet arbitrio. Omnibus quidem credentibus gloria promittitur in futuro, sed qui tam mundum cor habuerit, ut uirtutum gratiam accipere mereatur etiam in presenti.

Siue Prophetiæ secundum rationem fidei.) Fidei dixit, non legis, siue quia fides illa meruit, unusquisq; enim tantum accipit quantum credit.

Siue ministerium in ministrando.) Hæc omnia possumus ad illam regulam reuocare, quæ superius dicta est, hoc est, non plus sapere, quam oportet sapere. Verbi causa, non debere eum qui ministrat, in ministrando plus sapere quam oportet sapere, & qui docet in doctrina, & qui exhortatur in exhortatione, non plus sapere. Multi accepto ministerio, uel accepta doctrina, plus sapuerunt quam oportuit sapere, & elati in arrogantia, uel in delictis resoluti, præcipites corruerunt.

De ministerio Sacerdotali uel Diaconatus dicit.

Siue qui docet in doctrina.) Qui docet maior est, eo qui exhortatur.

Qui exhortatur in exhortando.) Exhortatio species doctrinæ est & uerbi, quo afflictae animæ, scripturarum diuinarum prudenter aptatis, & in unum collectis sermonibus releuantur, si uero sermo habens uirtutem gratiæ Dei, fuerit adhibitus animæ desperatæ, tunc cor eius penetrat, & consolationem præbet, ac spem reuocat, desperatione submota.

Qui tribuit in simplicitate.) Oportet, inquit, in simplicitate cordis, hoc faciat, hoc est, ne uideatur quidem bene facere indigentibus. Corde uero laudè quærat ab hominibus. Non est simplicitas, si aliud agi uideatur in manibus, & aliud quærat in corde.

Qui preest in sollicitudine.) Qui uero preest fratribus, uel qui preest Ecclesiæ, in sollicitudine esse debet, non humanarum causarum, nec secularium rerum, hæc enim sollicitudo aliena debet esse ab his, qui Ecclesiæ præfunt, sed talem recipiant sollicitudinem, qualem Apostolus dicit. Concursum in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uor.

B

Qui miseretur in hilaritate.) Maxime circa egrotos misericordia exhibenda est, misericordiæ titulus generalis est, qui circa omnes placido exhibendus est animo, hilarem dato rem diligit Deus, & tristem sine dubio odit.

Qui enim erogat pecuniam suam, si infidelis sit, & recepturum se desperet, necessario tamq; qui eam perdidit, contristatur, qui uero cum fide & spe hoc agit, in hilaritate & læticia agit, certus quod parua hæc quæ pro mandato Dei expendit, ingentes sibi opes caelestium diuitiarum, insuper autem & æternam conferant uitam.

Dilectio sine simulatione.) Tota puritas debet esse in Christiano, sic Deus pura lux est, fingere enim seruorum est. Diligamus non lingua tantum, sed opere & ueritate. Ita etiã si necesse fuerit pro inuicem moriamur.

Ego puto quod omnis dilectio quæ non est secundum Deum simulata sit, & uera non sit, enim creator animæ Deus, idcirco ei, cum cæteris uirtutibus, etiã affectum dilectionis inseruit, ut diligat Deum, & ea quæ uult Deus. Ergo quicumq; aliud dilexerit quam Deum, & quæ Deo placent, dilectio in eo ficta, & simulata, dicenda est, sed & si quis proximum suum errantem uiderit, & non correxerit, simulata dilectio dicenda est. Nihil enim habere adulatorium. Nihil fucatum dilectio debet.

Odi entes malum.) Mirum fortasse sit, quod inter cætera bona uirtutum, assumitur etiã odium, & tamq; necessarium ab Apostolo ponitur. Vnde certum est, inesse animæ etiã odij affectum. Est enim laudabile odisse uicia, odisse peccata, nisi enim quis odio habeat uicia, non potest amare, nec conseruare uirtutes.

Adherentes bono.) Adhæreamus bono, obseruandum etiam hoc, quod sicut in alijs dicit, qui adhæret Domino unus spiritus est. Ita & hic dicit: Adhæreamus bono, sine dubio, ut contingat nobis unum esse cum bono.

Charitatē fraternitatis inuicē diligentes.) Ac si dicat, ut fratres, & quasi ex una matre generati, ita uos diligite, hoc mandatum accepimus, ut diligamus nos inuicem, sicut & Deus dilexit nos,

Frates

**C** Frater ergo iubemur diligere, non iudicare, si enim putas aliquem impium esse, & ideo eum non iudicas diligendum? Audi, quia Christus pro impijs mortuus est, aut si quia peccator est frater tuus, ideo eum non putes diligendum? Audi, quia Christus Iesus in hunc mundum uenit peccatores saluos facere, si uero iustus est, dilectione multo magis dignus est. Dominus enim diligit iustos.

**Primaf.** Honore inticem prauententes.) Hoc si semper seruiremus, & caritatem, & patientiam teneremus, si nos enim omnibus minores iudicarem, nec ulro alicui iniuriam faceremus, nec illatam nobis grauer doleremus.

**Origenes.** Hoc est, quod & Dominus docuit cum notaret scribas & phariseos, prima sibi loca in conuuijs uindicantes, & docet, ut cum uocatus fueris tu ad cenam, in nouissimo loco recumbas.

**Primaf.** Sollicitudine non pigri.) Ne per sollicitudinem seculi pigri in Dei opere efficiamini inertes. Superius cum qui prae est, in sollicitudine debere esse comonuit, nunc uero omnibus dat hoc in commune mandatum, ne quis nostrum audiat à Domino seruire male & piger.

**Origenes.** Spiritu feruentes.) Quia frigidus Dominus non amat, & in tepidis nauseatur, tunc plane spiritu feruemus, si seculo frigidus sumus.

Vult enim ut nos qui sub lege spiritus uiuimus, nihil remissum, nihil tepidum habeamus in nobis, sed cum seruire spiritus, & calore fidei cuncta peragamus.

**Primaf.** Domino seruientes.) Ille Domino seruit, qui potest dicere nobis, unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, nec ultra ei, aut libido, aut auaritia, aut inanis gloria dominabitur.

**Primaf.** Spe gaudentes.) Spe gaudet, qui non respicit ea quae uidentur, sed ea quae non uidentur expectat, & qui scit, quoniam non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis.

**D** In tribulatione patientes.) Propter gaudium spei futurae omnia sustinete, sicut scriptum est: Omne gaudium existimate fratres, cum in uarias temptationes incideretis, & quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spes.

**Iacob. 1. Rom. 5.** Orationi instantes.) Instantia enim orationis, nobis praestat auxilium in aduersis, in quo enim non sufficit humana fragilitas, auxilium Dei, orationibus implorandum est.

**Origenes.** Necessitatibus sanctorum communicantes.) Ac si dicat ministrare eis, qui propter Christum sua omnia contempnentes, alienis ad tempus indigent ministracionibus.

Honeste & decenter, non quasi stipem indigentibus sanctis praebere, sed censum nostrum quodammodo cum ipsis habere commune, & meminisse sanctorum siue in collectis sollempnibus, siue pro eo, ut ex recordatione eorum proficiamus.

**Gen. 19.** Hospitalitatem sectantes.) Quam digne hospitalitatis magnificentiam, uno sermone comprehendit. Dicens enim sectandam esse hospitalitatem, non solum ostendit, ut uenientem ad nos hospitem suscipiamus, sed & requiramus, & solliciti simus, & sectemur ac perquiramus ubique hospites, nec ubi forte in plateis sedeant, nec extra rectum iaceant. Recordare Lothi, & inuenies quod illum non hospites, sed ipse quaesierit hospites, & hoc erat hospitalitatem sectari.

**Benedicite persequentibus uos.)** Moralem locum latius Apostolus exsequens actus, mentem, propositum, os quoque ipsum, discipulorum linguamque componit. Non uult credentes Christo de ore suo proferre maledictum, sed bene loqui, benedicere, bene praedicare, ut ex hoc, & boni Domini serui, & boni magistris credantur esse discipuli. Sciendum ramen est, quod sermo benedictionis in scripturis, diuersis positus inuenitur, nam & Deus benedicere dicitur, & homines, uel ceterae creaturae Deum benedicere iubentur, sed Dei benedictio aliquid muneris semper his, qui ab eo benedicuntur inperit, homines uero Deum benedicere pro hoc quod est laudare, & gratias referre dicuntur.

**Benedicite & nolite male dicere.)** Hortatur nos Apostolus ut cum prouocamur ab inimicis, non pro maledictis maledicta reddamus, sed faciamus quod ipse de semetipso scribit, ubi dicit, male dicimur, & benedicimus

**Gaudete cum gaudentibus.)** Habenda est etiam in hoc competens & apta distinctio, non enim quibuscumque gaudentes, Christianorum gaudia socianda sunt, neque enim si uideam gaudere aliquem, super questu pecuniae, aut secularis honoris eminentiae, congratulari debeo talibus qui

**A** qui sciam, quod huiusmodi gaudia luctus sequatur & lacrimae, sed quia Dominus Apostolus ait: Gaudete quia nomina uestra scripta sunt in caelo: Et nos, si uideamus ab aliquo tale opus geri, quod in caelo scribi dignum sit, siue iustitiae opus, siue charitatis, siue pacis, uel misericordiae, & ita gestum, ut in libro uitae referre mereatur, debemus gaudere cum talibus. Sed & si quidem uideamus ab errore conuersum, & relictis ignorantiae tenebris, ad lucem ueritatis uenisse, remissionem peccatorum & grauiam sancti spiritus meruisse, debemus gaudere cum talibus.

**Flete cum flentibus.)** Non cum illis qui flent mortuos suos, iubemur flere, aut qui flent damna saecularia. Scientes quod huius seculi tristitia mortem operatur. Non sunt ergo lacrimae iungendae cum talibus. Sed cum illis flendum est. De quibus dicit Dominus: Beati qui flent, quoniam ipsi consolabuntur. Si quis fleret pro peccatis suis, si quis post delicta conuerteretur ad poenitentiam, & errorem suum lacrimis lauat. Si quis etiam ingemisit in habitaculo isto positus, & ad Christum redire desiderat, & per sanctum desiderium lacrymarum profusione lauetur. Iungamus cum talibus, lacrymas nostras, & gemitus sociemus. Tristitia enim quae seculum Deum est, salutem stabilem per poenitentiam operatur.

**Id ipsum inuicem sentientes.)** Sermo iste non natura sui, sed interpretatione obscurior factus est, hoc est enim quod dicit: uita de fratre sentiamus ut & de nobis ipsis. Et ita uelimus proximo, sicut & nobis uolumus, ut & Dominus in Euangelio dixit: Quae uultis ut faciant uobis homines, eadem & uos facite illis.

**Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.)** Superbiam per omnia fugiendam docet, hoc enim dicit alta sentire: & merito, superbia fugienda est, cum scriptura dicit: Quia initium discedendi à Domino, superbia est. Bene autem uno sermone, institutionem humilitatis exposuit, eos sentire enim humilibus, & amare humiles, atque inclinare se ad eos, hoc est, consuetudine imitari eum, qui cum in forma Dei esset, formam serui suscepit, & humiliavit se usque ad mortem.

Superba sapit iste, qui suam per se ulcisci cupit iniuriam, & non humilibus rebus, id est, humilitati consentit.

## EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM. CAP. II.



**N**uptiae factae sunt in Cana Galilaeae, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dixit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit uobis facite: Erant autem ibi lapidee hydrigefex positae, secundum purificationem Iudeorum, capientes singulae metretas binas uel ternas, dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architricino. Et tulerunt. Ut autem gustauit Architracinus aquam uinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architracinus, & dicit ei: Omnis homo, primum bonum uinum potuit, & cum inebriatus fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruaisti bonum uinum usque ad huc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae & manifestauit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli eius.

**N**uptiae factae sunt in Cana Galilaeae, & erat mater Iesu ibi.) Nec uacat mysterio, quod die tertio post illa, quae superiori Euangelij sermone descriperat. Nuptiae factae referunt, sed tertio tempore seculi Dominum ad aptandam sibi Ecclesiam uenisse, designat. Primum quippe seculi tempus, ante legem, Patriarcharum exemplis. Secundum sub lege, Prophetarum scriptis. Tertium sub gratia praecognitionis, Euangelistarum quasi tertia die luce, mundo refulsit. In quo Dominus et saluator noster pro redemptione generis humani incarnatus apparuit, sed & hoc quod in Cana Galilaeae, id est in zelo

Philip. 2.

Primaf.

Beda.



in zelo transmigracionis perpetrata eadem nuptiæ facte perhibentur, typice denunciat eos maxime gratia Christi dignos existere, qui zelo ac feruore pie deuotionis, & emulari charissimata meliora, ac de uitis ad uirtutes bona operando, de terrenis ad æterna norunt, sperando & amando transmigrare.

**Hiero.**  
**2. Cor. 11.** Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ.) Dominus ad nuptias in hunc mundum uenit, quia sanctam Ecclesiam sibi copulauit. De qua Apostolus ait: Aptauit uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, habet ergo sponsam Ecclesiam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit spiritum sanctum, quam sibi coniunxit in utero uirginis. Verbum enim sponsum, sponsa caro humana, & utriusque unus filius Dei, & idem filius hominis, factus est caput Ecclesiæ, & processit de thalamo, quasi sponsus. Thalamus enim eius uterus uirginis fuit: Venit ad nuptias in Chana Galilææ, certi Sacramenti, Chana namque zelus interpretatur, Galilæa transmigrationis facta.

Et erat mater Iesu ibi.) Mater Iesu in nuptiis ostenditur synagoga, eò quod Christum admiraculum prouocet.

Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad nuptias.) Quod Dominus uenit ad nuptias, excepta mystica significatione confirmare uoluit, quod ipse fecit. Sic enim ipse alio loco ait: quod Dominus coniunxit, homo non separet.

**Math. 19.**  
**Beda.** Primus nuptiarum locus Iudæa extitit, in qua filius Dei homo fieri, & Ecclesiam sui corporis ac sanguinis participatione consecrare, sui spiritus pignore in fide confirmare dignatus est, sed uocatis ad fidem gentibus, usque ad fines orbis terræ, eandem nuptiarum uotiuam gaudia perueniunt.

Et deficiente uino.) Discumbente autem ad nuptias Domino, uinum defecit, ut uino meliore, per ipsum mirabili ordine facto manifestaretur gloria latentis in homine Dei, & credentium in eum aucta fides proficeret. Quod si misterium quærimus, apparente Domino in carne, merita illa legalis sensus sua uitas, paulatim cooperat, ob carnalem Pharisæorum interpretationem à prisca sua uirtute deficere, qui mox ea que carnalia uidebantur mandata ad spirituale conuertit doctrinam. Cum etiamque literæ legalis superficiem in Euangelicam cœlestis gratiæ uirtutem mutauit, quod est, uinum fecisse de aqua.

**Aug.** Dicit mater Iesu ad eum, uinum non habent, & dicit ei Iesus, quid mihi & tibi est mulier.) Neque enim matrem suam inhonoraret, qui nos iubet honorare parentes, aut sibi esse matrem negaret, qui de ea carnem suscepit, sed in eo quod dicit: Quid mihi & tibi est mulier, significat se diuinitate, qua miraculum erat patrandum, non principium, se temporaliter accepisse de matre, sed æternitatem semper habuisse de patre.

Nondum uenit hora mea.) Nondum uenit hora, ut fragilitatem humanitatis ex te sumptæ, moriendo demonstrarem. Hora ergo nondum uenerat, id est passionis, quia faciendæ erant uirtutes, commendanda erat diuinitas Domini, cõmendanda erat humanitas Domini, in ipsa compassione mortalitatis. Venit autem hora, ut quid sibi & matri commune esset ostenderet, cum eam moriturus in cruce, discipulo uirgini uirginem commendauit. Huius uero horæ, Dominus in cruce pendens commemorans, dixit matri. Mulier ecce filius tuus: quasi dixisset, ecce, hoc quod de te sumpsi modo ostenditur moriendo, quid est, quæ tamen natura post modum clarificanda erit in resurrectionis gloria.

Dicit mater eius ministris, quodcumque dixerit uobis facite.) Sciebat mater humanitatem filij sui, licet hoc modo uideretur negando, quod poscebat, mater tamen sciebat pietatem filij quod negare noluit, quod petebatur, fiducialiter mandauit ministris, ut mandata filij iubentis implerent.

Erant autem ibi lapideæ hydræ sex positæ.) Hydræ uocantur uasa aquarum, Græce ὑδρα aqua dicitur: Aqua uero scripturæ sacræ scientiam designat, quæ suos auditores & à peccatorum sordibus ablueret, & diuine cognitionis solet fonte potare. Vasa sex, quibus continebatur, corda sunt deuota sanctorum, quorum perfectio uitæ ad exemplum recte credentibus posita est, per sex seculi ætates, usque ad Aduentum Domini, & bene lapideæ sunt uasa, quia fortia sunt corda iustorum, utpote illius lapidis dilectione solidata. De quo Petrus Apostolus dicebat: Ad quem accedentes lapidem uiuum, & ipsi tanquam lapides uiui super edificamini.

**1. Pet. 2.**

secun-

**A** Secundum purificationem Iudæorum.) Bene autem hydræ secundum purificationem Iudæorum positæ erant, quia Iudæorum tantum populo, lex per Moysen data est, gratia autem & ueritas Euangelij, tam Gentibus, quam etiam Iudæis credentibus per Iesum Christum facta est.

Capietes singule metretas binas uel ternas.) Quid est ergo: Capiabant metretas binas uel ternas? Mysterium nobis maxime ista locutio commendat. Metra enim à mensura accepit nomen, sicut urnas uel amphoras seu & aliæ mensuræ. Μετρον enim mensuras dicitur Græci. Non enim dictum est, capientes metretas, aliæ binas, aliæ ternas, sed ipse fex hydræ capiabant metretas binas uel ternas. Si ternas tantum diceret, non curreret animus noster, nisi ad mysterium trinitatis. Cum autem nominatur pater & filius, tamquam duæ metretæ. Cum autem tibi intelligitur spiritus sanctus, tres metretæ.

**ALITER.** Bine metretæ, circumcisio & præputium, in duobus istis nominibus, habes omnes Gentes, bine metretæ sunt. His duobus parietibus, lapis angularis factus est Christus, ostendamus & ternas metretas in ipsis gentibus. Tres erant filij Noe, per quos reparatum est genus hominum. Quibus Apostolus ait: Accepimus mensuram pertingendi usque ad uos. Ecce habes & tres metretas in Gentibus.

Capietes singule metretas binas uel ternas, quia scripturæ sanctæ autores, modo de patre tantum loquuntur & filio, modo etiam spiritus sancti faciunt mentionem. In binis uel ternis, totamque, unus est Deus, intellige trinitatem. Sed quantum inter aquam & uinum distat, tantum distat inter sensum illum, quo scripturæ ante aduentum saluatoris intelligebant, & eum quem uentens ipse reuelauit.

Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua.) Quid per ministros qui hæc fecerunt, nisi Christi significantur discipuli, qui impleuerunt hydras aqua, non quidem ipsi legalibus ac Prophetis scripturis implendo, sed ipsi intelligendo prudenter, & aperiendo fideliter.

**B** Impleuerunt autem usque ad summum.) Quia recte intellexerunt, nullum fuisse tempus seculi, à sanctis alienum doctoribus, qui siue uerbis siue exemplis, siue etiam scriptis, uitam uitæ mortalibus aperirent. Et quidem potuit Deus uacuas implere hydras uinum, qui in exordio mundi cuncta creauit ex nihilo, sed maluit de aqua facere uinum, quod uisite doceret, non se ad soluendam improbandamque, sed ad implendam potius legem Prophetarum uenisse. Videamus ergo sex hydras, scripturarum aqua saluari repletas. Videamus & eundem aquam in suauissimum uini odorem gustumque cõuersam. In prima ætate seculi, Abel iustum frater occidit, & ob hoc martyrio coronatus, in Euangelij & in Epistolis iustus scribitur, frater uicium impius nominatur. Quisquis his auditis, metuit cum impijs damnari, cupit benedici cum pijs.

Et ideo omnem odiorum & inuidiæ fomitem abiicit, & Deo placere per sacrificium iustitiæ contendit, uasque in scriptura inuenit, unde salubriter ablutus potatusque gauderet. Sed si intellexerit, per Cain homicidium, Iudæorum significari perfidiam, occisionem Abel, passionem signficari Domini saluatoris. Terram quæ suscepit eius sanguinem, Ecclesiam esse, quæ Christi sanguinem, in mysterium sue renouationis accepit, nimirum aquam in uinum mutatam repperit, quia dicta legis sacratius intellexit. In secunda ætate seculi pro peccatis hominum mundus deletus est, aquis diluuij, à quo solus Noe propter iusticiam cum paucis meruit liberari. Quisquis ergo hæc audita uastatione emendatus uiuere cœperit, liberari desyderans cum paucis, timens exterminari cum plurimis, hydræ aque, qua mundaretur inuenit, sed si in Arca Ecclesiam, in Noe Christum, in Aqua Baptismum, in Columba uenctiōnem spiritus sancti, quo baptizati imbuuntur, intellexerit, uinum profecto de aqua factum miratur. Quia in ueteri hyfioria suam ab

lutionem prophetari cognoscit. In tertia ætate tentauit Deus Abraham, cum filium eius in holocaustum offerri præcepit. Non differt Abraham facere quod iubetur, sed pro filio immolatur Aries, ipse tamen pro obedientia benedicitur. Tu audiens hæc, & ipse obediens esse satagis, hydræ aque inuenisti qua munderis. Quod si immolatione filij unici, passionem intelligis Christi, qui humanitate passus, in diuinitate impassibilis mansit, quia filius offertur, sed aries mandatur, sed si intelligis benedictionem Abraham in te, qui de Gentibus credis, esse completam, nimirum de aqua uinum tibi fecit, qui spiritalem sensum tibi dedit. In quarta ætate, David humilis, innocens & mitis, Saule superbo abiecto, regnum sortitur. Tu hæc audiens, humilitati & innocentiae studere, & superbiam cœperis de tuo corde repellere, haustum aque impudissimæ quo reficaris inuenisti, in hydræ quarra, fonte salutari repleta. Nam si in Saule Iudæos, in Da-

uid Chri-

**Ioh. 1.**

**August.**

**Beda.**  
**Nota.**

**Primæ ætatis seculi.**

**Secundæ ætatis.**

**Tertiæ ætatis.**

**Quartæ ætatis.**

**C**uid Christum, & Iudæorum regnum carnaliter, destructum, Christi autem regnum intellexeris semper mansurum. Vinum de aqua factum sentis, quo potato in æternum læteris. In quinta ætate, populus peccans Babyloniam transmigratur, sed post septuaginta annos poenitens, & correptus, patriam per Iesum sacerdotem magnum reducitur. Hæc si audiens, peccati metu ad poenitentiam remedium confugeris, aqua hydris quintæ, ablutus es, si autem intellexeris Babylonem esse confusionem peccatorum. Nabuchodonosor diabolum, Iesum Sacerdotem Pontificem esse, Iesum Christum, septuaginta annos, bonorum plenitudinem operum, quæ per spiritus sancti dona largiuntur. Vinum de aqua factum habes, quia ad te pertinere quæ scripta sunt intelligis. In sexta ætate Dominus apparet in carne, octava die Natiuitatis, circumcisus, & in tricesima tertia ad templum est delatus, & in eo munera sunt oblata pro illo. Hæc intuentes ad literarum, aperte discimus, quanta nobis diligentia sunt fidei Euangelicæ subeunda mysteria, quando ipse, qui benedictionem adferens gratiæ, ueterum primo caeremonias impleuit, & sic noua sacramenta suscipere, simul & tradere curauit. Ecce habes hydris sextam ad abluenda peccata, ad potanda uitæ gaudia, mundiorum cæteris afferentem undam. Verum & si in circumcissione octauæ diei, baptisma intelligis, & in inductione in templum, & in oblatione hostiæ, cognoscis figurari fideles, de baptisterio, ad altare sancti ingredi, & Dominici corporis & sanguinis communionem, debere consecrari. Vino quidem de aqua factum meracissimo donatus es. Verum si adhuc quod maus est, circumcissionis diem, ad generalem resurrectionem interpreteris, & circumcisos induci in templum cum hostijs, quando sancti iam incorruptibiles ad contemplantam speciem Diuinæ maiestatis, cum bonorum operum muneribus, intrant, intellexeris. Tantum profecto uinum de aqua fieri uidebis, ut admirans, conditori dicas, & poculum tuum inebrians quam præclarum est.

Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architricino, & tulerunt, ut autem gustauit Architricino, aquam uinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam. Vinum utique Architricino, de aqua factum propinatur, in domo nuptiarum, quod est Ecclesia Christi. Triclinum ibi esse describitur, quia nimirum tres sunt in Ecclesia ordines fidelium, coniugatorum, continentium & doctorum.

Vocat sponsum Architricino, & dicit ei: Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, Tu autem seruasti bonum uinum usque ad huc. Doctorum est enim cognoscere distantiam Legis, & Euangelij Veritatis & Vmbrae, & nouam Euangelicæ fidei gratiam, & per petuam cælestis patriæ dona proferre.

Hoc fecit incipit signorum Iesus in Chana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Manifestauit hoc signo, quod ipse esset rex gloriæ, & ideo sponus Ecclesiæ, qui ut homo communis ueniret ad nuptias, sed quasi Deus cæli & terræ elementa prout uoluisset, conuerteret. Ergo Dominus uinum in gaudia nuptiarum non de nihilo facere uoluit, sed hydris sex impleri aqua, præcipiens, hanc mirabiliter conuertit in uinum. Quia sex mundi ætates sapientiæ salutaris largitate donauit, quam tamen ipse ueniens sublimioris sensus uirtute succundauit. Namque carnales carnaliter tantum sapiebant, ipse spiritualibus spiritualiter sentienda reseruauit.

Dehinc Augustinus. Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ. Splendescit igitur super obscurum delictis obfuscantibus mundum, trinitatis die Christus uenit ad nuptias. Qui uerus botrus continebat intra se uitæ uinum, sed necdum crucis accesserat prælium.

Christus uerus botrus.

Dicit ei mater eius: Vinum non habent. Paulisper Virgo florentissima, paulisper præparat Iudæus lignum, & tunc exire poterit uinum. Quid ante tempus curris ad lacum, cum nec dum imprefferit Iudas super unam calcaneum? Modo meruisti gemmatam sobolem procreare, iam botrum tuum conaris exprimere: sed qui de ligno carpit supplicium, in ligno debet expectare remedium. Et qui ex arbore inclita demessit, frugem expectare debet ad crucem.

Dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Extulit hic Christus super Matrem

**A** trem diuinitatem suam, non negauit matrem suam. Neque se natum negauit ex carne, sed maiestatem suam subdidit genitricem.

Nondum uenit hora mea. Hora utique non facti sed uoti, non necessitatis sed uoluntatis, non qua cogere mori, sed qua pro mundo dignaretur occidi. Interim Christus insipidos haustus mirificat, fatuus latex fundebat in hydris & hauriebant inebriata flumina, nulla exprimebatur uua, & seruescebant sine palmite uina. Hoc fecit Christus in latice, quod cetero tempore facit in uite. Transeunt ad Christum nuptiæ, & Ecclesia mutauit sponsum. Aliquando & Iudæa uinum non habuit, quia munus sacraui sanguinis non accepit, & dum Legi nuberet, non inuenit quod biberet. Venit Christus, mutauit Legem in gratiam, fudit sanguinis poculum, & fecit moriendo conuiuium. Sex ille hydris, quarum aqua in uinum mutata est, sex ætates mundi figurabant. In istis sex ætatibus, quasi in sex hydris Prophetia non desuit. Sed quando Christus in illis non intelligebatur, non ex illis uinum, sed aqua bibebatur. Prima ergo hydris impleta est in Adam, quando de latere eius, illo dormiente, fabricata est Eua. Dormiuit in cruce Christus, & de latere eius formatur Ecclesia. Sed quia hæc in Christo Iudæorum populus implere non intelligebat, non uinum sed aqua sapiebat. Secunda hydris impleta est in Noe, sic per mysterium archæ, aut diluuii, genus humanum saluatur, quomodo per crucis uel Baptismi sacramentum à morte totus mundus eripitur. Tertia hydris impleta est in Abraham. Nam quomodo Isaac ad locum holocausti, lignum ipse portauit, ita & Christus ad locum passionis, ipse sibi crucis patibulum baiulauit. Quarta hydris impleta est in Dauid, qui & in humilitate & in multis tribulationibus Christum Dominum figurauit. Quinta hydris impleta est tempore Danielis, uidit enim præcisum lapidem, id est natum Christum de monte, id est, de regno Iudæorum, sine manibus præcisum, quia sine opera nuptiali, qui gratia sua uniuersum mundum impleuit. Sexta hydris impleta est in Iohanne Baptista, qui Iudæis prædicans ait: Facite fructus dignos poenitentiae, potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Itaque ergo sex ætates mundi, uel sex hydris impletae sunt à ministris, id est à Patriarchis & Prophetis.

**B**Capietes metretas binas uel ternas. Quare ternas, propter mysterium trinitatis. Quare binas, propter duo præcepta, dilectionis Dei & proximi. Et in Euangelio: Ego & pater unum sumus. Ecce binas. Itaque baptizate omnes gentes, in nomine patris & filii & spiritus sancti. Ecce habes ternas. Gustauit Architricino, id est, mundi Dominus, aquam uinum factam, & dicit: Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint homines, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum uinum usque adhuc, & lex enim sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Sed lex & Prophetæ usque ad Iohannem prophetauerunt, et ideo adueniente Domino, uina mosaica defecerunt, & uina sanguinis profluxerunt. Illa acceperunt terminum, ista sumpserunt initium. Denique hoc est initium signorum, quod fecit Iesus, quando pauit gentes occisus, & de uino sui sanguinis fecit conuiuium, uulneratus.

CONCORDIA. In differentia, secundum Apostolum, donationum & differentia hydrarum istarum sit concordia lectionum, corda enim sanctorum hydris sunt, fonte repletæ donorum. Ministri qui hauserunt aquam, & quibus mater dixit: Quodcumque dixerit uobis facite, ministri sunt Christi, quibus secundum Apostolum datur ministerium in ministrando. 1. Cor. 12.

## DOMINICA III. POST THEOPHANIA. EPIST.

BEATI PAULI APOST. AD ROM. CAP. XII.



Nolite esse prudentes apud uosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes. Prudentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non uosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi uindictam & ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbonem ignis congeres super caput eius. Noli uinci à malo, sed uince in bono malum.

2. Nolite

**N**olite esse prudentes apud uosmetipsos.) Qui sibi ipsi prudentes esse uidentur, hic cum arrogantia stultus est. Nec potest ueram sapientiam Deiscire, qui suā stultitiam, quasi sapientiam, colit. Denique in superioribus hanc fuisse incredulitatis causam Iudæis, ipse Paulus edocuit, dicens de eis: Quia ignorantes Dei iustitiam & suā querentes statuere, iustitiam Dei non sunt subiecti. Sic ergo, qui apud semetipsum sapiens est, non potest esse sapiens apud Deum.

Primas.

Psal. 94.

**Nulli malum pro malo reddentes.)** Si malum inferre, peccare est, reddere malum iustum non est, sed simile peccatum est, aut, ut ego arbitror, etiam grauius. Nam ille qui malum prior intulit, forsitan non sensit malum esse quod faceret. Qui autem reddit malum, eo ipso, quo ad uiscendum motus est, confessus est sensisse malum esse quod reddit, & ideo respiciendum semper est ad eum qui dixit: Mihi uindicta & ego retribuam.

Deut. 32.

Primas.

Humana sapientia est, si quæramus uicem reddere inimicis, stultitia est in hoc seculo, si percutienti & aliam maxillam præbeamus. Quod si tantæ patientiæ & humilitatis fuerimus, non solum apud Deum, sed etiam apud homines poterimus probabiles apparere.

**Prouidentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.)**

Orig.

Gal. 1.

Coram omnibus hominibus prouidet quis bona, non ut placeat singulorum, uel uitij uel moribus, alioquin contrarium erit quod idem dixit Apostolus: Ego si hominibus placere uellem, Christi seruus non essem, sed qui uitæ morum & actuum ita tener libram, ut non possit ab ullo homine reprehendi, iste bona coram omnibus hominibus prouidet. Neque enim dixit Apostolus, ut omnibus placeamus, sed ut prouideamus bona coram omnibus, hoc est, agamus nos bona coram omnibus, siue illis placeant quæ bona sunt, siue non placeant.

**Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.)** Apostolus, ne nos alterius animus, si forte impacatus eueniret, ab uno pacis impedire uideret, moderantissimum dedit præceptum, ut interim noster animus, semper sit paratus ad pacem, & discordiæ culpa non penes nos, sed penes alterum conseruetur. Ideo ergo bene addit: Quod ex uobis est, hoc est, quod proposito uestro, & fidei uestre conuenit.

Quod uestrum est, uos cum omnibus pacem habetote, & dicite: Cum his qui oderunt pacem pacificus.

Primas.

**Non uos metipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.)** Hi qui seipsos non uindictant, quomodo iræ locum dent, dupliciter mihi uideat intelligi. Nam & hoc ipso, quod (uerbi causa) manum manu non referunt, aut conuictio conuictum non reddunt, iræ illius qui fecit iniuriam, pertranscendi & euasendi locum dederunt. Nemo enim ita rabidus inuenitur, ut si uicem non recipiat iterum sæuiat, sed quasi effuso ac digesto furore mitescit. Est autem & hoc modo iræ locum dare. Qui enim peccant, thesaurizant sibi iram in die iræ, quando reddet Deus unicuique secundum opera sua, si ergo nosmetipsos uindicemus, non est magni, uerbi causa, si aut, palmam pro palma, aut saxum pro saxo reddamus. Si uero referemus ea uindictæ Dei, locum damus iræ, quia Deus in iudicio multo grauiores quam nos inferre possumus exiget pœnas.

Aut fugiendo damus locum iræ, aut permittendo nocere.

Primas.

Zach. 2.

**Scriptum est enim: Mihi uindictam.)** Ego quasi meam, dicit Dominus, non quæ uestram iniuriam uindicabo, dicit enim Propheta: Qui uos tangit, tanquam qui tangit pupilam oculi mei.

**Ego retribuam, dicit Dominus.)** Facientibus bona, se retribuere promittit. Sed si elurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.) Ut cum sibi intellexerit carbones per tuam indebitam misericordiam congregari, excutiat eos, id est, conuertat & diligenter, quæ habuerat aliquando perosum. Ceterum non est misericordia sed crudelitas, si ideo hoc facis ut illi aliquid peius eueniat, pro quo te Dominus orare præcepit dicens: Orate pro persequentiibus & calumniantibus uos. Cibando enim inimicum & potando eum, ad pacem reconciliamus nobiscum, Quod si ille in malicia præstiterit, ipse ignem congerit capiti suo.

Videamus

Origenes.

**A** Videamus ne forte dignius aliquid mandati huius contineat intellectus. Dicit enim Hieronimus ad peccatricem filiam Babylonis: Habes carbones ignis, sede super eos, hi erunt tibi in adiutorium. Fortassis ergo, & isti carbones ignis, qui congregantur super caput inimici, ad adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri, ut amens, ferus, & barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem uideat, compunctionem cordis capiat, commissi penitentiam gerat. Et ex hoc, ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro commissi conscientia torquet & adurat. Et isti erunt carbones ignis, qui super caput eius ex nostro misericordiam & pietatis opere congregantur. Caput uero, principale cordis appellatur, & merito caput dicitur. Cuius intellectu & prudentia membra reguntur uniuersa.

**Noli uincere a malo, sed uince in bono malo.)** Vincitur a malo, qui malis prouocatus reddit malum. In bono autem uincit malum, qui acceptis malis, restituit bona. Ille dicitur uicisse alterum, qui cum ad suam adduxerit partem, sicut hæreticum uel paganum. Si ergo te fecerit, sibi uicem reddere, ille te uicisse sibi similem faciendo. Si autem per patientiam tuam feceris eum cessare ab iniuria, tu uicisti eum.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. VIII.



**C**um descendisset Iesus de monte, secute sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus ueniens, adorabat eum dicens: Domine, si uis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed uade ostende te sacerdoti & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Cum autem introisset Chapharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum & dicens: Domine puer meus iacet in domo paraliticus & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego ueniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbo & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic uade & uadit, & alij ueni & uenit, & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israël, dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno caelorum. Filij autem regni eiciuntur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora.

B

**C**um descendisset Iesus de monte secute sunt eum turbæ multæ.) De monte Domino descendente, id est, de caelis in mundum, secute sunt eum turbæ multæ generis humani per fidem, nisi enim ille descendisset, nemo hominum ad caelos ascendisset.

Et ecce leprosus ueniens adorabat eum dicens: Domine, si uis, potes me mundare.) In uoluntate Domini tribuit potestatem, de uoluntate autem Domini non dubitauit. Sed quasi sibi conscius non præsumpsit, Leprosus iste populum gentium significauit, qui compunctus ad misericordiam Domini peruenit.

Et extendit Iesus manum suam, tetigit eum, dicens: Volo, mundare.) Considera quam humilis responsio. Ille dixerat si uis, Dominus respondit: Volo. Ille potes me mundare. Dominus dicit, καθάρσει mundare. Non ergo sicut plerique Latinorum putant iungendum est, & legendum uolo mundare, sed separatim, ut primum dicat, uolo, deinde imperet, mundare.

Et cō



**C** Et confestim mundata est lepra eius.) Nihil medium est, inter opus Dei atq; præceptum, quia in præcepto est opus. Deniq; dixit, & facta sunt, quia uoluntas Dei potestas est, & Lex quidē tangi leproso prohibet, sed qui Dominus legis est, nō obsequitur legi, sed legem facit. Non ergo ideo tetigit, quia sine tactu mundare non poterat, sed ut probaret, quia legi subiectus non erat, nec contagium timebat, ut homines, sed quia contaminari non poterat qui alios liberabat.

Et ait illi Iesus, uide, nemini dixeris.) Quare præcipitur nemini dixeris, nisi ut doceret non uulganda nostra beneficia, sed præmendanda, ut non solum à mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ.

Sed uade ostende te sacerdoti.) Ostendere se sacerdoti iubetur, ut intelligeret eū sacerdos, non legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatum.

**Hiero.** Varias ob causas mittit eum ad sacerdotes, primum propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre uideatur. Erat enim in lege præceptum, ut qui mundati fuissent à lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde ut mundatum uidentes leprosum, aut crederent, & saluerentur, aut si non crederent, inexcusabiles fierent, & simul ne quod in eo sepiissime criminabantur, legem uideretur infringere.

**Beda.** Et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.) Offerre autem sacrificium iubet, ut ostenderet eis, quia non solueret legem, sed impleret. Qui secundum legem gradiens supra legem, sanaret eos, quos remedia legis non sanauerant, & bene additur in testimonium illis, hoc est, si Domino credat, si impietatis lepra discedant. Quia uero typice uir iste, peccatis languidum genus designat humanum, recte nō solum leprosus, sed et plenus lepra describitur. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Illa scilicet, ut extensa manu saluatoris, hoc est, in carnato Dei uerbo humanamq; contingente naturam, ab erroris prisci uarietate mundenur, possintq; cum Apostolis audire. Jam uos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum uobis, & qui diutius abominabiles à populo Dei erant castris secreti, iam aliquando templo reddi, & sacerdoti queant offerri, illi utiq; cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum. Audientes ab Apostolo templum enim Dei sanctum est, quod estis uos, offerantq; pro emundatione sua, sicut præcepit Moyses. Id est, exhibeant corpora sua hostiam uiuentem sanctam Deo placentem.

Cum introissent Capharnaū, accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicens.) Queritur quomodo conueniat, quod Lucas Centurionem nuntios misisse. Matthæus autem ipsum accessisse narrat ad Dominum. Facile patet, quod Matthæus breuitatis causa dixerit ipsum accessisse, cuius desiderium & uoluntas ad Dominum ueraciter est prælata. Mystice etiam nobis commendans, hoc quod scriptum est: Accedite ad eum, & illuminamini. Porro Lucas totum quemadmodum gestum sit aperuit.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur, & ait illi Iesus: Ego ueniam & curabo eum.) Videns Centurionis fidem, humilitatē, & prudentiam statim se iturum, & sanaturum esse promittit. Fidem in eo, quod ex gentibus credidit puerum à saluatore posse saluari. Humilitatem, quod se iudicauit indignū, cuius tectū intraret Dominus. Prudentiam, quod ultra corporis regūmen, diuinitatem latentem uiderit, sciens non id sibi futurum, quod etiam ab incredulis uidebatur, sed id quod latebat intrinsecus. Allegoricæ autem Capharnaum, quæ interpretatur ager consolationis, uel uilla pulcherrima, Ecclesiam significat. Centurio propter perfectionē, numeri nominis, primicias significat gentium. Ut Cornelius uel Enochus à Philippo baptizatus. Puer qui in domo iacet Paralyticus & male torquetur à dæmonio, populum significabat gentium, qui in domo, id est, in hoc mundo idola colens dæmonibusq; seruiens infidelis iacebat.

Et respondens ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectū meum.) Propter uitæ gentilis conscientiam, grauari se magis dignatione putauit quam iuari. Nec posse habere hospitem Christum, cuius & si fide præditus, nondum tamen erat sacramentis imbutus. Sed quia quæ nostra infirmitas nō præsumit, diuina gratia dare nouit. Et alius Centurio, qui sicut & iste, credentem ex gentibus populum præfiguratur, magnæ fidei & iustitiæ merito spiritus sancti donum priusq; baptizaretur accepit, & iste necdum cathetizatus, & fidem suam laudari à Domino & famulum saluari promeruit.

Sed

**A** Sed tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus.) Magna fides Centurionis, quia uerbi opus in Christo consistit, & nostre sanationis, ac commoda mysterijs, qui & si noueramus secundum carnem Christum, sed iam non nouimus.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites. Hominem se & potestati, uel tribuni uel præsidis subditum dicit, imperare tamen posse minoribus, ut subaudiatur eum multo magis qui Deus sit, & super omnia potens in numeram uirtutis angelicæ, quæ ad imperata obtemperet, habere militiam.

Et dico huic uade, & uadit, & alio ueni, & uenit, & seruo meo fac hoc & facit.) Vult ostendere Dominum quoq; non per aduentum tantum corporis, sed per angelorum ministeria posse implere quod uellet, repellendæ enim erant, uel infirmitates corporū uel fortitudines contrariæ, quibus homo ad debilitatem sæpe conceditur, & uerbo Domini, & ministerijs angelorum.

**ALITER.** Milites & serui, qui Centurioni obediunt, uirtutes sunt naturales, quarum nō minimam copiam multi ad Dominum uenientes secum deferunt. De quibus in Cornelij & Centurionis laude dicitur, quia erat uir iustus, & timens Deum, cum omni domo sua, faciens Eleemosynas multas plebi, & depræcans Deum semper.

Audiens autem Iesus miratus est.) Miratus est, quod uidit Centurionem suam intelligere maiestatem. Sed quis in illo, fecerat ipsam fidem, uel intelligentiam, nisi ipse qui eam mirabatur. Quod si & alius eam fecisset, quid miraretur, qui præficus erat. Notandum ergo quia quod miratur Dominus nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est, sic moneri, omnes enim tales motus cum de Deo dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistris.

Et conuersus sequentibus se turbis dixit: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israël.) Nō de omnibus retro Patriarchis & Prophetis, sed de præfentis æui loquitur hominibus, quibus ideo Centurionis fides antefertur. Quia illi leges Prophetarumq; montis edocti, hic autem nemine docente, sponte credidit.

**B** Dico autem uobis, quod multi ab oriente & occidente uenient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.) Quia Deus Abraham, cæli conditor, pater Christi est. Idcirco in regno cælorum est, & Abraham, cū quo accubituræ sunt nationes, quæ crediderint in Christum filium creatoris, & ille pariter sensus impletur, de quo supra diximus in Centurionis fide, gentium fieri prærogatiuam, dum ad illius credulitatem, de oriente & occidente credituri populi commemorantur.

Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.) Filios regni Iudæos significat, in quos ante regnauit Deus, eijcientur in tenebras exteriores. Tenebræ semper interiores sunt, non exteriores, sed quoniam qui Dominū foras à se expellit lumen relinquit. Idcirco exteriores tenebræ nominatæ sunt, ibi erit fletus & stridor dentium, si fletus oculorum est, & stridor dentium ossa demonstrat. Vera est ergo corporum & eorumdem membrorum, quæ eijcerant reuertiectio.

**CONCORDA** T enim humilitas Centurionis, quia dixit: Domine non sum dignus, ut intres sub tectū meum, cum uerbo Apostoli ubi ait: Nolite prudentes esse apud uosmetipsos. Sed opera misericordie, quæ erga Leprosū, & puerum Centurionis exhibuit Saluator, cum Apostoli exhortatiōe qui ait, Prouidentes bona nō tantū corā Deo, sed omnibus hominibus.

#### DOMINICA QUARTA POST THEOPHANIA.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos Capite. XIII.



Emini quicq; de beatis, nisi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui. Et si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio.

e 4 Quod

**Q**uod dicit nemini quicquam debeat, certum est, ad peccatum referre. Debitum enim peccatum esse, in multis, & frequenter offendimus. Vult ergo Paulus peccati quidem omnem debitum solui nec remanere omnino apud nos debitum peccati. Permanere tamen & nunquam cessare à nobis debitum caritatis, hoc enim, & cotidie solvere, & semper debere expedit nobis. Denique quantæ uirtutis sit charitas, in consequentibus exponit.

Qui enim, inquit, diligit proximum legem impleuit. Nam non adulterabis. Non occides. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces, & si quod est aliud mandatum in hoc uerbo restauratur. Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Et ad ultimam rationem tanti huius boni, breuiter colligens ait.

**Dilectio proximi, malum non operatur. Plenitudo ergo legis est, dilectio.)**

Supra dixerat, quia qui diligit proximum legem impleuit, & quia difficile uidebatur, quomodo possit quis omnem legem in uno complere sermone, plenissimam reddidit rationem dicens: Dilectio proximi, malum non operatur, & ideo plenitudo legis est, dilectio. Pone enim per singula mandata legis dilectionem, & uide quam facile cuncta complentur. Nunquid qui diligit proximum occidere eum potest? Certum est, quod nemo quem diligit interficiat. Est ergo dilectio, per quam impleatur mandatum quod præcipitur.

**Non occides.)** & iterum. Nunquid qui proximum suum diligit in uxorem eius adulterium committit? Nunquam profecto. Si ergo diligit proximum, nec adulterium committit, similiter, & qui diligit proximum, que eius sunt non furatur. Et qui diligit proximum, falsum aduersus eum testimonium non dicit, similiter & cætera mandata legis, si sit erga proximum dilectio, absque aliquo labore seruantur. Puto tamē, quod in hoc uoluit Apostolus aliquid cōpendiosius dicere. Nam si diligentius requiras, qui sit proximus noster, discēs in Euangelio illum esse proximum nostrum, qui uenit & iacentes nos uulneratos à latronibus, & nudatos à dæmonibus, iumento corporis sui superposuit, & ad stabulum Ecclesiæ detulit, & stabulario pro cura nostra, & diligentia, uel ipsi Paulo uel omni qui Ecclesiæ præest, duos denarios. Noui, ac Veteris Testamenti, ad nostræ curæ concessit expensas. Hunc ergo proximum si diligamus omnem legem, & uniuersa mandata in ipsius amore cōplemus. Finis enim legis Christus, adiustitiam omni credenti, nec fieri ullo pacto potest, ut qui ex toto corde, & ex totis uiribus suis diligit Christum, faciat aliquid, quod non placeat Christo. Illum enim qui diligit, non solum non occidit, quod prohibet lex, sed nec irascitur fratri suo, quia ita delectatur, in illo quē diligit, & non solum non facit adulterium, sed nec mulierem respicit ad concupiscentiam, sed dicit ad ipsum magis, concupiscit anima mea in Deum uiuum. Qui diligit Christum, quando de furto cogitat? qui etiam sua omnia quecunq; habet reliquit, ut sequatur Christum. Qui Christum diligit, quando falsum testimonium dicit? cum sciat ipsum, quem diligit, falso testimonio proditum. Necessario autem, qui diligit Christum, diligit & proximum suum. Hoc enim solo indicio, Christi esse discipulus designatur, si charitatem cum proximis habeat, certum est enim, quod qui non diligit proximum, nesciat Christum.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. VIII.

**A**scendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus. Ipse uero dormiebat, & accesserunt & suscitauerunt illum dicentes. Domine, salua nos perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modice fidei? Tunc surgens imperauit uentis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei.

**A**scendente Iesu in nauiculā, secuti sunt eū discipuli eius.) In hac nauigatione Dominus utramque unius eiusdemque suæ personæ naturam dignatur ostendere, dum is qui ut homo dormit in nauī, furorē maris, ut Deus uerbo coercet. Porro iuxta allegoriam, **marc**

**A**mare siue stagnum, quod cum suis transire desyderat, tenebrosus amarusque seculi præsentis accipitur æstus. Nauicula autem quam ascendunt, nulla melius quam Dominicæ passionis intelligitur arbor, cuius beneficio quicque fideles adiuti, emensis mundi fluctibus, habitationem patriæ celestis, quasi stabilitatem securi litoris obtinent. Quod autem ipse in unam nauiculam cum discipulis saluator ascendit, alibi quid significet aperit, cum prænunciatio suæ passionis resurrectionisque mysterio, mox dicebat ad omnes: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus.) Neque enim quisque poterat hunc mundum enauigare sine Christo, quando eos quoque, quibus Dominus adest, temptationum secularium sæpe procella perturbat, & *δινομοία* seruatur in Apostolis, ut aduersas sine temptatione neminem posse ex hoc uitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei, tentatio est, sed quasi peruigiles nocte gubernatorem excitemus uerum Deum.

Sine tentatione nemo ex hac uita migrat.

Erat autem illis uentus contrarius.) Ventus contrarius, diabolum significat, motus & fluctus blasphemiarum persequentium, demoniacis excitati procellis, quibus non ipse turbatur, sed discipulorum imbecillitas concutitur.

Ipse uero dormiebat.) Discipulis nauigantibus, Christus obdormiuit, quia calcantibus seculum fidelibus, futurique regni quietem animo meditantibus, & uel secundo spiritus sancti statu, uel proprii remigio conatus, infidos mundi fastus certatim post terga iactantibus, tempus subito Dominicæ passionis aduenit. Vnde bene Marcus, hoc imminente noctis tempore gestum fuisse perhibet, ut ueri solis occubitum, non sola Domini dormitio, sed & ipsa decedentis lucis hora significet.

Mar. 4.

Et accesserunt, & suscitauerunt eum, dicentes: Domine salua nos perimus.) Suscitant Dominum Discipuli, ne eo dormiente fluctuum feritate dispereant, quia cuius mortem uiderant, maximis uotis resurrectionem querebant. Ne si diutius ipse morte carnis sopiretur, eorum mens spiritali in perpetuum morte periret.

Et dicit eis, quid timidi estis modice fidei.) Bene arguunt qui præsentem Christum timebant, cum utique ei adhaerere perire non possent. Ergo confirmauit fidem, refudit tranquillitatem, uentum cessare præcepit, non Aquilonem, non Africum, sed illum utique uentum, cui dictum est ab angelo Michael in epistola Iudæ: In crepet te Dominus, **ludæ. 1.**

Tunc surgens, increpauit uentis & mari.) Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiant creatorem, quibus enim increpat & imperatur, sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia insensibilia esse, sed maiestate cōditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.

Tunc surgens, imperauit uentis & mari, & facta est tranquillitas magna in mari.) Ventum quippe surgens, increpauit, quia resurrectione celebrata, diaboli superbiam strauit, dum per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium. Tempestatæ aquæ, surgens cessare fecit, quia uesanam Iudæorum rabiem, quæ caput quatiens clamauerat: Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credemus ei, de sepulchro resurgendo labefecit.

Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia uenti & mare obediunt ei.) Non discipuli, sed nauitæ, & ceteri qui in nauicula erant, mirabantur, si autem quis contentiose uoluerit eos qui mirabantur fuisse discipulos, respondebimus recte homines appellatos, qui nec dum potentiam nouerant saluatoris.

**NORALITER.** Et nos quoque singuli cum signo Dominicæ crucis imbuti seculum inquirere disponimus, nauem profecto cum Iesu conscendimus, stagnū transfretare conamur, sed qui non dormitauit neque dormiet custodiens semper Israel, nobis tamen sæpe nauigantibus, quasi inter æquoris fremitus obdormiuit, quando crebescente inter medios uirtutum nisus, uel immundorum spirituum uel hominum prauorum, uel ipse nostrarum cogita-

Beda.

Beda.

Psal. 42.

Nescit Christum, qui non diligit proximum.

**C**ogitationum impetum, fidei splendor obtinebrefcit, spei celsitudo contabescit, amoris flamma refrigescit, uerum inter huiusmodi procellas ad illum necesse est gubernatorem curramus, illum seduli excitemus, qui non feruiat, sed imperet uentis, mox tempestates compescet, & refuset tranquillitatem, portum salutis indulget.

**Hiero.** ALLEGORICAE. Nauicula Ecclesia catholica est, motus in mari persecutio Christianorum, quae primum facta est in mundo, cui uentus erat contrarius, id est, diabolus. Tunc Dominus dormiebat, quando persecutiones fieri sinebat, qui suscitatur illo clamore Ecclesiae, de quo Psalmista ait: A sinibus terrae ad te clamaui, dum anxietur cor meum. Imperauit uentis & mari, quando persecutiones hominum à diabolo concitatas misericorditer iussit sedari. Et facta est tranquillitas magna, quando pax est uniuersali Ecclesiae reddita.

CONCORDIA. Hortatur nos Apostolus, ut nemini quicquam debeamus, sed ut inuicem diligamus, & quia timor non est in charitate, est tamen in debito. Increpat Dominus timentes Apostolos dicens: Quid timidi estis modicum fidei, ac si dicat: Illi timeant, qui debitorie diabolo tenentur obnoxij, uos qui cum liberatore estis, non est ultra quod timeatis.

LECTIO EPISTOLAE BEATI PAULI  
Apostoli. 1. Corinth. 9.



**N**escitis quod hij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium. Sic currite ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi qui dem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum. Sic pugno, non quasi aërem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs praedicauerim, ipse reprobus efficiar. Nolo enim uos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra. Petra autem erat Christus.

**N**escitis quod hij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium.) Hic stadio cursum iustitiae uel fidei comparauit, quia quomodo illic cum omnibus intra stadium currant, non nisi qui bene current, dignus praemio iudicatur, ita & hic, quamuis intra fidei metas cuncti credentes contineantur, soli tamen qui iuste uixerint praemium coeleste, quod Graece dicitur εὐαγγέλιον, percipiunt, & quia inter eos, qui in stadio currunt, unum accipientem palmam significat, id est, ille qui fidem rectam tenuerit, & praecipua seruauerit. Hortatur nos hoc modo currere, ut coelestia praemia mereamur comprehendere.

Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.) Ἀγώνιστής Graece, Latinae certamen dicitur. Ergo omnis ἀγωνιστής, id est, certator, qui ad capiendum contendit brauium, ab omnibus se abstinet, id est, ab omnibus elcis, quae cursum eius impedire conueniunt.

**Psalm. 4.** Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.) Illam de qua Psalmista ait: Scuto bonae uoluntatis tuae coronasti nos, corona enim uictoria interpretatur. Gratias agamus Deo, & deprecemur illum, ut in bona uoluntate sua, ipse sit securum, & corona, & brauium uictoriae nostrae.

Ego igitur sic curro non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem uerberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs praedicauerim ipse reprobus efficiar &c.) Non in uacuum curro, aut in incertum aërem uerbero, uel lingo certamen, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.

**A** redigo per abstinentiam & afflictionem atque labores, sicut alibi ait: In ieiunijs multis, in uigijs, in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus, in carceribus &c. Ne forte cum alijs praedicauerim ipse reprobus efficiar, non faciendo quod dico.

ALITER. Ego sic curro, non quasi in incertum. In mundiali cursu si unus prior accesserit, incassum ueniunt qui sequuntur. Ceterum in spiritali cursu, certi sumus, quod omnes accipiant qui usque in finem, collata à Deo dona custodiunt, & qui propter humanum fauorem praedicant, certus esse de mercede non potest.

Non quasi aërem uerberans &c.) Id est, non studio uanitatis aliquid ago, sed Christo, cordis intentione & corporis mortificatione deseruiuo.

Ne ipse reprobus efficiar.) Reprobus efficitur qui tantum uerbo docet, non exemplo, qui suam reprobarum facit esse doctrinam.

Nolo enim uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes sub nube fuerunt.) Sub nube dicit, illa quae eos praecedebat columna, quae figuratiter Christum significabat. Nobis enim Christus columna est, quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem nostram, per noctem lucens, per diem non lucens, ut qui non uident uideant, & qui uident ceci sint. Ioan. 6.

Et omnes in mare transierunt, & omnes in Moysem baptizati sunt, in nube & in mari.) Ruber in mari rubro. Baptismus utique Christi sanguine consecratus, hoc est, qui sequitur à tergo, moriuntur, peccata praeterita signantur. Moses qui de Aegypto populum Dei liberauit, Christi figuram gerebat.

Et omnes eundem escam spiritalem manducauerunt.) Escam dicit spiritalem mannam, quam populus in deserto manducauit. Manna autem typus est Escae spiritualis, quae in resurrectione Domini ueritas facta est, in Eucharistiae mysterium. Iste est & panis angelorum, id est, Christus quem manducauit homo, quia per eum & angeli uiuunt & homines.

Et omnes eundem potum spiritalem biberunt, bibebant autem de spiritali, consequente eos petra, petra autem erat Christus.) Ostendit Apostolus, quoniam populum Israel, quamdiu in deserto fuerunt, sequebatur eos petra, per omne iter eorum, unde populo & omni substantiae eius fluente sufficerent, donec uenientes in terram Moab, puteum sibi foderent aquarum. Quod autem in sequenti dicit, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, hunc habet sensum. Ne quis sibi aut in Baptismo confidat, aut in Esca spiritali uel potu spiritali. Sed si quis aut baptismum uiolauerit, aut post perceptionem cibi coelestis, male uixerit, contritiones quas filij Israel praesenti afflictione perpeffi sunt, ille grauius in futuro, qui maiora beneficia neglexerit, sustinebit. Quare dixit, de consequenti eos petra bibere aquam, quia Christus quem haec figurabant, postea uenturus erat.

EVANGELIUM SECVNDVM MATHEVM. CAP. XX.



**S**imile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in uineam suam. Et egressus circa horam tertia uisit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis: Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam uero exiit & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicit ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & uos in uineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit Dominus uinea procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usque ad primos. Cum uenissent ergo qui circa undecimam horam uenerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

Et acci-

**C** Et accipientes murmurabant aduersus patrem familias dicentes: Hic nouissimus una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus dici & estus. At ille respondens uni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade. Volō autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod uolo facere, an oculus tuus nequus est, quia ego bonus sum. Sic erūt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

**Gregorius.** Simile est regnum cœlorum, homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in uineam suam. Quis uero patris familias, similitudinem rectus tenet, quam conditor noster, qui regit quos condidit & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos Dominus in domo, qui habet uineam uniuersalem, scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel iusto, usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque pater familias ad excolendum uineam suam. Mane hora tertia, sexta, nona & undecima operarios conduxit, quia à mundi huius initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium, prædicatores congregare non desistit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe, hora uero tertia à Noe usque ad Abraham. Sexta quoque, ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem à Moysen usque ad Aduentum Domini. Undecima uero, ab Aduentu Domini usque ad finem mundi, in qua prædicatores sancti Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam, & tarde uenientes acceperunt. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, nullo tempore desistit mittere operarios, quia & prius per patres, & post modum per legis Doctores, & Prophetas. Ad extremum uero per Apostolos, dum plebi suæ mores excoluit, quasi per operarios in uineæ culturæ opera laborauit, quamuis in quolibet modulo, uel mensura, quisquis cum fide recte bonæ actionis exstitit, huius uineæ operarius fuit. Operator ergo mane hora tertia, sexta & nona, antiquus ille & Hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio, dum recte Deum studuit colere, quasi non desistit in uineæ cultura laborare.

**D** Ad undecimam uero gentiles uocantur, quibus, & dicitur: Quid hic statis tota die ociosi, qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro uita sua laborare neglexerant, quasi tota die ociosi stabant. Penſate fratres, quid inquisiti respondeant. Dicunt enim, quia nemo nos conduxit, nullus quippe ad eos Patriarcha, nullus Propheta uenerat. Et quid est dicere ad laborem nemo nos conduxit, nisi uitæ nobis uias nemo prædicauit. Quid ergo nos à bono opere cessantes, in excusatione nostra dicturi sumus, qui pene à matris utero ad fidem uenimus, qui uerba uitæ ab ipsis cunabulis audiuiſimus, qui ab uberibus sanctæ Ecclesiæ, potum supernæ prædicationis sumpſimus cum lacte carnis. Possumus uero & easdem diuersitates horarum etiam ad unum quemque hominem, per ætatum momenta distinguere. Mane quippe Intellectus nostri pueritia est, hora autem tertia Adulescentia intelligi potest. Quia quasi iam sol in altum proficit dum calor gratus crescit. Sexta uero Iuuentus est, quia uelut sol ab alto axe descendit, quia grās à calore iuuentutis deficit. Undecima uero hora, Etas est, quæ decrepita uel ueterana dicitur: Unde & Græci ualde seniores, non γερωνία, sed γεροντία appellant, ut plusque senes esse insinuarent, quos profectiores uocant. Quia ergo ad uitam bonam alius in pueritia, alius in adulescentia, alius in iuuentute, alius in senectute, alius in decrepita ætate perducitur, quasi diuersis horis operarii ad uineam uocantur.

**CONCORDIA.** In hoc istarum duarum sit concordia lectioſum, quia sicut Apostolus currenti brauium, ita Euangelium tribuit perseverantibus in labore denarium, & quod Euangelium dicit, multi uocati. Hoc Apostolus ait: Omnes quidem currunt, & quod in Euangelio pauci electi, hos Apostolus dicit, propter unitatem corporis Christi, unus accipit brauium.

**DOMINICA IN SEXAGESIMA. LECTIO. EPISTOLÆ**

Beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 2. Cap. 11.



**I**libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Sustinet enim si quis uos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem uos cedit. Secundum ignobilitatem

**A** tatē dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte, in quo quis audeat. In insipientia dico, audeo & ego: Hebraei sunt & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semē Abrahæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt, & ego, ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundatius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, unamini nus accepi. Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragiū feci, nocte ac die in profundo maris fui, in itineribus sepe. Periculis fluminū, periculis latronū, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & ærumna, in uigilijs multis. In famæ & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror. Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quod non mentior. Damasci prepositus gentis Aræthæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Et si gloriari oportet, non expedit quidem. Veniam autem ad uisiones & reuelationes Domini. Scio hominē in Christo ante annos quattuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi usque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominē, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi in paradysum, & audiuit archana uerba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si uolero gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam: Parco autem ne quis me existiment, supra id quod uidet in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ. Angelus Sathang, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogauit, ut discederet à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut in habitet in me uirtus Christi.

**B** Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Hoc est dicere, miror cum sapientes sitis, tam facile insipientibus consensisse, & si illos praua prædicantes libenter audistis, me utilia uobis loquentem multo magis audire debetis, breui reprehensione perstringit, quomodo imperitis doctoribus ad quiescant dicendo.

Sustinentes enim, si quis uos in seruitutem redigit. Id est, illos auditis, & illis præbetis obedientiam, qui uos legis uolunt subdere seruituti, uel superbiæ sacerdotum, qui in populo Iudæorum uidebantur exercere dominatum.

Si quis deuorat. Id est, si qui uel conuiujs, uel muneribus uos exhauriunt.

Si quis accipit. Id est, si quis dixerit uerbis adulationis. Accipere enim gratum habere est. Accepta enim illa dicimus, quæ nobis grata esse monstrantur. Aut certe à uobis accipit, quod cupiditas eius poposcit, sicut superius dictum est: Deuorat uos in conuiujs, accipit in muneribus, uel accipit, dicit rapit, unde & illæ aues, quæ rapiunt, accipitres uocantur.

Si quis extollitur. Id est, superbia Iudaica sustinetis, quis uel de scientia uel de generis

ueris præsumptione inflatur.

Si quis in faciem uos cædit.) Hoc est, si quis uos etiam præsentem obiurgat.

Secundum ignobilitatem dico.) Ac si diceret, ignobilem rem facio, ut aliquid de generis nobilitate mihi uideam. Magna est ignobilitas, si quis filius Dei per regenerationem factus est, de terrena & carnali nobilitate se iactet.

Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte.) Id est, quasi nos in hac parte ab illis minus aliquid habeamus, & non magis uobis uera & fortia prædicemus.

In quo quis audeat, in insipientia dico, audeo & ego.) Hoc possum audeo, si uolo. Hic se Apostolis comparat laborum suorum contemplatione.

Hebræi sunt, & ego; Israëlita sunt, & ego; Semen Abrahæ sunt, & ego.) Hoc est, si in hoc gloriantur, quod Hebræi sunt, aut Israëlita, aut semen Abrahæ, & ego gloriari possum, quia huius sum generis.

Ministri Christi sunt, & ego.) Notandum, quia si quis saltem de Christi ministerio gloriatur, non sapienter gloriatur.

Io, Chry.

Utinis sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum & c.) Non dixit tantis prædicauit, sed dimittens omnia præclara facinora, sua mala, quæ tolerauit, enumerat, uel, ut Ierlem passionum & gloriæ occasiones.

A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi.) Quinq; uicibus tricenæ & nouenas, quasi transgressor legis accepi.

Beda.

Dent. 25.

Quod dicit: A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi, significat, se à Iudæis quinquies flagellatum, ita tamen, ut nunquam quadraginta, sed una minus feriretur. Præceptum namq; erat legis, ut qui delinquentem uerberaret, ita modum uindictæ temperaret, ut plagarum modus quadragenarium numerum minime transcederet. Quod ita ab antiquis intellectum testatur etiam pictura eiusdem libri, quæ reuerendissimus ac doctissimus uir Cuduinus,

Liber passio-

nes Pauli de-

pictas habens.

Orientalium Anglorum antistes, ueniens à Roma, secum Britanniam detulit. In quo uidelicet libro, omnes pene ipsius Apostoli passiones siue labores, per loca oportuna, erant depictæ, ubi hic locus ita depictus est, quasi denudatus iaceret Apostolus, laceratus flagris, lacrymisq; perfusus, superadstare autem ei tortor, quadrifidum habens flagellum in manu, sed unam e fidibus in manu sua retentam, tres uero reliquas solum ad feriendum habens exertas. Vbi pictoris sensus facillime patet, quod ideo ternis fidibus eum fecit uerberari, ut unde quadragenarum plagarum numerum completeret, si enim quaternis fidibus percuteret, decies percutiens, quadragenas plagas faceret, si uero ternis ter decies feriens, unde quadraginta plagas impleteret.

Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum & c.) Potest fieri, quod à Gentibus ista pertulerit, sed hæc in Actibus Apostolorum non omnia reperiuntur, quia nec in Epistolis omnia continentur, quæ in eadem historia scripta inueniuntur.

Acto. 14.

Quod aut dicit: Semel lapidatus sum, sic habes in Actibus Apostolorum, superuenit quidam ab Antiochia, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidantesq; Paulum, traxerunt extra ciuitatem, æstimantes eum mortuum esse.

Acto. 16.

Quod autem dicit se esse uirgis cæsum, habes ibi in Actibus Apostolorum, quia cum essent in parte Macedoniæ, in ciuitate colonia, pro puella quadam habente spiritum Phrytonis, quam Paulus sanauit, concurrunt plebs aduersus eos, & Magistratus, & scissis tunicis eorum, iusserunt uirgis cædi. Et cum multas plagas ei imposuissent, miserunt eum ad carcerem, & alibi, iussit eum tribunus introduci in castra, & flagellis cædi, & torqueri, & loris adstringi. Pro his & similibus dicit: In carceribus abundantius, in plagis supra modum.

2. Corin. 6.

Ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus.) De genere & Gente Iudæorum dicit, quando facta est concursio populis Iudæorum, & ad præhædentes Paulum, trahabant eum extra templum, uel quando Princeps Sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi, percutere os eius, Nam & gens eius Iudæi quæ-

Acto. 23.

rebant cum occidere.

periculis

A Periculis in mari.) Quando nauigantes periclitabantur & impegerunt nauem ad litus, quæ prora fixa manebat immobilis, puppis uero soluebatur à ui maris, & alij natando alij uero in tabulis serebantur ad litus. Acto. 27.

Periculis in falsis fratribus.) Illi uero de quibus alibi dicit, quia subintroierunt explorare libertatem nostram. Gala. 2.

In labore & ærumma, in uigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, & reliqua.) De quibus unum de Actibus Apostolorum testimonium demus, & cū multa ieiunatio fuisset, inquit, & lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima hodie die expectantes, ieiuni permanetis nihil accipientes, propter quod rogo uos adsumere cibum pro salute uestra, quia nullius uestri capillus de capite peribit, & cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo, & cum fregisset cepit manducare. Acto. 28.

Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.) Ac si diceret, præter illa quæ iam usitata sunt, & ipsa consuetudine leuiora putantur, quæ sit illa sollicitudo in consequentibus ostendit, dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? 2. Cor. 11.

Deinde infert aliud facinus præclarum, & in hoc rursus plus passionis aliquid inuenimus, quoniam ipsius facti magnificum dicens: concursus mei quotidiani, easq; superueniret frequentes uidelicet conturbationes. Sollicitudo omnium Ecclesiarum. Non dixit, correctio, quia plus habet de passione quam de uirtute. Quis infirmatur, & non ego? Non dixit corrigo, sed infirmor. Quis scandalizatur, & ego non urorid est, particeps sum mæroris effectus. Si itaq; passionibus, magnas habet mercedes, omnibus in passionibus peius & perniciosius est animi defectus atq; tristitia. Io. Chry.

Si gloriari oportet.) Si uolunt gloriari, in his glorientur, in quibus ego, licet cœtus, sed quia hæc non habent, ideo in carnalibus gloriantur.

Quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.) Hæc quæ superius dixit, infirmitatis nomine designauit, quod humanæ infirmitati ista præualeant.

B Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quod non mentior.) Rem quasi difficilem dicturus, quod Iudæi contra eum etiam Gentium principes conuassent, ante Dei testimonium implorat, ne uerè hoc iactantiæ putaretur, quod aduersus eum regna furrerint, & nihil potuerint præualere. Ideo autem numerat hæc, ut ostendat quid interit, inter ueros & falsos Apostolos.

Damasci præpositus gentis Arethæ Regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in porta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.) Præpositus gentis illius erat, cui regnabat Aretha. Nunquid iam dicemus Paulum mortem timuisse, quam se pro Iesu amore testatur appetere, sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & grauem laborem, ad laborem se alibi cum fructu seruauit, fortis etenim præliator Dei teneri intra claustrum noluit, certaminis campum quæsiuit.

Et si gloriari oportet, non expedit quidem.) Nec mihi quidem expedit secundum humilitatem, sed ut aliqua de me proferam supradicta necessitate compellor.

Veniam autem ad uisiones & reuelationes Domini.) Ac si diceret, infirmitates meæ sunt, uisiones autem non sunt meæ sed Domini.

Scio hominem in Christo, ante annos quatuordecim, siue in corpore, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi usq; ad tertium cœlum.) Siue de se dicit, & causa humilitatis, quasi de alio loquatur, siue de alio, utrumq; stare potest.

Sanctus Ambrosius in libro Exameron sic dicit: Vtrum unum sit cœlum an plures, contentio est. Dum alij multos esse asserant, alij autem præter unum, alios esse negent, sed in Ecclesiastici celsis libris, cœli cœlorum leguntur, & Apostolus usq; ad tertiam cœlum fuisse se intelligit raptum, sed de numero eorum nihil sibi præsumat humana temeritas, fecit autem eos Deus non informes uel confusos, sed ratione quadam ordine suo distinctos. Ambro.

f 2 Ante



**C** Ante annos quatuordecim.) Intuere quanta necessitas ei incumbat loquendi, ut quod quatuordecim annos celerauerat, postmodum prodere cogeretur. Quod iterum repetit: Et scio eiusmodi hominem, siue extra corpus, nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradysum, ostendit alteram fuisse uisionem, quæ etiam euidenter apparuit, & cum corpore se crederet fuisse translatum.

Et audiuit archana uerba, quæ non licet homini loqui.) Archana, id est abscondita, quæ nulli fas est dicere, siue quæ impossibile est, humanam enarrare naturam.

Pro eiusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.) Siue pro eiusmodi uisione, pro me autem nihil, siue pro mea uirtute, quia non est mea, sed Domini reuelatio, & ideo non mihi, sed Deo gloriam dabo, in infirmitatibus meis, id est, in tribulationibus quas pro Christo sustineo, & ideo labor, qui afflictionibus plenus est, habere potest consolationem, habere non potest uanitatem.

Nam & si uoluerò gloriari, non ero insipiens.) Insipiens reperitur, qui remota cordis humilitate, uel defalsa, uel etiam de uera sibi laude blanditur.

Veritatem enim dicam, parcam autem, ne quis me existimet supra id quod uidet me.) Sunt & occulta, quæ possim in ueritate proferre, sed parco, id est, non facio, sufficiunt manifesta, etiam si celentur abscondita. De his me tantum existimet unusquisque quæ uidet in me, aut audiuit ex me.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ.) Celo quidem reuelationes, sed ne me uel in secreto cordis extollant, necessariæ sunt mihi contritiones, quæ me hominem esse commemorent.

Ut me colaphizaret.) Colaphizabat eum sathanas, tribulationes & pericula suscitando, aut incommoda corporis inferendo. Quidam enim dicit eum dolore capitis laborasse.

**D** Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me, & dixit mihi:

Sufficit tibi gratia mea.) Aduertimus etiam sanctos interdum contrarium aliquid postulasse. Simul discimus, quia importuna petitio, uel responsio mereatur, si non sortitur effectum, & Domini dispensatio hoc ipsum, quod aliquando non præstat, intelligitur præstuisse. Sufficit tibi gratia mea, id est, si quam habes, siue quam quotidiana largitate tibi suggero, ac subministro.

Nam uirtus in infirmitate perficitur.) Sicut in sancto Hiob, uel Eleazaro. In sustinenda infirmitate corporea, uirtus animi demonstrat, quæ tentatum probat, & commendat probatum.

Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.) Libenter utique postquam prodesse, cognouit quod nocere credebatur.

Ut inhabitet in me uirtus Christi.) Quando de afflictionibus sanctorum laborum crescit cordis humilitas, & spes futuræ retributionis confortat animum, & animam Christi uirtus inhabitat.

## EVANGELIUM LUCÆ. CAP. VIII.



Um turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hęc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hęc parabola: Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse mysterium regni

**A** gni Dei, ceteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autem hęc parabola: Semen est uerbum Dei, Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitiis & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

**C** Vm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum, Et dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres cœli comederunt illud.)

Hanc parabolam Dominus ideo per seipsum exponere dignatus est, ut figurate se loqui innotesceret, rerumque significationes in his etiam, quæ per semetipsum uoluit explanare, doceret esse quærendas. Sed quia semen, quod uerbum Dei sit, terramque uariam, quod diuersum cor auditorum significet, ipse Dominus aperuit. Saluatorem, quem nobis quærendum reliquit, nullum melius, quam filium Dei intelligere possumus, qui exiit seminare semen suum, quia de sinu patris, quod creaturæ non erat accessus, egrediens. Ad hoc uenit in mundum, ut testimonium perhiberet ueritati. Vnde bene iuxta Euangelistas alios, hanc parabolam dicitur, de domo exiisse, mare adiisse, nauem cõscendisse perhibetur, ipsum nimirum situ corporis, quod processu sermonis insinuans. Quæ Dominus exposuit, pia fide suscipienda sunt, quæ autem tacitæ nostræ intelligenti dereliquit, perstringenda sunt breuiter. Semen quod secus uiam cecidit, duplici lesura disperijt, & à uianibus scilicet conculcatum, & à uolucris rapum. Via est ergo cor sedulo malorum cogitationum transitu attritum atque arefactum, ne uerbi semen exciperet ac germinare sufficiat. Atque ideo quicquid boni seminis uicina talis uitæ contingit, pessime cogitationis meatu conculcatum à dæmonibus eripitur, qui uolucres cœli, siue quia cœlestis spiritalis sunt naturæ, seu quia per aera uolitant, appellantur.

Et aliud cecidit supra petram & natum aruit, quia non habebat humorem.) Petram dicit durum & indomitum cor, ac nullo uere fidei uomere penetratum, hoc est, humor ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades uirginum nutriendas, id est, amor & perseuerantia uirtutis.

Et aliud cecidit in terram bonam & ortum, fecit fructum centuplum.) Fructum centuplum dicit fructum perfectum, nam denarius numerus pro perfectione semper accipitur, quia in decem præceptis legis custodia continetur. Actiua enim & contemplatiua uita simul in decalogi mandatis coniuncta est, quia in eo & amor Dei, & amor seruari proximi iubetur. Amor quippe Dei ad contemplatiuam uitam, amor uero proximi pertinet ad actiuam. Denarius enim numerus per semetipsum multiplicatus, in centenarium surgit. Vnde recte per centenarium magna perfectio designatur, sicut de illo qui sua pro Domino terrena reliquit, dicitur: Centuplum accipiet & uitam æternam possidebit. Quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, & hic perfectionem mentis recipit, ut iam ea non appetat quæ contemnit, & in sequenti seculo ad æternam uitæ gloriam peruenit. Terra ergo bona fructu centuplo foecundatur, quando cor docile uirtutum spiritalium perfectione donatur.

Hęc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi audiat.) Quoties hęc admonitiuicula uel in Euangelio uel in Apocalypsi Ioannis interponitur, mysticum esse quod dicitur, quærendumque à nobis intentius ostenditur.

Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hęc parabola.) Nemo putet finita mox parabola discipulos hęc interrogasse saluatorem, sed ut Marcus ait: Cum esset singularis interrogauerunt eum, hi qui cum eo erant duodecim parabolas, & dicebat eis: Vobis datum est, nosse mysterium regni Dei & cætera.

Christus figurateloquutus.

Matth. 13.

Matth. 13.



**C**æteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.) Marcus ita dicit: Illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt. Ideoq; & nos cum discipulis Christi in remus in sanctuarium Dei, ut intelligamus in nouissima misteriorum regni Dei. Nam qui adpropinquat pedibus eius, accipiet de doctrina illius, dicentes eum Psalmista: Reuela oculos nostros, & considerabimus mirabilia de lege tua. Recte quippe in parabolis audiunt, & in enigmate, qui clausis sensibus cordis, neq; intrare neq; curant cognoscere ueritatem, obliuiscuntur dominicæ præceptionis: Qui habet aures audiendi audiat.

Qui autem secus uiam, hi sunt, qui audiunt, deinde uenit diabolus & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.) De hoc semine Marcus ita scribit: Hi autem sunt qui circa uiam, ubi seminatur uerbum, & cum audierint confestim Satanas auferit, Mathæus ita ait: Omnis qui audit uerbum regni, & non intelligit, uenit malus, & rapit, ex quo manifeste docetur eos circa uiam seminatos, qui uerbum, quod audiunt, nulla fide, nullo intellectu, nulla saltem temptante utilitatis occasione percipere dignantur. Porro super petrosa & in spinis, ut Dominus exponit, seminantur, hi qui auditum quidem uerbi & utilitatem probant, & desiderium gustant, sed ne ad id quod probant perueniant, huius uitæ eos uel aduersa terrendo, uel prospera blandiendo retardant, contraq; utraq; damna semen quod acceperat tutari curabat, qui ait: Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriâ & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut seductores & ueraces. His ergo tribus terræ generibus scito omnes qui uerbum auditum non faciunt, esse designatos, à quibus omnibus, qui semen acceptum seruat terra bona est. Excipiuntur sane Iudæi & Gentiles, qui nec audire quidem merentur.

Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt & à sollicitudinibus, & diuitiis & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur & non referunt fructum.) Mirum quomodo Dominus spinas diuitias interpretatus sit, cum ille pungant, istæ delectant. Et tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctationibus mentem lacerant, & cum usq; ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto uulnere creuant, quas bene in hoc loco, alio Euangelista testante, nequaquam Dominus diuitias, sed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt, solæ autem diuitiæ ueræ sunt, quæ nos diuites uirtutibus faciunt. Notandum uero est, quod exponens Dominus dicit: Quia sollicitudines & uoluptates & diuitiæ suffocant. Suffocant enim, quia importunis cogitationibus suis, guttur mentis strangulant, & dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum status uitalis necant. Notandum etiam quod duo sunt, quæ diuitiis iungit, sollicitudines uidelicet & uoluptates, quia profecto & per curam mentem obprimunt, & per affluentiam resoluunt. Res enim contrariis possessores suos, & afflictos & lubricos faciunt. Sed quia uoluptas conuenire cum afflictione non potest, alio quidem tempore per custodiam sollicitudinem affligunt, atq; alio per abundantiam ad uoluptates emoluiunt.

Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.) Bona terra, ut prædiximus, omnibus tribus terræ, nequaquam uarietibus contraria facit, & libenter uidelicet semen uerbi suscipiendo, & quod suscipit inter aduersa & prospera patienter ad fructus usq; tempora seruando, aliter bona terra fructum per patientiam reddit, quia scilicet, nulla sunt bona quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximorum mala toleremus. Quanto enim quisq; altius profecerit, tanto in hoc mundo inuenit, quod durius portet, quia dum à præsentis seculo mentis nostræ dilectio desicit, eiusdem seculi aduersitas crescit, hinc est enim, quod pleroseq; ceruimus, & bona agere, & tamen sub graui tribulationum fasce defudare. Sed iuxta uocem Domini, fructum per patientiam reddunt, quia cum humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter suscipiuntur. Quod uero secundum Mathæum dicitur, & fructum afferit, & facit aliud quidem centum, aliud autem sexaginta. Porro aliud triginta, triginta referunt ad nuptias. Nam & ipsa digitorum coniunctio, & quasi molle osculo se complectens & fœderans maritum pingit & coniungit. Sexaginta ad uiduas, eo quod in angustia & tribulatione sint posite. Unde & in superiori digito deprimuntur, quantoq; maior est difficultas, ex parte quondam uoluntatis inlecebris abstinere, tanto maius & præmium. Porro centesimus numerus quæso dili-

**A** diligenter lector adtende. A sinistra transferuntur in dextram, & ipsæ quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in leua manu nuptiæ significantur, & uiduæ circulum faciens, exprimit uirginitatis coronam. Aliter, fructum tricesimum uerbum profert, quod fidem sanctæ trinitatis ædificat. Sexagesimum, quod operis perfectionem docet, quia sex dies sunt in quibus oportet operari. Centesimum, quod ad dextram regni uitam prædicat æternam.

**CONCORDIA.** Verbum ueritatis Corinthi ab Apostolis acceperant, sed hoc falsarijs consentienti perdidit, quos Apostolus increpans ait: Miror cum sapientes sitis, cur libenter insipientibus consentitis. Quibus Euangelica bene concordat sententia, ubi ait: Venit diabolus & tollit uerbum de corde eorum.

IN QUINQUEVAGESIMA EPISTOLA  
beati Pauli Apostoli ad Corinth. capite. XIII.



**S**ilinguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut es sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim omnia mysteria, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est, charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem ueritati. Omnia suffert omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidet. Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Cum essem paruulus loquebar, ut paruulus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut paruulus. Quando autem factus sum uir, euacuauit quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem his est charitas.

**S**ilinguis hominum loquar & angelorum.) In his locis hoc studet Apostolus, ut quia nonnulli magno desiderio requirebant dona linguarum, ut illis benignitate præferat charitatis, qua in proximi charitate proficeret, quia signa propter infideles dantur, charitas uero angelos immitatur.

Factus sum uelut es sonans.) Id est, quod non pertinet ad aliquid animæ commodum, sed solum reddit sine utilitate tinnitum.

Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia & omnem scientiam.) Prophetia quæ futura pronuntiat, scientia mysteriorum, quæ occulta aperit scripturarum, hæc magna per se sunt, sed charitati comparata, ita & meritis post ponuntur, ut sine ea diu nequeant possideri, ita ergo sine charitate parum utilia inueniuntur. Charitas uero intra se etiam ista complectitur, non mirum est, si charismatum partibus præferatur, quæ uirtutum perfectio & legis est plenitudo, sicut legimus: Plenitudo legis, est dilectio, & iterum: Dilectio proximi malum non operatur, sine hac quælibet fides habere perseverantiam non potest, & quia finem bonorum in se non habet, in fine deficiet.

Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem non habuero nihil sum.) Hic intelligitur magna fides esse, quæ in Euangelio grano sinapis comparatur, quod non propter modicitatem, sed propter integritatem, uel uigorem adpositum

Mar. 4.  
Math. 13.

1. Cor. 6.

Greg.

Fallaces diuitiæ.

D

Triginta

Sexaginta.

Centum.

B

Prophetia.

**C** est. Notandum quod inter cætera etiam omnis fides, quæ montes transferat, sine charitate non profit.

Et si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodest.) Distributio facultatum, & contemptio facultatum, & contemptus presentium etiam penes gentiliū Philosophos iuuenitur, & nonnulli Paganorum corpus ignibus propter humanam gloriam tradiderunt. Si ergo ira contra proximum uel malitia in corde tenetur martyri gloria adiri potest, consummari non potest. Sicut in Euangelio legitur: Multi dixerunt mihi in illa die, Domine, Domine. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus, & tunc dicam illis: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, isti ergo labores suos, uel dilectione neglecta, uel uanitate suscepta, uel subsequente operum iniquitate perdidierunt.

**Charitas patiens est.)** Modo singillatim describit ipsa membra, & species charitatis. Sicut qui diligunt filios, omnes eorum patienter portant iniurias, ita qui uel proximum uel Deum diligit, nullius superatur iniurijs.

**Charitas non æmulatur.)** Aemulatio & imitatio & inuidia intelligitur. Imitatio ubi ait: Aemulamini charismata meliora. Hic autem pro inuidia dicit: Charitas non æmulatur, id est, nulli inuidet. Nemo enim illi, quem uere diligit, inuidit cuiuscumque gloria uideat uel honoris, sed omnem eius felicitatem, quasi suam libenter amplectitur.

**Non agit perperam.)** Perperam dicitur non recta, sed peruersa, quod charitas non agit, quia omnia secundum ordinem facit, & omne uitium foras penitus excludit.

**Non inflatur.)** Id est in superbiam, quæ mater est uitiorum, non extollitur, quia plenitudinem studet possidere uirtutum.

**Modus iste locutionis considerandus est diligenter.** Non enim per se ipsa charitas, aut non emulari poterit, aut non inflari, sed omnis homo, qui eiusdem sit particeps charitatis, non inflatur neque æmulatur, reuera, ut ipsius charitatis dono ditatus. Eo modo locutionis, alibi utitur Apostolus dicens: Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficemur iustitia Dei in ipso, dum non iustitia credentes efficiamur, sed participes iustitiæ, hoc est, iusti per fidem inueniamur in Christo. Peccatum uero dicit, sacrificium pro peccato, ut Elaias ait: Peccata populi mei comedent, id est, oblata in sacrificium pro peccato.

**Non est ambitiosa.)** Ambitiosus dicitur superbus, eo quod honores ambiat, quod charitas non est, quia maior alijs esse, non ambit quæ summū gradum in humilitate constituit.

**Non querit quæ sua sunt.)** Id est, non cogitat tantum, quod sibi utile est, sed quod alijs utiliter seruiendo ministrat.

**Non irritatur.)** Id est, alienis iniurijs prouocata, quia ab eo quem diligit prouocari non potest, nec ad aliquam passionem moueri.

**Non cogitat malum.)** Non solum non facit, sed ne cogitat quidem. Magna uirtus est charitas, quæ malum etiam à sensu cogitationis excludit.

**Non gaudet super iniquitatem.)** Id est, contristatur si aliquem uel fecisse iniquitatem uel pertulisse conspexerit.

**Congaudet autem ueritati.)** Id est, uel de bonis operibus, uel de fide & ueritate cõsgaudet cuius bonum uidet à proximo possideri.

**Omnia suffert & c.)** Leuem enim ducit proximi sui culpam dum aut emendatione eius expectat, aut mercedem sibi de longanimitate promittit.

**Charitas nunquam excidit.)** Non excidit dicit, id est, elapsa non est, uel non excessit, ipsa enim sola permanet in futurum, uel certe, quia uera est, non mutabitur uel finitur.

**Sive Prophetiæ euacuabuntur & rel.)** Ista quæ ad homines permanent consummabuntur, illa, quæ ad affectum proximi & ad charitatem Dei proficit, permanebit.

**Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus.)** Nunc non omnia scimus, nec omnia prophetamus, & sic ista destruuntur, ut proficiant, per ista enim ad illa uenimus

niemus, ac sic euacuabuntur, dum umbram ueritas & spem res ipsa submouerit.

**A** Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.) Ex parte est, quod in speculo & in enigmate affectu desiderantis inquiritur. Perfectum est, quando id quod in expectatione promittitur, sanctis in possessione donatur.

Quod certe uetus à noua lege perpessa est, nec tamen continuo aduersus nouæ legis loquitur dignitatem, cum tamen nobis cælorum regno potentibus, illam quoque cessaturam esse dicamus, sed quamuis maiora succedant, hanc tamen nihilominus confitemur, ubi quia ampliora sunt præmia & eminentior sancti spiritus gratia, consequenter requirentur etiam maiora certamina.

**Cum essem paruulus loquebar, ut paruulus.)** Exemplo carnalis incrementi, spiritualis uult monstrare profectum.

Sic ergo hominum mirabilium in hac uita prophetia ita comparanda est illi uitæ, quasi paruuli ad iuuenem. Vidit tamē Heliſeus accipientem munera seruum suum, ubi ipse non erat. Ita cum uenerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile adgrauauerit animam, nihil impedit, illis sanctis ad ea quæ uidentur sunt, oculi corporei.

**Quādo factus sū uir, euacuauit ea quæ erāt paruuli.)** Ostendit quomodo euacuatur illa quæ superius memorauit, quasi paruuli qui non possimus ferentissima cordis acie perfectæ lumen perspicere ueritatis.

**Videmus nunc per speculum.)** Id est, in figura & per speculū fidei & per intellectum legis quasi, imaginem rerum uidemus.

**In enigmate.)** Aenigma est obscura parabola, quæ difficile intelligitur, sicut nomine speculi imaginem uoluit intelligi, ita nomine enigmate, quamuis similitudinem, tamen obscuram, & ad perspicendum difficilem uoluit intelligi. Nomen quippe non sonaret enigmate, si esset facilitas uisionis.

**Tunc autem facie ad faciem.)** Id est, cum ante oculos præsentata fuerint quæ sperantur.

**B** Tunc autem cognoscam sicut cognitus sum.) Sicut me perfecte nouit Deus, ita tunc ego, quæ sunt Dei, mentis capacitate cognoscam.

**Nunc autem manent, spes, fides, charitas, tria hæc.)** Fides in spem proficit. Spes uero ad charitatem. In præsentem uero tria sunt, in futuro, sola charitas sanctorum & angelorum & Dei, quicquid fides & spes promiserat, consummabit, Maius ergo est, quod semper erit, quam quod aliquando cessauit.

## EVANGELIUM LUCÆ. CAP. XVIII.

**A** Sumpsit Iesus duodecim discipulos suos, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: Tradetur enim gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, & non intellexerunt quæ dicebantur. Factum est autem cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat secus uiam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazareus transiret. Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse uero multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset interrogauit eum, dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: Domine, ut uideam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit, & sequebatur illum.

Io. Chry.

Primaf.

Ambro.

Primaf.

Amb.

Aenigma.

Speculum.

Mat. 2.

Charitatis  
fructus.

Vulg.

D

Citur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs, ut uidit, dedit laudem Deo.

**A**dsumpsit autem Iesus duodecim & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolimam, & consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum, & die tertia resurget.)

**Greg.** Praeuidens saluator, ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis longe ante, & eiusdem passionis poenam, & resurrectionis suae gloriam praedicit, ut cum morientem, sicut praedictum esse cernerent, etiam resurrectorum non dubitarent.

**Beda.** Praeuidens etiam quosdam haereticos in Ecclesia futuros, qui Christum dicerent, legi prophetisque docuisse contraria, aliumque Veteris Testamenti atque alium noui Deum esse credendum, ostendit Prophetarum praesagia non alio magis quam ad suae dispensationis, quam pro nobis temporarie suscepit, intendisse mysterium, adeo ut consummatio sit prophetiae suae passionis, & posterioris gloriae celebrata perfectio. Nec non & paganorum dementiam, quae eius crucem derident, apertissime confutat, quando proximae suae passionis & tempus, quasi futurorum praesens ostendit, & locum quasi mortis intrepidus adiit.

Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quae dicebantur.)

**Ioan. 12.** Legimus in Euangelio secundum Iohannem, dicente Domino: Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, & respondisse turbam atque dixisse: nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in aeternum, & quomodo tu dicis oportet exaltari filium hominis? Quid est ergo, quod discipuli toties sibi replicatum dominicae passionis archaenum intelligere nequeunt, & Iudaei ad unum uerbum, & tam obscure positum, ut hoc expositione dignum Euangelista ducat, hoc autem dicebat, inquit, significans qua morte esset moriturus, mox quia crucis exaltatio significetur intelligunt. Nisi quia discipuli, cuius uitam maxime uidere desiderabant, eius mortem audire non poterant, quem non solum hominem innocentem, sed & Deum uerum sciebant, hunc nullatenus mori uel posse putabant, & quia per parabolas eum saepe loquentem audire consueuerant, quoties aliquid de sua passione dicebat, hoc non ita, ut sonabat intelligendum, sed amore distante, ad aliud quid allegoricae referendum esse credebant. Iudaei uero qui, quia in eius necem conspirauerant, quicquid de sua passione uel cruce loquebatur, intelligebant. Hoc enim loquebatur, quod ipsi sumopere, & fieri optabant, & perficere satagebant, sicque miro & iniustato modo idem subeundum crucis Sacramentum, quod fidelibus amor abscondit, infidelibus inuidia pandit.

**D** Factum est autem, cum adpropinquaret Hiericho, caecus quidam sequebatur eum, & cum audiret turbam praeteruentem &c.)

**Greg.** Caecus iste per allegoriam genus humanum significat, quod in parente primo a Paradysi gaudijs expulsus, claritatem supernae lucis ignorans, damnationis suae tenebras patitur, sed cum Hiericho adpropinquare Iesus dicitur, caecus illuminatur. Hiericho quippe interpretatur Luna. Luna autem in sacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia dum mensuris momentis de creuit, defectum nostrae mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster adpropinquat Hiericho, caecus ad lumen redit, quia dum diuinitas defectum nostrae carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat recepit, qui uidelicet caecus recte & iuxta uiam sedere, & mendicans esse describitur. Ipsa enim ueritas dixit: Ego sum uia. Ergo, qui aeternae lucis claritate nescit, caecus est. Sed si iam in redemptorem credit, iuxta uiam sedet, si autem iam credit, sed ut aeternam lucem recipiat, rogare dissimulat, atque a precibus cessat, caecus quidem iuxta uiam sedet, sed minime mendicat. Si uere credit, & exorat, & iuxta uiam, sedet caecus, & mendicat.

Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui praebant, increpabant eum, ut taceret, ipse uero multo magis clamabat, fili Dauid miserere mei.) Quid isti designant, qui Iesum uenientem praecedunt, nisi desideriorum carnalium turbas, cum ulciscunt uisitorum, qui priusquam Iesus ad cor nostrum ueniat, temptationibus suis, cogitatione nostram dissipant, & uoces cordis in oratione perturbant. Saepemque non conuerti ad Deum

**A** Deum post perpetrata uitia uolumus, dum contra haec eadem exorare uitia, quae perpetrati-mus, conamur, occurrunt cordi fantasmata peccatorum quae fecimus, mentis nostrae aciem reuerberant, confundunt animum & uocem nostrae deprecationis praemunt, sed quae turbae increpant ut taceat, magis ac magis clamat. Quia, quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium praemimur, tanto orationi insistere ardentius debemus.

Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se.) Ecce, stat qui ante transibat, quia cum adhuc turbas fantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenus transeuntem sentimus. Cum uero orationi uehementer insistimus, stat Iesus, & lucem restituit, quia Deus in corde figuratur, & lux amissa reparatur.

Et cum adpropinquasset, interrogauit illum dicens: Quid tibi uis faciam, at ille dixit: Domine, ut uideam.) Nunquid qui lumē reddere poterat, quid uellet caecus ignorabat? sed peti uult hoc, quod & nos petere & se concedere praenoscit. Importune namque ad orationem nos ammonet & tamen dicit: Scit namque pater uester, quid opus sit uobis antequam petatis eum. Ad hoc ergo requirit, ut petat. Ad hoc requirit, ut nos ad orationem excitet, unde & caecus protinus adiungit: Domine, ut uideam. Ecce caecus a Domino non aurum, sed lucem quaerit, paruipendit extra lucem aliquid querere, quia & si habere caecus quod libet potest, sine luce non potest uidere quod habet. Imitemur ergo eum, quem & corpore audiui-mus & mente saluatum, non falsas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores a Domino, sed lucem quaeramus. Nec lucem quae loco concluditur, quae tempore finitur, quae noctium interruptione uariatur, quae a nobis communiter cum pecoribus cernitur, sed lucem quaeramus, quam uidere cum solis angelis possumus, quia nec initium inchoat, nec finis angustat. Ad quam profecto lucem uia fides est. Vnde recte & illuminando caeco protinus respondetur: Respice, fides tua te saluum fecit. Si ergo, fratres charissimi, caecitatem iam nostrae peregrinationis agnoscimus, si credendo in redemptoris nostri mysterio, iuxta uiam sedemus, si exorando quotidie ab autore nostro lucem petimus, si eandem lucem, iam per intellectum uidendo, illuminati post caecitatem sumus, Iesum quem mente cernimus, opere sequamur, & eius uestigia imitando teneamus. Iesum enim sequitur, qui imitatur. Hic namque dicit: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Sequere enim dicitur, imitare. Hic rursum ammonet, dicens: Si quis mihi ministrat me sequatur. Si ergo retributionis gaudium in peruentione quaerimus, poenitentiae amaritudinem in uia teneamus. Sicque fit, ut non solum nostra in Deum uita proficiat, sed haec ipsa nostra conuersatio ad laudem Dei & alios accendat. Vnde illic subdit: & omnis plebs, ut uidit, dedit laudem Deo.

**B** CONCORDIA. In hoc istarum duarum sit concordia lectionum, quia ambae de illuminatione faciunt mentionem, una de carnis oculis caeci, alia uero de spiritalibus oculis mentis, dicens: Nunc uidemus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.

IN INITIO QVADRAGESIMAE. EPIST. BEATI PAULI.

II Apost. 2. ad Corinth. Cap. 6.



Ortamur uos, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium nostrum. Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute Dei. Per arma iustitiae a dextris & a sinistris. Per gloriam & ignobilitatem. Per infamiam, & bonam famam, ut seductores & ueraces. Sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes, & ecce uiuimus. Ut castigati & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes, sicut egeni, multos autem locupletantes. Tantum nihil habentes, & omnia possidentes.

Hor.

- C** Primaf. **H**ortamur uos ne in uacuum gratiam Dei recipiatis.) In uacuum Dei gratiam recipit, qui uocatus in Christo, uetera adhuc legis instituta sectatur.
- Ait enim, tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.) Tempus acceptum, & dies salutis in hac uita est, sicut ait saluator: Ambulate dum lucem habetis, ne tenebrę uos comprehendant, quia in illo seculo nulla emendatio esse potest, sicut legimus: Quoniam niam non est in morte qui memor sit tui.
- Psal. 6.  
Hiero. Modo solum possumus inuenire salutem, quia iuxta Prophetę testimonium: in inferno nemo consistebitur.
- Primaf. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.) Sicut a sibi: Ergo dum tempus habemus operemur quod bonum est. Dies autem dicitur hæc uita, quia apta est ad operandum, & concluditur in nocte iudicij, quæ est tenebrę, in qua nemo poterit operari. Hæc uita & q̄tas dicitur, in cuius comparatione, formicę ad præsens laborare dicuntur, & hyemem sperare uenturam.
- Hiero. Nemini dantes ullam offensionem,) Nemo nostro offendatur exemplo, ne non tam nostrum uicium putetur esse quàm legis.
- Primaf. Id est, ne forte infideles per nostram negligentiam destruamus, & in quo displicuerimus, religionis magis ac legis nostrę uitium esse diiudicent, & hi qui çmulı sunt per hominis delicti, regulę nostrę, sanctum uituperent institutum.
- Ut non uituperetur ministerium nostrum.) Id est, non displiceat in aliquantibus, & paucorum culpam etiam boni incurere uideantur offensam.
- Sed in omnibus exhibeamus nos metipsos.) Qui ad uirtutem prouocat appetitum uirtutis, ipse nobis misericorditer ministrat, quam si concupiscimus ab ipso, qui eam excelsi præcipit adiutamur.
- Sicut Dei ministros.) Dei ministri, Deo debent in omnibus ministrare, & opere cognosce ueri Dei esse cultores, & sicut ille à malis patitur blasphemari, & in presenti uita, etiam ingratis suã non denegat beneficia. Ita nos non uincamur malis, sed uincamus in bono malos.
- Hiero. In multa patientia.) Non in parua, nec in modica, sed in multa.
- D** In tribulationibus.) Omnis læsio tribulatio dicitur.
- In necessitatibus.) Id est, omne quod necesse est, sic feramus, ut necesse est.
- In angustijs.) Angustia, est omnis egentia.
- In plagis, in carceribus.) Hoc nos hortatur pati, si necesse fuerit pro Christo, quod & ille passus est, quando concurrat plebs, & magistratus aduersus eum, & multis uirgarum plagis inpositis miserunt in carcerem.
- In seditionibus, in laboribus, in uigilijs.) Non modica, hoc loco patientiæ membra describit, in exercitijs enim laborum non minus mentis uigilię debent esse, quàm corporis.
- Ambro. In ieiunijs.) Necessaria animę nostrę sunt ieiunia, sicut uulneribus medicina. Mediam enim conferunt uitæ perpetuę, ita tamen, ut duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione & misericordia.
- Hiero. In castitate, in scientia.) Sicut enim necessaria nobis est castitas corporis, ita & mētis. Illa enim est uera castitas, quæ nec mente polluitur, nec opere, quæ etiam nobis scientiam præstat pro merito puritatis. Et notandum quod scientia species uirtutis sit, si ex ea quisq̄ erudiat, non infletur.
- In longanimitate.) Id est, in sustentia longa, longanimitas autem dicitur, in sustinendis aduersitatibus animi fortitudo.
- In suauitate.) Suauitas autem est, si nulli ex uerbis nostris amaritudinem generemus, & illud eiusdem Apostoli compleamus: Omnis amaritudo, & clamor, & blasphemia tollatur à uobis cum omni malicia, & dicamus illud sapientię testimonium: Fauces eius dulcedines, & totius desyderio.
- In spiritu sancto.) Id est, ut hæc habentes, dignos nos habitatione eius cordis sinceritate faciamus.
- In

- A** In charitate non ficta.) Tunc non ficta est charitas, si omnia quæ nobis fieri uolumus, alijs faciamus. Sicut ait Apostolus Ioannes: Non diligamus uerbo, nec lingua, sed opere & ueritate. In hoc quoq̄ non ficta est charitas, si delicta & culpas benigno affectu in fratribus castigemus.
- Totam magnitudinem & altitudinem diuinorū eloquiorum secura possidet charitas, quam Deum proximūq̄ diligimus, hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hylaris, in temptatione iustissima, inter ueros fratres latissima, inter falsos patientissima.
- Ambro.
- In uerbo ueritatis.) Verbum & ueritas Christus est, quem apte & competenter ex lege, in cuius misterijs absconditus est, proferre debemus.
- In uirtute Dei.) Id est, in uirtute Christi, aduersus diabolum dimicemus, qui per arma iustitię & legis diabolus superauit.
- Per arma iustitię à dextris & à sinistris.) Omnes enim qui ad uitæ aditum tendimus, & ex dextro & sinistro latere habere arma debemus. A dextro igitur arma habet, quem prospera non extollunt. Ad sinistram, quem aduersa non deiciunt. Ex utraq̄ enim parte portabat Paulus arma, cum diceret: Per arma iustitię & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem. Non hūc aduersa frangebant, non prospera in mentis timore subleuabant. A dextris & à sinistris gestabat arma, qui & in aduersitate fortis, & in prosperitate humilis permanebat. Ut ergo à dextris & à sinistris arma gestentur, semper adesse nostris mentibus debet, & in aduersis fiducia, & in prosperis timor. Ne aut aduersa in desperationem pertrahant, aut prospera animi in sui fiduciam extollant.
- Grego.
- Per gloriam & ignobilitatem.) Id est, per gloriam uirtutū, & ignobilitatem flagellorum, defectuorum & carcerum.
- Per infamiam & bonam famam.) Omnia hæc per patientiam æqualiter suscipiamus, nec extollant nos laudantes, nec deiciant detrahentes. Quia necesse est, non nunq̄ utroq̄ mentiri. Nos uero ad conscientiam respicientes, non debemus plus alijs de bonis nostris quàm nobis ipsis credere.
- B** Ut seductores & ueraces. Quare seductores? Quia docent hominem dispicere, quod habet, & sperare quod non habet: quæ oculis exposita sunt, auersis & exclausis sensibus, præterire: & quæ ab oculis remota sunt, inexplebilibus desyderijs explicare. Dicendo: seductores & ueraces exposuit infamiam, & bonam famam, quia ab alijs seductores, ab alijs uero, non solum ueraces, sed & propter uirtutum opera, Diu uocabantur. Non ergo mirum, si Apostoli seductores dicebantur, cū de ipso Domino alij dicebant, quia bonus est, alij nō, sed seducit turbas.
- Ioam. 7.
- Sicut qui ignoti & cogniti.) Ignoti quidem perfidis & ingratis. Cogniti autem fidelibus atq̄ iustis.
- Quasi morientes, & ecce uiuimus.) Hoc usq̄ ad desperationem uitæ peruenientes, sicut quando lapidatus putabatur mortuus, ille uero surrexit & docebat in Listris.
- Acto. 13.
- Ut castigati & non mortificati.) Sicut legimus: Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Castigare enim, & uerbis & uerberibus, dicimus, sicut Pilatus de Domino ait: Castigatum eum dimittam, id est, uerberibus flagellatum.
- Psalm. 117.
- Quasi tristes, semper autem gaudentes.) Tristes seueritate uultus uero, corde etiam in tribulationibus pro munerationis expectatione gaudentes, scriptum est enim: Tristitia uestra conuertetur in gaudium.
- Ioam. 16.
- Quisquis somnū indicat, addit: Quasi. Quasi loquebar, quasi equitabam, totum quasi, qui cum uigelaerit non inuenit quod uidebat. Itaq̄ modo qui ad lætitijs sæculares oculos aperunt, transit. Quasi ipsorum, & uenit uerum ipsorum. Quasi ipsorum est felicitas seculi, uerum ipsorum poena est. Nostrum Quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Non enim dixit Apostolus: Quasi gaudentes.
- Ambro.
- Sicut egentes, multos autem locupletantes.) In hoc ipso quod egemus nos, in alijs abundamus, dum per nos elemosinę fiunt. Siue terrenis egentes, alios cœlestibus facimus locupletes: quasi tristes dicit, & sicut egentes, ut ostenderet, ista uera mala non esse, sed quasi umbras & imagines passionum ad comparationem præmij sempiterni.

**C** Tanq̄ nihil habentes.) Sicut dicit Salomon: Eius qui ē fidelis, totus m̄fidus diuinitarū est. Nemo plus habet, q̄ quinnullo indiget. Ille nullo indiget, qui p̄ter necessaria nihil requirit.

## EVANGELIUM MATTHAEI CAP. III.

**D** Vetus est Iesus in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinaculū templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptū est enim: Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Tunc dixit ei Iesus: Vade sathanas. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adora bis, & illi soli seruias. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei.

**Gregor.** **D** Vetus est Iesus in desertum ab spiritu, ut tentaretur à diabolo.) Dubitari à quibusdam solet, à quo spiritu sit Iesus ductus in desertum, propter hoc quod subditur: Assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & rursum: Assumpsit eum in montem excelsum. Sed uere & absq̄ ulla questione conuenienter accipitur, ut à sancto spiritu in desertū ductus credatur, ut illic eum suus spiritus duceret, ubi hunc ad tentandum spiritus malignus inueniret, sed ecce cum dicitur: Deus homo uel in excelsum montem, uel in sanctam ciuitatem à diabolo adsumptus, mens refugit humana, hoc audire aures expauescunt. Qui tamen non esse incredibilia ista agnoscimus, si in illo & alia facta pensamus. Certe iniquorum omnium diabolus est caput, & huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membra Iudæi persequentes, & milites crucifigentes fuerunt? Quid ergo mirū, si se ab illo permisit in montem duci, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non est ergo indignum redemptori nostro, quod tentari uoluit, qui uenerat occidi. Iustū quippe erat, ut sic tērationes nostras, suis tērationibus uinceret, sic & mortē nostrā uenerat sua morte superare. Sed sciendū nobis est, quia tribus modis tentatio agit, suggestionē, delectationē, cōsensu, & nos cum tentamur, plerunq̄ in dilectione, aut etiā in consensu labimur, quia de carnis peccato propagati in nobis ipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus uero, qui in utero uirginis incarnatus, in mundum sine peccato uenerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat, tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem, peccati delectatio non momordit. Atq̄ ideo omnis diabolica illa tentatio, foris non intus fuit, sed si ipsum ordinem tentationis eius aspiciamus. Pensamus, quanta magnitudine nos à tentatione liberamur. Antiquus hostis contra primum hominem, parentem nostrum, in tribus se tentationibus erexit. Quia hunc uidelicet gula, uana gloria, & auaritia tentauit, sed tentando superauit, quia sibi eum per cōsensum subdidit. Ex gula quippe tentauit, cum cibum ligni ueritum ostendit, atq̄ ad cōmendandum suauit. Ex uana autem gloria tentauit, cum diceret: Eritis sicut Dii. Et ex profectu auaritiæ tentauit, cum diceret: Sciens bonum & malum. Auaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim auaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiā honoris rapina pertineret, nequaquā Paulus de unigenito filio diceret, non rapinam arbitratu est, esse fequalem Deo. In hoc ergo diabolus parentē nostrum ad superbiam traxit, quod eum ad auaritiā sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis, secundo homini tentato, subcubuit. Per gulam quippe tentauit eum, qui dicit: Dic ut lapides isti panes fiant. Per uanam gloriam tentauit, cum dicit: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis auaritiā tentauit, cū regna omnia mundi ostendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo.

**A** bo, si procidens adoraueris me. Sed eisdem modis à secundo homine uiuicitur, quibus primum hominem se uicisse gloriatur, ut à nostris cordibus ipso aditu captus exeat, quo nos aditu intro missos tenebat. Sed est aliud, fratres charissimi, quod in hac tentatione Dominica cōsiderare de beamus. Quia tentatus à diabolo Dominus, sacri eloquij præcepta respondit. Et qui eo uerbo quod erat, tentatorem suum mergere in abyssum poterat, uirtutem suæ potentia non ostendit. Sola diuinæ scripturæ præcepta dedit, quatenus suæ nobis patientia præberet exemplū. Ut quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinā excitemur, potius quàm ad uitā dictam. Pensate quanta est patientia Dei, quanta impatientia nostra. Nos si iniurijs, aut aliqua lesione prouocamur, furore permoti, aut quantum possumus nosmetipsos ulciscimur, aut quod non possumus facere, minamur. Ecce aduersitatem diaboli Dominus pertulit, & nihil ei, nisi mansuetudinis uerbum respondit. Portat quem puniri poterat, ut hoc in laude eius altius crederet, si hostem suum non extinguendo, sed interim patiēdo superaret. Notandū uero quod subditur: Quia recedente diabolo angeli ministrabant ei. Ex qua re quid aliud, quàm unius personæ utraq̄ natura ostenditur. Quia & homo est, quem diabolus tentat, & eisdem ipse Dominus est, cui ab angelis ministratur. Cognoscamus igitur in eo naturam nostram, quia nisi hunc diabolus hominem cerneret, non tentaret. Veneremur in illo diuinitatem suam, quia nisi super omnia Deus existeret, ei nullo modo angeli ministrarent.

*Prāui homines ad doctrinam non uindictā nos inuicē*

Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.) Sed quia his diebus, quadragimæ lectio congruit. Nam quadraginta dierum abstinentiam nostri redemptoris audiuius, qui quadragimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est, cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moses enim, ut legem acciperet secundo, diebus quadraginta ieiunauit. Helias in deserto quadraginta diebus abstinit. Ipse autor hominum, ad homines ueniens, quadraginta diebus nullum omnimodo cibum sumpsit. Nos quoq̄ in quantum possumus, annuo quadragimæ tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conamur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur? Nisi quia uirtus decalogi per libros quatuor sancti Euangelij implet. Denarius etenim quater ductus in quadragenarium surgit, quia tunc decalogi mandata perficimus, cum profecto quatuor libros sancti Euangelij custodimus. Ex qua re sentiri & aliud potest. In hoc enim mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per uoluptates eiusdem corporis præceptis Dominicis contra imus. Præcepta autem Dominica, per catalogū sunt accepta. Qui ergo per carnis desideria, decalogi mandata contempsimus, dignum est, ut eandem carnem quater decies affligamus. Quamuis de hoc quadragimæ tempore, est adhuc aliud quod possit intelligi. A præsentem enim die, usq̄ ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex ebdomadæ ueniunt. Quartū uidelicet dies quadraginta & duo sunt. Ex quibus, dum sex dies Dominicæ abstinentia abstrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta & sex dies remanent. Dum uero per trecentos & sexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus. Ut qui nobis metipsis per acceptum annum uiuimus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemur. Vnde, fratres charissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum. Vnusquisq̄ in quantum uirtus suppetit, carnem maceret, eiusq̄ desideria affligat, concupiscentias turpes interficiat, ut, iuxta Pauli uocem, hostia uiua fiat. Hostia quippe & immolat & uiua est, quando & ab hac uita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desiderijs occidit. Caro nos la tua traxit ad culpam, afflicta reducat ad ueniam. Auctor etenim mortis nostræ, per fructum ligni uetiti uitæ præcepta transgressus est. Qui ergo à paradysi gaudijs per cibum cecidimus, ad hæc, in quantum possumus, per abstinentiam refurgamus.

*Quadragesima.*

**B** Quadraginta autem dies & noctes, quibus eum tentat, totum huius seculi tempus insinuat, quibus membra eius, uidelicet sanctam Ecclesiam tentare nunq̄ desistit. Quia nimirum quadripartitus est mundus, in quo Domino famulamur. Decem uero sunt præcepta, per quorum obseruantiam in Domino famulantes, contra hostis indefessam militiam certamus. Decem autem quater ducta, quadraginta faciunt, ideoq̄ totum militiæ nostræ tempus, apte quadragenario dierum ac noctium numero comprehenditur. Baptizatus ergo Dominus, expellitur à spiritu in desertum & tentatur à satana, ut exemplum uitæ suis fidelibus præbeat, qui post acceptam in baptismo remissionem peccatorum, non solum ad exercenda opera uirtutum, uerum etiam ad tolerandum propter iustitiam persecutionem sunt accingendi. Sedit enim in desertum, ut nos doceat relictis mundi illecebris & societate prauorum, diuinis per omnia seruire mandatis. Tentatur solitarius à diabolo, ut nobis insinuet, quia omnes, qui uolunt

*Beda.*



**C** pie uiuere in ipso, persecutionem patiuntur, & quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Tentat quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ut indicet, quia quam diu hic uiuentes Domino seruiamus, siue prospera blandiuntur, quod ad dies pertinet, seu nos aduersa feriant, quod noctis figuræ congruit, semper ambulantes in lege Domini, ad sitoto orbe aduersarij, qui iter nostrum tentando impedire non cessat.

**Ambro.** Ieiunauit Dominus, cum tentaret ante mortem, cibo adhuc indigens. Manducauit autem & bibit, cum glorificaret post resurrectionem, iam cibo non indigens. Hic enim ostendebat in se nostrum laborem, illic autem in nobis suam consolationem, quadragenis diebus utrumque desinit. Quo numero quadragesime huius seculi significari uidet excursus: in his qui uocantur per gratiam ad eum, qui non uenit legem soluere, sed adimplere. Decem namque precepta sunt legis. Iam gratia Christi diffusa per mundum, & quadripartita est mundus, & decem quadruplicata quadraginta faciunt. Quoniam qui redempti sunt a Domino, de regionibus congregauit eos, ab oriente & occidente, ab aquilone & mari. Ieiunans itaque quadraginta diebus ante mortem carnis, uelut clamat: Abstinetis uos a delectationibus huius seculi. Manducatis autem & bibitis quadraginta diebus post resurrectionem carnis, uelut clamabat: Ecce ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Ieiunium quippe est in tribulatione certaminis. Quonia qui in agone est, ab omnibus abstinet. Cibus autem in spe pacis, que perfecta non erit, nisi cum corpus nostrum, cuius expectamus redemptionem, induerit immortalitatem, quod nondum adipiscendo gloriamur, sed sperando iam pascimur, utrumque Apostolus simul nos agere ostendit, dicens: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Tantum aliud esset in cibo, hoc in ieiunio. Simul enim cum uia Domini carpinus, & a uarietate presentis seculi ieiunamus, & futuram promissionem reficimur, hic non apponentes cor, illic pascentes rursum cor. Item Augustinus. Sicur unum et duo & tres et quattuor, simul decem sunt, sic unum et duo & tres et quattuor, quater ducta quadraginta faciunt. Sic autem quaternarius numerus, recte significat corpus, propter quattuor nobilissimas naturas, quibus constat, scilicet, humidam, frigidam, calidam. Et quia progressio sit a puncto usque ad longitudinem, & a longitudine usque ad latitudinem, & altitudinem ad soliditatem corporis, que rursum quaternario numero continentur. Non absurde intelligitur quadragenarius numerus temporalis dispensationem significare, que pro salute nostra gesta est, cum Dominus corpus adsumpsit, et uisibiliter hominibus apparere dignatus est. Unum ergo & duo & tres & quattuor, que significat creator per tria, & creaturam per septem. Numerum hebdomadis, per quam motus mundi reuoluit, quater ducta, id est, per corpus temporaliter demonstrata, sunt quadraginta. Nam inter quattuor & quater hoc interest, quod quattuor in statu sunt, quater in motu. Ergo sicut quattuor referunt ad corpus, ita quater referunt ad tempus, in sinuaturque sacramentum corporaliter gestum, propter eos, qui corporum amorem implicati erant, & temporibus subditi. Quadragenarius ergo numerus, ut dictum est, temporalis dispensationem, non incongrue significare creditur. Et fortasse hoc est, quia quadraginta dies Dominus ieiunauit, seculi huius, quod motu corporum & temporibus agit, ostendens inopia.

**D** Postea esurijt.) Quod autem Dominus consummatis ieiunij diebus, esurijt, cum de Mose uel Hesia ieiunantibus nihil tale sit scriptum. Ideo factum est, ne ab eo tentando pauens hostis aufereret, quem cum tot signis celestibus preconatum, tum etiam uiris excellentissimis, in abstinentia uideret equitatum. Esurit enim humilis Deus homo, ne inimico innotescat, sublimis homo Deus, Sicur enim in quadraginta diebus ieiunio uerus esse Deus apparuit, sic in esurie uerus esse credentur.

**Beda.** Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es.) Queritur, (dus est homo, qua causa estimauerat eum filium Dei esse. Nimirum permittente Deo, audierat patrem dicentem: Hic est filius meus dilectus. Siue ideo, quia in prophetis eum prophetatum nouerat. Querit tentator quod non merebat agnoscere. Eius namque ueneranda natiuitas, uix tunc paucis innotuit, quibus tamen ipse reuelare dignatus est. Principem uero huius seculi latuerunt ista tria mysteria, id est uirginitas, partus & passio. Antiquus hostis redemptorem humani generis debellatorem suum in mundum uenisse cognouit, unde & per obsessum hominem dixit: Quid nobis & tibi fili Dei, ueni isti huc, ante tempus torquere nos. Qui tamen prius, cum hinc passibilis cerneret, cum posse mortaliam perire humanitas uideret, omne quod de eius diuinitate suspicatus est, ei saltus superbie in dubium uenit. Nihil quippe nisi superbum sapiens, dum esse hunc humilem conspicit, Deum esse dubitauit, unde & ad tentationum se argumenta conuertit.

**Hiero.** Dic ut lapides.) Esurienti congrue dicitur: Dic ut lapides isti panes fiat. Sed duobus contra rursus tenetis diabole. Si ad imperium eius possunt lapides panes fieri, ergo frustra tentas eum, qui tantum potentis est. Sin autem non potest facere, frustra Dei filium suspicaris.

Qui respondens ait: Scriptum est: Non in pane solo uiuit homo, sed in

**A** omni uerbo quod procedit de ore Dei.) Testimonium de Deuteronomio sumptum est. Ideo autem sic respondit Dominus, quia prepositum ei erat humilitate diabolum uincere non potentia, simulque animaduertendo, quod nisi ieiunare coepisset Dominus, tentandi occasio non fuisset diabolo, secundum illud: Fili, accedens ad seruitutem Dei, prepara animam tuam ad tentationem. Sed & ipsa responsio saluatoris, hominem fuisse indicat, qui tentatus est. Si quis ergo non uescitur uerbo Dei, iste non uiuit.

**Amb.** Ita enim domitiam docuit esse oportere cupiditatem uoluptatis, ut nec fame cedendum sit, quam uoluptatem quisquis intus Dei uerbo pascitur, non querit in ista heremo uoluptatem.

Tunc adsumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es mitte te deorsum.) Vox diaboli semper omnes deorsum cadere uult.

**Fulg.** In sanctam ciuitatem Hierusalem dicitur: Pinnaculum ergo templi sedes erat doctorum in medio templi tabulata, ac per hoc apparet, quod etiam in locis sanctis diabolus infidetur. Sed quaestio oritur, quomodo in deserto temptationes facte dicuntur, cum ista & in sancta ciuitate & supra pinnaculum templi facta testetur. Alij enim dicunt, quod caeteri in heremo, ista in Hierusalem sit facta, alij dicunt, quod & ista in heremo fuerit animo tantum offensa.

Scriptum est enim, quia angelis suis mandauit de te, & in manibus collat te.) Hæc non de Christo, sed de alio uiro sancto, propheta est. Male ergo interpretatur diabolus Hiero. scripturas, certe de angelorum auxilio, quasi ad infirmum loquitur, de sui conculcatione, quasi tergiverfator tacet, quia de se scriptum esse cognoscit: Super Aspideum & Basiliscum, ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem.

**Cass.** Omnia ista nomina diabolo congruenter aptant. Aspideus, dum occulta percudit. Basiliscus, cum palam uenena disseminat. Leo dum persequitur innocentes. Draco cum negligentes, impia ferocitate deglutit. Verum hæc omnia glorioso aduentu Domini pedibus ipsius prostrata iacuerunt.

Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.) Id est ne in lege, que in lapideis tabulis scripta, uidebatur incurreret, cuius uenerat plenitudinem saluari integritate firmari.

Ait illi Iesus: Rursus scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum.)

**Hiero.** Falsas de scripturis diaboli sagittas, ueris scripturarum frangit clypeis. Et notandum, quod necessaria testimonia Deuteronomij tantum protulerit, ut secundæ legis sacramenta monstraret. Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum: Suggerebatur enim tantum homini, ut signo aliquo exploraret, ipse quantus esset, id est, quam multum apud Deum posset, quod uiciose fit cum sit, pertinet namque ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum.

Iterum adsumpsit eum diabolus in montem excelsum ualde.) Excelsus mons dicitur, quia in eo diabolus uincitur, & eius ibi calcata & subiecta superbia stratur. Aliter, excelsus mons superbiam diaboli significat. Diabolus ducere eum festinat ad montes, ut per quos ipse corruerat, etiam ceteri corruant. Dominus ad humilia descendit, ut diabolum humilitate superaret.

Et ostendit ei omnia regna mundi &c.) Omnia uidelicet desiderabilia, que in auro & argento lapidibus electis, & uestibus preciosis continentur, siue simpliciter accipiendū, quod totus mundus ab eo in momento uisus sit.

Et gloriam eorum.) Gloria mundi, que cum mundo præteritura est, in monte & in supercilio demonstratur.

Et dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si cadēs adoraueris me.) Arrogans & superbus etiam hoc de iactantia loquitur, non quod in toto mundo habeat potestatem, aut ut possit Hiero. omnia regna dare, sed suadendo & arroganter hæc loquitur. Et hic ostenditur, quod omnis ambitiosus cadēs diaboli adorat. Querit cur in ordine tentationum Mattheus Lucasque discor dant: Sine dubio Mattheus ordinem tentationis Adæ, Lucas uero hystorice ordinem secutus est.

Tunc dicit ei Iesus: Vade Satanas.) Non, ut plerique putant, eadem Satanas & Apostolus Petrus sententia condemnatur. Petro enim dicitur: Vade retro Satana, id est, sequere me, qui contrarius es uoluntati meæ, hic uero audit, uade Satana, & non ei dicitur retro, ut subaudiatur in ignem æternum.

Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruiues.)



**C**dicens diabolus Saluatori, si prociēs adoraueris me, & contrariō audit, quod ipse magis adorare eum debeat Dominum & Deum suum: Quærit forte aliquis quomodo conueniat, quod hic præcipitur Domino soli seruiendum, Apostoli uerbo, qui dicit, sed per charitatem seruite inuicem. Sed huic facile Græcæ lingue, ex qua scripturæ translata est origo satis facit, in qua seruitus duobus modis ac diuersa significatione solet appellari. Dicit enim *λατρία* dicitur & *δουλεία* sed *δουλεία* intelligitur seruitus cōmunis, hoc est, siue Deo siue homini siue cui libet rerum naturæ exhibita. A qua etiā & seruus, id est, *δούλος* Græcæ nomen accepit. *λατρία* autem uocatur seruitus illa, quæ soli diuinitatis cultui debita, neque est ulli participanda creaturæ. Unde & idololatræ nuncupantur, hi qui uitam, preces & sacrificia, quæ uni Deo debuerant idolis impendunt. Iubetur ergo per charitatem seruire inuicem, quod est, Græcè *δουλεύειν*, Iubetur uni Deo seruire, quod est Græcè *λατρεύειν*, unde dicit & illi soli seruiēs, quod est Græcè *λατρεύεισθε*. Et iterū: Nos enim sumus circūcisio spiritu Dei seruiētes, quod est in Græco *λατρεύοντες*.

Matth. 4.  
Phil. 3.

Hiero.

Tunc reliquit eū diabolus, & ecce angeli accefferunt & ministrabāt ei.) Præcedit tentatio, ut sequatur uictoria. Angeli ministrant, ut uictoris dignitas comprobetur. **CONCORDIA.** Istarum duarum & in actu ieiuniorum, & in tempore qua dragelūmæ congrua & perspicua, manifesta sit concordia lectionum.

DOMINICA PRIMA MENSE PRIMO EPIST.

beati Pauli Apostoli, prima ad Thessalonicenses Cap. III.



**R**ogamus uos & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis. Quomodo uos oporteat ambulare & placere Deo, sicut & ambuletis ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum. Hæc est enim uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum suum uas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur nec circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam uindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus uobis, & testificati sumus. Non enim uocauit nos Deus in immundiciam, sed in sanctificationem.

D

**R**ogamus uos & obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo uos oporteat ambulare, sicut & ambuletis. Post laudem & consolationem incipit exhortatio, ac si diceret, uobis quibus Christus uia est, dignis eum ambulantes sequimini gressibus, id est, mansuetudinis, charitatis, humilitatis, obedientiæ, & pacis omniumque uirtutum.

Primas.

Ut abundetis magis.) Quia cum ætate fidei debet augeri profectus uirtutum, sicut cum ætate carnis cibus crescit & studium.

Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per Dominum Iesum. ) Id est, exhortatus sum uos, seruite Deo uiuo, & uero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit ex mortuis Iesum, qui eripuit nos ab ira uentura &c.

Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione. Sanctificatio enim ab omni incontinentia reuocat Christianum. Incontinentia autem non expedit sanctum Christi corpus attingere, maxime cum & Moyses Iudæos sanctificare uolens, populum totum ab omni femina præcepit continere. Qui enim à fornicatione se abstinet à multis se Deo adiuuante uicijs retrahit. De fornicatione namque, & turpiloquia & scurrilitas & ludicra & multa stultiloquia nascuntur.

Est & alia fornicatio pessima, de qua nos omni modo conuenit abstinere. Illa scilicet, de qua Psalmista ait: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Fornicari à Domino est, quando adultæ cogitationibus ab eius amore casto deuiamus & luxuriæ seculi præponentes, præcepto rum cœlestium non recipimus disciplinam, & quicquid postremo contra Catholicam fidem creditur polluti sensibus fornicatur.

Cassiod.  
Psalm. 73.

Vt

**Vt sciat unusquisque suum uas possidere in sanctificatione & honore.)** Vas, id est, corpus suū unusquisque castum seruando Deo sanctificet, & honoret. Quia sine casti monia nemo uidebit Deum.

**Non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorabant Deum.)** Ac si diceret: Videte ne & uos nimis & immoderate libidini seruiētes, similes gentibus sitis, quæ Deum amatorem castitatis ignorant. *Heb. 13.*

**Et ne quis supergrediatur, nec circumueniat in negotio fratrem suum.)** Ac si dicat, ne quis uestrum post deuotam ex consensu continentiam pari suo, aliqua circumuentione uim inferre nitatur, siue quolibet negotio, quis alterum fraudet.

**Quoniam uindex est Dominus, de his omnibus, sicut prædiximus & testificati sumus.)** Non solum de fornicatione & publica turpitudine, sed etiam de transgressione omnis boni præpositi uindex est Deus. Quia melius est non uouere, quam post uotum promissa non reddere.

**Non enim uocauit nos Deus in immundicia, sed in sanctificatione.)** Etiam nimia incontinentia potest immundiciæ imputari, quæ corpus Christi audenter accipi non permittit. Quod autem dicit, sed in sanctificatione in Christo Iesu, ac si dicat: Sic uocati estis, ut exemplo Christi uiuatis, qui enim habet hanc spem sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Estote ergo sancti, quia & ego sanctus sum, dicit Dominus.

EVANGELIUM MATTHABI CAP. XV.



**T**gressus Iesus secessit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananea à finibus illis egressa, clamauit, dicēs ei: Misere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio uexatur. Qui non respondit ei uerbum, & accedentes discipuli eius, rogabāt eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa uenit & adorauit eum dicens: Domine adiuua me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis, & sanata est filia eius ex illa hora.

B

**T**gressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sydonis.) Scribis & Phariseis calūniatoribus derelictis transgreditur in partes Tyri & Sydonis, ut Tyrios, Sydoniosque curaret. *Hiero.*

Mulier autem Chananea egreditur de finibus pristinis clamans, ut filia impetret sanitatem.) Obserua quod in quinto decimo loco, filia Chananea sanatur. Misere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio uexatur.)

Inde uero nouit uocare filium Dauid, quæ egressa iam fuerat de finibus suis, & errorem Tyrorum ac Sydoniorum loci ac fidei cōmutatione dimiserat. Filia mea male à dæmonio uexatur. Ego filiam Ecclesiæ puto animas esse credentium, quæ male à dæmonio uexantur, ignorantes creatorem, & adorantes lapidem.

Qui non respondit ei uerbum.) Non de superbia Pharisæica, nec de Scribarum supercilio, sed ne ipse sententiæ suæ uideretur contrarius, per quam iusserat in uiam gentium, ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Nolebat enim occasionem calūniatoribus dare, perfectamque salutem gentium passionis & resurrectionis tempore referuabat. *Matth. 10.*

Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicēs: dimitte eam, quia clama-

g 4 mat

**C** mat post nos.) Discipuli illo ad huc tempore mysteria Domini nescientes, uel misericordia comoti, rogabant pro Chananea muliere, quam alter Euangelista Syrophenissam appellat, uel in portunitate eius carere cupientes, quia non ut clementem, sed ut durum medicum crebrius in clamaret.

Mat. 7.

Ipse autem respondens ait: Nō sum missus nisi ad oues quę perierūt domus Israël.) Non quod & ad Gentes non missus sit, sed primum ad Israël missus sit, ut illis non recipientibus Euangelium, iuste fieret ad Gentes transmigrationo.

At illa uenit & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.) Mira sub persona mulieris Chananiididis, Ecclesię fides, patientia, humilitas prædicatur. Fides, qua creditur sanari posse filia suam: patientia, qua toties contempta in precibus perseuerat: humilitas, qua se catulis comparat. O mira rerum conuersio, Israël quondam filius, nos canes, pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur: Circumdederunt me canes multi, & uidete canes, uidete malos operarios. De nobis autem, ad pietatis gratiam conuersis, dicit: Et alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient. Et filii: Fides tua te saluam fecit.

Mira conuersio.

Psal. 21  
philip. 3  
Ioan. 10.

Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus, at illa dixit, & iam Domine, nam & catelli edunt de micis, quę cadunt de mensa Dominorum suorum.)

Notandum sane quod mystice loquitur credens ex gentibus mulier. Qui catelli sub mensa comedunt de micis puerorū? Mensa quippe est scriptura sancta, quę nobis panem uitę ministrat, hinc etenim dicit Ecclesia: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Micę puerorum interna sunt mysteria scripturarum, quibus humilium solent corda refici. Nō ergo cruistas, sed micas de pane puerorum edunt catelli, quia conuersi ad fidem Gentiles, non literę superficiem in scripturis, sed spiritalium medullam sensuum, quam bonis actibus proficere uideant inquirunt. Et hoc sub mensa Dominorum, dum uerbis sacri eloquiū humiliter subdita ad implendam, quę præcepta sunt, cuncta sui cordis & corporis officia subponunt, quatenus ad speranda quę à Domino promissa sunt præmia in cælis, merito se debite humilitatis erigant.

Psal. 22.

**D** Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis, & sanata est filia illius ex illa hora.) Propter magnam matris fidem filia deseruit dæmonium. Vbi datur exempli cathecizandi infantes, quia uidelicet per fidem & confessionem parentum in baptismo, liberantur à diabolo paruuli, qui nec dum per se sapere, uel aliquid agere boni possunt aut mali.

Exemplum  
cathecizandi,  
& baptizandi  
di pueros.

Seda.

Typice autē mulier hæc gentilis, sed cum fide ad Dominū ueniens Ecclesiam designat de gentibus collectā quę & Chananea uocatur, quia zelo fidei comota ad Dominū ueniens, idola dereliquit. Chanaan autem zelus interpretatur, quę pro filia dæmoniaca Dominum rogat, cum pro populis suis, nec dum credentibus, ut & ipsi à diabolo fraudibus absoluantur, supernę pietati supplicat. Quod uero prius non respondit ei Dominus, significat, quod illo in carne præsentē, Gentes non audierunt uerbum ex ore eius, quod autem Apostoli dicunt Domino: dimitte eam, id est, suscipe preces eius, quia clamat post nos, significat, quod post resurrectionem ascensionemq; Domini audiens prædicationem Apostolorum, ut exaudiretur, clamabat. Quod uero de finibus suis egressam eam dicit Mathæus, hoc signat, quod illi solum fideliter ac recte properantibus orant, qui priscas suę perfidie mansiones relinquunt, atq; in domum Domini, uidelicet Ecclesiam, pia se deuotione transferunt.

## DOMINICA TRICESIMA LECTIO EPIST.

beati Pauli Apostoli ad Ephesios Capite. V.



Stote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationē & hostiā Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaritia, nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos Dei, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut scurrilitas

**A** litas quę ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc autem scitote, intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, nō habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo uos seducat inanibus uerbis, propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidentia. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est, in omni bonitate & iustitia & ueritate.

**E** Stote imitatores Dei sicut filij charissimi.) Non enim puto quod in cæteris Hiero. quocq; quę cuncti Deus fecerit, homo eum posset imitari, sed uerbi causa, ut quo modo ille est clemens, & pluit super bonos & malos, sic etiam nos bonitatem nostram super omnes homines effundamus. Quod cum fecerimus, erimus filij dilecti, siue ipsius Pauli, siue, quod melius puto, Dei.

Imitatione enim non natura filij Dei sumus, sicut ait saluator: Ut sitis filij patris uestri, qui in Primas. cælis est. Matth. 6.

Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.)

Qui pro aliorum salute usq; ad sanguinem contra peccatum dimicauit, ita ut & animam suam Hiero. tradat pro eis, iste ambulat in charitate, imitans Christū, qui nos in tantū dilexit, ut crucem pro salute hominum sustineret, quomodo enim ille tradidit semetipsum pro nobis, sic & ipse pro quibus potest libenter occumbens, imitabitur eum, qui oblationem & hostiam, in odorem suauitatis se patri tradidit, fiet etiam ipsa oblatio & hostia Dei in odorem suauitatis.

Fornicatio autem, & omnis immunditia aut auaritia, nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos.) Nisi Philosophorum quidam Cynicus extitisset, qui doceret omnem titillationem carnis & fluxum seminis non uitandum, nunq; sanctus Apostolus, scribens ad Ephesios, ad fornicationē etiam omnem immunditiam copulasset, & ad immunditiam iunxisset auaritiam. Nō hanc, quod pecunias cupimus congregare, sed illam, de qua supra diximus: Ne supergrediar auarus in negotio fratrem suum, id est, in adulteri negotium, quod est insatiabilis per omnia turpitudinum lasciuia, quę discursus, quod congruenter & turpitudinis generaliter accipit nomen. 1. Thef. 4.

Stultiloquium aut scurrilitas, quę ad rem non pertinent.) Stultiloquiū esse estimo, non solum eorum, qui aliqua narrant turpia, ut risum moueant, & fatuitate simulara, magis illudant eis, quibus placere desiderant, sed etiam eorum, qui sapientes seculi putant, & de rebus Physicis disputantes, dicunt, se arenas littorum, guttas oceani, cælorum spacia, terrę punctum liquido comprehendisse. Inter stultiloquium autem, & scurrilitatem, hoc inter-est, quod stultiloquium, nihil in se sapiens habet, scurrilitas uero, de prudenti mente descendit, & consulto appetit quędam, uel urbana uerba, uel rustica, uel faceta, quę nos iocularitatem alio uerbo possumus appellare, ut risum moueat audientibus. Verum hæc à sanctis uiris poenitus propellenda, quibus magis conuenit lugere: Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Sed magis gratiarum actio.) Quærat aliquis & dicat: quid sibi uult post fornicationem prohibitam & immunditiam, cæteraq; uitia, gratiarum actio? In hoc loco non ista est nominata, iuxta quam gratias agimus Deo, sed iuxta quam gratiam, siue gratiosi & fassi apud homines appellamur. Decet enim Christiani sermonem sale esse conditum, ut gratiam apud audientes habeat. Sermo Christi ani sale conditus.

Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.) Notandū quod sex uitij supra prohibitis, fornicatione, immunditia, auaritia, turpitudine, stultiloquio, scurrilitate, nunc tantum tria posuerit, fornicationem, immunditiam, auaritiam, quibus qui fuerit obnoxius, hæreditatem in regno Christi & Dei habere non possit. Si enim stultiloquus & scurra alieni essent à regno Dei, quomodo tres quos speciali-

**Iacob. 2.** C Specialiter separamus, uidere sententia esse crudelis, non ignoscere inbecillitati fragilitatis humanæ, cū etiam per iocū nos dicta dānarent. Qui enim in sermone non labit, perfectus est uir, quamuis enim aliquis à fornicatione, immūditia atq; lasciuia alienus sit, tamen si stultiloquus & scurra fuerit, non tenebit eum locū, quem possessurus erat, si hæc uitia non haberet. Respondet quis, esto, stultiloquium, scurrilitas non eundem habent reatum, quem fornicatio, immunditia & avaritia, nunquid non & turpitudinem cum tribus debuit nominare? Ad quod dicendum, turpitudinem hic significare abscondita cogitationum, cum inflamantur sensus nostri ad libidinem, & carnis titillationem anima ignita succenditur, & nihilominus Dei timore & mentis iudicio refrenatur. Deniq; etiam supra absq; turpitudine tria pariter appellauit, dicens: Fornicatio autem & omnis immunditia & avaritia, nec nominetur in uobis, & deinceps: Turpitudinem cum stultiloquio & scurrilitate numerata est, & quomodo stultiloquus & scurrilitas, sic & ista turpitudinem non perdit, nec in perpetuum excludit à regno. Inuenimus in locis plurimis Prophetarum idololatricam fornicationem appellatam: Fornicabantur, inquit, post idola sua, & spiritu fornicationis seducti sunt. Potest itaq; fornicatio & super idololatricam intelligi. Si uero a uarus ille accipitur, qui pecuniam utcumq; conquirens, nummos per fas & nefas habere desyderat, iste idololatre in eo est, quia sculpturā ipsius nummi colit, & idola in ea cælara ueneratur. **1. Tim. 2.** Ut uoratum Deus uenter est, ita cupidorum quoq; iustissime pecunia Deus dici potest. Maxime cum in alio loco Apostolus cupiditatem idololatricam uocat. Ad hæc uidendum quid senti reuoluerit dicens: In regno Christi & Dei, utrum nam aliud regnum Christi sit, aliud Dei, an idem regnum sit patris & filij. Et si quidem dixisset: in regno filij & patris, per filium ueniremus ad patrem, & licet esset diuersitas personarum, tamen esset regnantium una maiestas. Nunc uero cum dixerit: in regno Christi & Dei, ipsum Dominū & Christum intelligamus, quia & cū tradiderit regnum Deo & patri, non erit pater omnia in omnibus, sed Deus omnia in omnibus. Vbi autē Deus est, tam pater quā filius intelligi potest. Porro quod de patre & filio dicimus, hoc idem & de sancto spiritu sentiamus.

Nemo uos decipiat inanibus uerbis.) Verba quæ decipiunt atq; supplantant, inania sunt & uacia, quæ uero edificant audientes, plena, cummulata, confertatq;.

**D** Propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidentiae.) Diffidentiae filij sic dicuntur, quomodo filij perditionis & fornicationis & filij mortis & filij gehennæ & cetera his similia, quæ in uarijs scripturarum locis inuenire per facile est.

Nolite ergo effici participes eorum.) Particeps siue conparticeps sit diffidentis filiorum, qui in fornicatione & immunditia & in avaritia, propter quæ uenit ira Dei super filios diffidentiae, reperitur, & particeps quidem eorum est, ab eo quod participatur & cōmunionem habet malorum operū, conparticeps uero is appellatur, qui cum alijs est particeps.

Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.) Cum propter malitiā tenebræ uocarentur, ad meliora conuersi, nunc lux appellantur in Domino. Omnis enim qui operatur malū, odit lucem, de iustis dicitur: Nunc autem lux in Domino. Tenebrosus est & filius noctis atq; tenebrarum, qui operatur malum, qui uero operatur ueritatem & in lucem uenit lux est & filius lucis & dei.

**Ioc. 1. 15.** Ut filij lucis ambulate.) Si Deus lux est & tenebræ non sunt in eo, filij lucis sunt, nec nō, si Christus lux uera est, filij quoq; eius, ad quos loquitur, dicens: Filij mei, adhuc modicum uobiscum sum, filij uero lucis sunt, ex quo colligitur eosdem filios esse Dei patris, qui sunt filij Christi Iesu.

Fructus enim est lucis & cetera.) Siquidem fructus lucis non solū est in bonitate, sed in iustitia & in ueritate, ubi itaq; bonitas est, ibi & iustitia: ubi iustitia, ibi consequenter & ueritas. Apud bonum ergo Christi patrem, ut ipsi quoq; fatentur & bonitas est & ueritas: ubi autem bonitas & ueritas, apud ipsum, & non apud alium, ut nunc Apostolus docet, iustitia est. Intelligat quoq; Marcion ipsum Christū bonitatem, ueritatem & iustitiā nuncupari. Bonitatem in eo, q̄ non secundum opera, sed secundum misericordiam det gratiā credentibus in se: iustitia in eo, dum unicuiq; retribuit quod meretur: Porro ueritatē, dum ipse solus causas creaturarum omnium, rerumq; cognoscit.

Euangelium



**A** Rat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem ut uidit cogitationes eorū, dixit eis: Omne regnū in se ipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadit. Si autē & sathanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis: In Beelzebub eijcere me dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit ad uos regnū Dei. Cū fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autē fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, aduersum me est: Et qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Et cum uenerit, inueniet eam scopsis mundatam. Et tunc uadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se. Et ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit. Quinimo? Beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

**B** Rat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum, & cum eiecisset dæmonium, loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.) Dæmoniacus Beda. iste apud Matheum, non solum mutus, sed & cæcus fuisse narratur. Curatusq; dicitur à Domino, ita ut loqueretur & uideret. Tria ergo signa simul in uno homine perpetrata sunt. Cæcus ut dicit, mutus loquitur, possessus à dæmonio liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factū est, sed & quotidie completur in conuersione credentium, ut expulso primum dæmone, fidei lumē aspiciant, deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur.

Quidam autem ex his dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.) Non hæc aliqui de turba, sed Pharisei calumniabantur & Scribæ, sicut alij Euangelistæ testantur. Turbis quippe, quæ minus eruditæ uidebant, Dei semper facta mirantibus, illi contra, uel negare hæc, uel quæ negare nequuerant, sinistra interpretatione peruertere laborabant, quasi non hæc diuinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent. Ideo in Beelzebub, qui Deus erat Accaron. Nam Beel quidem ipse est Baal, Zebub autem, musca uocatur. Nec iuxta quædam mendosa exemplaria, l litera uel d in fine est nominis legenda, sed b. Beelzebub ergo Baal muscarum, id est, uir muscarum, siue habens muscas, interpretatur. Ob sordes uidelicet immolationis cruoris, ex cuius spurcissimo ritu uel nomine principē dæmoniorum cognominabant.

Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.) Vel in more Hebraicæ, signum de sublimi uenire cupiebant, uel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo mugire tonitrua, cor uiscare fulgura, imbres ruere, quasi non possint & alia calumniari & dicere, ex occultis & uarijs aëris passionibus accidisse. At tu qui calumniaris ea quæ oculis uideri manu

**C** manu tenes, utilitate sentis, quid facis de his, quæ de cælo uenerint, utiq; respondebis, & Magos in Aegypto multa signa fecisse de cælo.

**Exod. 7. 8.** Ipse autem ut uidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Nō ad dicta, sed ad cogitata respondit, ut uel sic cōpelleretur credere potentiæ eius, qui cordis uidebat occulta. Si autem omne regnum in se ipso diuisum desolabitur, ergo patris & filij & spiritus sancti regnum non est diuisum, quod sine ulla contradictione, nō aliquo impulsu desolandum, sed æterna est stabilitate mansurum.

Regnum patris filij et spiritus sancti non diuisum.

Si autem & Satanas in semetipso diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius? quia dicitis in Beelzebub eijcere me demonia. Hoc dicens, ex eorum cōfessione uolebat intelligi, quod in eum non credendo, in regno diaboli esse elegerent, quod utique aduersum se diuisum stare nō posset. Eligant ergo Pharisei quod uoluerint, si Satanas Satanas nō potest eijcere, nihil contra Dominum, quod dicerent inuenire potuerunt, si autē potest, multo magis sibi prospiciat, & recedant de regno eius, quod aduersum se diuisum stare nō potest. In quo autem Dominus Christus eijciat dæmones, ne dæmoniorum principem existiment, adtendant quod sequitur:

Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt?

**Filij Iudeorum discipuli Domini.** Ideo ipsi Iudices uestri erunt. Dixit hoc utiq; de discipulis suis, illius populi filijs, qui certe discipuli Domini Iesu Christi bene sibi conscij fuerat, nihil se malorum artium à bono Magistro didicisse, ut in principe dæmoniorum eijcerent dæmones. Ideo, inquit, ipsi Iudices erunt uestri. Ideo, inquit, ipsi ignobilia & contemibilia huius mundi, in quibus non artificialia malignitas, sed sancta simplicitas mea apparet, ipsi testes mei, iudices uestri erunt. Aliter, filios Iudæorum, exorcistas gentis illius ex more significat, qui ad inuocationem eijciebant dæmones, & coarct eos interrogatione prudenti, ut constanter spiritus sancti effectus opus. Quod si expulsi, inquit, dæmonium in filijs uestris, Deo non dæmonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat causam. Ergo ipsi Iudices uestri erunt, non potestate sed cōparatione, dum illi expulsionē dæmonū Deo adsignant, uos Beelzebub principi dæmoniorū.

**D** Porro si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnū

Dei. Itē est digitus, quem confitentur & magi, qui contra Moſen & Aaron signa faciebāt, dicentes: Digitus Dei est iste, quo & tabulæ lapideæ scriptæ sunt in monte Syna. Igitur manus & brachium, Dei filius est, & digitus eius, est spiritus sanctus, patris & filij & spiritus sancti una substantia est. Non te scandalizet membrorum inæqualitas, cum edificet unitas corporis. Aliter, digitus Dei uocatur spiritus sanctus, propter participationem donorum, quæ in eo dantur unicuique propria, siue hominum, siue angelorum, in nullis enim membris nostris magis apparet participio quam in digitis. Quod autem dixit, peruenit in uos regnum Dei. Regnū Dei nunc dicit, quo damnantur impij, & à fidelibus, de peccatis suis penitentiam nunc agentibus, fecerunt. Aliter, regnum Dei Christus est, de quo alibi: Regnum Dei intra uos est, siue ueniet uobis regnum Dei, illud sublime solum unde, Ioannes aiebat: Penitentiam agite, adpropinquabit enim regnum celorum.

Digitus Dei, Exod. 8.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Fortem diabolum, atrium uero illius mundum, qui in maligno postus est, appellat, in quo usque ad saluatoris aduentum male peccato poterat imperio, quia in cordibus infidelium, sine ulla contradictione quiescebat, unde & alibi princeps mundi uocatur, dicente Domino: Venit enim princeps mundi, & in me nihil inueniet, & iterum: Nunc princeps mundi eijciatur foras, de qua hic electione subiungitur.

Ioan. 14.

Si autem fortior illo superueniens uicerit eum uniuersa arma eius auferret, in quibus confidebat & spolia eius distribueret. De se ipso quippe loquitur, quod non cōcordi fallax operatione, quemadmodū calumniabantur, sed fortiori potentia uictor, homines à dæmonio liberaret. Arma in quibus male fortis ille confidebat, quæ sunt nequitie spirituales. Spolia uero eius ipsi homines sunt ab eo decepti, quæ uictor Christus distribuit, quod est insigne triumphantis, quia captiuam ducens captiuitatem, dedit dona hominibus, quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, hos Prophetas, illos pastores ordinans & Intra

**A** Intra ergo in domum fortis, id est, in hoc seculum mortalium, sub potestate diaboli, quantum Beda, ad ipsam mortem pertinet, constitutum. De ipso quippe scriptum est: quod potestatem habeat mortis. Intra ergo domum fortis, id est, in suo dominatu habentis genus humanum, & prius alligat eum, id est, eius cohercet & cohibet potestatem. Potestatis suæ fortibus uinculis, sic eripit uasa eius, quæ cumque prædestinavit eripere, ab eius liberans potestate, ut illo non impediante, creant in istum libera uoluntate.

Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Nō puter quisque de hereticis & scismaticis, quantum & ita ex superfluo possit itelli Hiero. gi, sed ex consequentibus, textuque sermonis, ad diabolum refertur. Et quod non possint opera saluatoris, Beelzebub operibus comparari: Ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: Ille predicat idola, hic unus Dei noticiam: Ille trahit ad uitia, hic ad uirtutes reuocat.

Cum immundus spiritus exiret de homine, ambulabat per loca inaquosa.)

Quamuis simpliciter intelligi possit, Dominum hæc ad distinctionem suorum, & fatanæ operum, adiunxisse. Quod scilicet ipse semper polluta mundare, fatanas uero mundata grauiores festinet contaminare fordibus, tamen & de heretico quolibet, uel scismatico, uel etiam malo catholico potest non inconuenienter accipi. De quo, tempore baptismatis, spiritus immundus, qui prius in eo habitauerat, ad confessionem catholice fidei abrenunciationem conuersationis, eijciatur. Loca in aquosa peragret, id est, corda fidelium, quæ à mollietate fluxæ cogitationis expurgata sint, callidus insidiator exploret, si quos ibi forte suos nequitie gressus figere possit, sed bene dicitur.

Heretici scismatici.

Quærens requiem, & non inueniens.) Quia castas mentes effugiens, in solo diabolus corde prauiorum gratiam sibi potest inuenire quietē. Unde de illo Dominus: Sub umbra, inquit, dormit in secreto calami, & in locis humentibus, in umbra uidelicet, tenebras conscientias: in calamo, qui foris nitidus, intus est uacuum, simulatrices: in locis humentibus, lasciuas mollesque mentes insinuans.

**B** Dicit: Reuertar in domum meam unde exiui.) Timendus est iste uerficulus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamur, per incuriam nos uacantes opprimat. Timenda sententia.

Et cum uenerit, inuenit scopis mundatam.) Hoc est, gratia baptismatis à peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulata. Unde bene Mattheus hanc domum uacantem, scopis mundatam atque ornatam dicit inuentam. Mundatam uidelicet à uitijis pristinis per baptismum, uacantem à bonis actibus per negligentiam, ornatam simulatis uirtutibus per hypocrysim.

Et tunc uadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi.) Per septem malos spiritus, uniuersa uitia designat. Quemcumque enim post baptismum siue prauitas heretica, seu mundana cupiditas arripuit, mox omnium profertur in ima uitiorum. Unde recte, nequiores tunc eum spiritus dicuntur ingressi, quia non solum habebit illa septem uitia, quæ septem spiritualibus sunt contraria uirtutibus, sed & per hypocrysim ipsas se uirtutes habere simulabit.

Et sunt nouissima hominis illius peiora prioribus.) Melius quippe erat ei, uiam ueritatis non cognoscere, quam post agnitionem retrorsum conuertere. Quod in Iuda traditore, uel Simone mago, ceterisque talibus specialiter legimus impletum. Quod autem generaliter hæc parabola tendat, ipse secundum Mattheum saluator exposuit, ubi ea terminata, mox subdit, dicens: Sic erit & generationi huic pessimæ, id est, quod de uno quolibet specialiter geri solet enarraui, hoc in tota generaliter huius populi gente geri non desinit.

Immundus quippe spiritus exiit à Iudæis, quando acceperunt legem, & ambulauit per loca arida, quærens sibi requiem. Expulsus uidelicet à Iudæis, ambulauit per gentium solitudines, quæ cum postea Domino credidissent, ille non inuento loco in nationibus, dixit, reuertar in domum meam pristinam unde exiui. Habeo Iudæos, quos ante dimiseram, & ueniens in uenit uacantem scopis, mundatam. Vacabat enim templum Iudæorum, & Christus hospitium non habebat dicentem: Dimittetur uobis domus uestra deserta. Quia igitur Dei & angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis obseruationibus Phariseorum, reuertitur ad eos

Math. 23.

**C** ad eos diaboli, & septenario sibi numero dæmonium addito, habitat pristinam domum, & sunt posteriora illius populi peiora prioribus. Multo enim nunc maiore dæmonum numero possidentur, blasphemantes in synagogis suis Christum Iesum, quam in Aegypto possessi fuerant ante legis notitiam. Quia aliud est, uenturum non credere, aliud eum non suscepisse, qui uenerit. Septenarium enim numerum adiunctum diabolo, uel propter sabbatum intelligi, uel propter numerum spiritus sancti, ut quomodo in Esaia super uirgam de radice Iesse, & florem qui de radice eius ascendit, septem spiritus uirtutum descendisse narrantur, ita & contrario uirtutum numerus in diabolo consecratus sit.

Factum est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Phariseis Dominum tentantibus, simul & blasphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia consistit, ut & presentium procerum calumniam, & futurorum confundat hereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudæi sancti spiritus opera blasphemando, uerum, consubstantialitatemque patris Dei filium negabant, sic & heretici postea negando, Mariam semper uirginem, sancti spiritus operante uirtute, nascituro ex humanis membris unigenito Deo, carnis suæ materiam ministrasse, uerum, consubstantialitatemque matris filium hominis, fateri non debere dixerunt. Sed si caro uerbi Dei secundum carnem nascentis à carne uirginis matris pronunciat extranea, sine causa ueater qui eam portasset, ubera quæ lactarent, beatificant. Quia enim consequentia eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus, eum ex unius eiusdemque fontis origine, secundum Physicos, uterque liquor emanare probetur. Nisi forte putanda est uirgo sementi uiam suæ carnis materiam, nutriendo in carne Dei filio suggerere potuisse, incarnando autem, quasi maiori & inusitato miraculo minime potuisse. Sed huic opinioni obstat Apostolus, dicens: Quia misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Neque enim autendi sunt, qui legendum putant: Natum ex muliere, factum sub lege, sed factum ex muliere, quia conceptus in utero uirginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne.

**D** Alioquin, nec uere filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra euthicen dictis, extollamus uocem cum Ecclesia catholica, cuius hæc mulier typum gessit. Extollamus & mentem de medio turbamur, dicamusque saluatori: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. Vere enim beata parens, quæ sicut quidam ait:

Enixa est puerpera regem. Qui cælum terramque tenet per secula, cuius Numen & æterno cõplectens omnia gyro. Imperium sine fine manet, quæ uentre beato, Gaudia matris habes, cū uirginitatis honore. Nec primam simile uisa est, nec habere sequentem.

At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud. Pulchre saluator adestationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quæ uerbum Dei corporaliter generare meruerat, sed & omnes, quidem uerbum spiritualiter auditu fidei conueniunt, & boni operis custodia, uel in suo, uel in proximorum corde parere, & quasi alere studeant, asseuerans esse beatos. Quia et eadem Dei genetrix, & inde quidem beata, quia uerbi incarnandi ministra est facta temporalis, sed inde multo beatorum, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna. Quia sententia, sapientes Iudæorum clam percudit, qui uerbum Dei non audire & custodire, sed negare & blasphemare quærebant.

FERIA SEXTA EBDOMODA SECUNDA IN QVADRAGESIMA. Euangelium Ioannis. Cap. III.



Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem, hora autem erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria, haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierunt in ciuitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim eoutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dixit:

**A** dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haureas habes, et puteus altus est. Unde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit & filij eius, & pecora eius. Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade uoca uirum tuum, & ueni huc. Respondit mulier & dixit: Non habeo uirum. Dixit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo uirum, quin quæ enim uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir, hoc uere dixisti. Dicit ei mulier: Domine, uideo quia propheta es tu, patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis: quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier credem mihi, quia uenit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitur Pater. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Quia salus ex Iudæis est.

**B** Sed uenit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet eum adorare. Dicit ei mulier: Ador quia Messias uenit, qui dicitur Christus. Cum ergo ille uenerit, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum. Et continuo uenerunt discipuli eius & mirabantur, quia cū muliere loquebatur, nemo tamen dixit: Quid queris? aut quid loqueris cū ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier & abiit in ciuitatem, & dixit illis hominibus: Venite & uidete hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & ueniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem uos nescitis. Dixerunt ergo discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Nonne uos dicitis, quod adhuc quattuor menses sunt, & mensis uenit. Ecce dico uobis: Lauate oculos uestros & uidete regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam. Ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est uerbum uerum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos metere, quod non laborastis, alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa, multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter uerbum mulieris, testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum uenissent ergo ad illum Samaritani rogauerunt eum, ut ibi maneret, & mansit ibi duos dies. Et multo plures



**C**rediderunt propter sermones eius. Et mulieri dicebant: Quia non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuius & scimus, quia hic est uere saluator mundi.

**I**esus fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem, hora erat quasi sexta.)

Iesus ergo fatigatus ex itinere, quid est aliud, quam fatigatus in carne, infirmus in carne Iesus. Iter ipsius est, caro adsumpta pro nobis, quia non ad nos ueniret, nisi formam uisibilis carnis assumeret. Quia ergo uenire ad nos eo modo dignatus est, ut in forma serui, adsumpta carne, appareret, ipsa carnis adsumptio est iter ipsius. Quare ergo hora sexta, quia etate seculi sexta. Ad puteum sagatus uenit, quia infirmam carnem portauit. Ad puteum, quia ad profunditatem huius habitationis nostrae, unde dicitur: De profundis clamaui ad te Domine. Sedit, quia humiliter est.

Psal. 30.

**E**t uenit mulier de Samaria haurire aquam.) Ista mulier typum gerebat Ecclesiae. Ventura enim erat Ecclesia de Gentibus alienigena a genere Iudaeorum. Audiamus ergo illam nos, & in illa agnoscamus nos, & in illa gratias agamus Deo pro nobis. Illa etenim aqua, quam de puteo haurire uenerat, uoluptas seculi est, profunditate tenebrosa, hic eam hauriunt homines hydra cupiditatis, nam & hydra cupiditatem significat.

**D**icit ei Iesus: Da mihi bibere.) Ille autem qui bibere quarebat, fidem ipsius ueris siciebat. Petit bibere & promittit bibere. Aeger quasi accepturus, & affluit tanquam satieturus.

**S**i scires, inquit ei Iesus, donum dei, & quis esset, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.) Donum Dei est spiritus sanctus. Aqua uero quam Dominus ei promittit dari, ut non sitiret in aeternum, illa est, de qua dictum est: Apud te est Domine fons uitae. Eriterum: Satiabimur in bonis domus tuae. Nam quomodo sitient, qui inebriantur ab ubertate domus tuae? Promittit ergo sanguinam quandam & satietatem, & illa nondum intelligens, dicit ad eum:

**D**omine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire, Dicit ei Iesus: Vade uoca uirum tuum, & ueni huc.) Quid est? Voca uirum tuum, id est, adhibe intellectum. Videns ergo Iesus, quia mulier non intelligebat, & uolens eam intelligere: Voca, inquit, uirum tuum, ideo enim nescis, quod dico, quia intellectus tuus non ad est, uoca uirum tuum, presenta intellectum tuum, per quem docearis, corigaris. Intellectum autem adhibe, tanquam uirum, & intellige quare loquor, quia nec ad uoluntatem aurium pertinet, nec ad oculos, nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad tactum, sed mente sola capiuntur, intellectum solo hauriuntur, illa uero nondum aduocato uir, id est, non adhibito intellectu.

**R**espondit & dixit: Non habeo uirum, Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo uirum, quinque enim uiros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus uir, hoc uere dixisti.) Multi quippe intellexerunt, quinque uiros mulieris huius, quinque libros Mosi. Utebantur eis Samaritani, & sub eadem lege erant. Nam inde illis & circumcisio inerat. Aliter uidetur mihi, quinque uiros animae, quinque sensus corporis esse. Quare autem uiri dicti sunt, quia legitimi a Deo quippe facti, & a Deo donati animae. Infirma est adhuc, quae istis quinque sensibus regitur, & sub istis quinque uiris agit, ubi uero intellectus, sapientia imbutus, regere coeperit animam, & discretus coeperit secernere iusta & iniusta, bona & mala, utilia & inutilia, castitatem & impudicitiam, hanc ut amet, & illa ut uitet, charitatem & odium in hac ut sit, in illo ut non sit, hic uir quinque illis uiris in ista muliere non successerat. Vbi ergo non successit intellectus, error dominatur. De isto illi Dominus dixit: Hunc quem habes non est tuus uir. Error autem iste, non erat legitimus uir, sed adulter. Voca itaque, non adulterum, inquit Dominus, sed uirum tuum intellectum, me capias, non errore de me aliquid sentias falsum.

Dicit

**A** Dicit mulier: Domine, uideo quia Propheta es tu.) Tunc coepit uenire uir, nondum plene uenit. Prophetam Dominum putabat, erat quidem & Propheta, nam de se ipso ait: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, item de illo dictum est ad Moysen: Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum similem tui, similem scilicet, ad formam carnis, non ad eminentiam maiestatis.

Luc. 4  
Deut. 18.

**P**ares nostri in monte hoc adorauerunt. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi.) Iam enim est in te, qui credat, quia praesens est uir tuus, coepisti adesse intellectu, quando me Prophetam appellasti. Ergo mulier, crede mihi, quia uenit hora, & nunc est. Quare ergo hora? quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Quia spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

**N**os adoramus quod scimus, uos adoratis quod nescitis, quia salus ex Iudaeis est.) Multum dedit ex Iudaeis, sed noli istos reprobos accipere. Ex persona quidem Iudaeorum dictum est, sed non omnium Iudaeorum, non reproborum, sed de quibus fuerunt Apostoli, quales fuerunt Prophetae, quales fuerunt illi omnes sancti, qui omnia sua uendiderunt, & precia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt. Non repulit enim Deus plebem suam, quam proficiuit: Audiuit hoc mulier ista, & addidit.

**S**cio quia Messias uenit, qui dicitur Christus. Cum ergo uenerit ille, nobis adnuntiabit omnia.) Iam enim digna erat, cui manifestaretur, Messias autem unctus est. Unctus Graece  $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$ , Hebraice  $\text{מָשִׁיחַ}$ .

**D**icit ei Christus: Ego sum, qui loquor tecum & rel.) Reliquit ergo mulier hydriam suam audito: Ego sum qui loquor tecum, & recepto in corde Christo Domino, quid faceret, nisi iam hydriam dimitteret, & Euangelizare curreret: Hydria Graeco nomine appellatur. Graece enim  $\psi\delta\alpha\varsigma$  aqua dicitur, quasi dicatur aquarum. Significat enim in hoc loco cupiditatem, proiecit cupiditatem, & properauit adnuntiare ueritatem. Dicant qui nolunt Euangelizare, proiciant hydriam ad puteum, & sic currant adnuntiare Christum, sicut illa onere abiecto, currit ad ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite & uidete hominem, qui mihi dixit omnia quaecumque feci, nunquid non ipse est Christus? &c.

**N**onne uos dicitis, quod adhuc quattuor Menses sunt, & messis uenit &c.) Iam ista mulier fructus maturus erat, & erant albæ messes, & falcem querebant. Quia quod antea per Prophetas seminatum fuerat, maturum factum erat, falcem & trituram desiderabat. Messores tantummodo mittendi erant, unde & Dominus, inquit, illis:

**M**isi uos quocumque metere, quod non seminastis, alij seminauerunt & uos in eorum labores introistis.) Qui laborauerunt: Ipse Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, & ceteri Patriarchae & omnes Prophetae. Legite labores eorum, in omnibus eorum laboribus, Prophetia est Christi, & ideo seminatores. Ergo iam in Iudaea messis parata erat. Quid inde factum est. De ipsa messe ciecta sunt pauca grana, & seminauerunt orbem terrarum, & surgit alia messis, quae in fine seculi metenda est. Ista ergo messis crescit inter zizaniam, cuius messores non Apostoli, sed angeli sunt. Videte quid dictum sit: simul gaudeat qui seminat, & qui metet. Disparis temporis labores habuerunt Apostoli & Prophetae, sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt uitam aeternam. Rogauerunt enim, ut ibi maneret, & mansit ibi duos dies & reliqua. Christus nunciatur per Christianos amicos, tanquam muliere, hoc est, Ecclesia adnunciante, ad Christum ueniunt, qui foris sunt, & nondum sunt Christiani. Credunt per istam famam. Manet apud eos biduo, hoc est, dat illis duo praecepta charitatis, id est, dilectionem Dei & proximi, & multo plures & firmius credunt, quoniam ipse est uere Saluator mundi.

h 3 Sab.





**P**errexit Iesus in montem oliueti, & diluculo iterum uenit in templum, & omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribae & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, haec mulier modo in adulterio deprehensa est. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Haec autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebant in terram. Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis: Qui sine peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans, scribebat in terram. Audientes autem haec, unus post unum exiebant, incipientes a senioribus. Et remansit Iesus solus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quae dixit: Nemo Domine. Dixit autem ei Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

*Oleum gratia  
misericordiae  
Dei pulchre  
significat.*  
**P**errexit Iesus in montem oliueti.) Mons quippe Oliueti, sublimitatem dominice pietatis & misericordiae designat, quia & Graece *ἄλιος καὶ ἡλιος*, misericordia dicitur. Oliuetum uocat oleum, & ipsa unctio olei fessis solet adferre leuamen. Sed & hoc, quod oleum & uirtute ac puritate preminet, & quaecumque ei liquor superfundere uolueris, confestim hunc transcendere, patrum superferri consuevit, gratia misericordiae coelitis non inconuenienter insinuat, de qua scriptum est: Suauis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

**Et diluculo uenit iterum in templum.)** Tempus quoque diluculi, exortum eiusdem gratiae, qua remota legis umbra, lux Euangelicae ueritatis erat reuelanda, demonstrat. Pergit ergo Iesus in montem oliueti, ut arcem misericordiae in se constare denuntiet. Venit iterum diluculo in templum, ut eandem misericordiam, cum incipiente Noui Testamenti lumine, fidelibus, templo uidelicet suo, pandendam prebendamque significet.

**Et omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos.)** Sessio Domini humilitatem incarnationis eius, per quam nobis misereri dignatus est, insinuat. Bene autem dicitur: quia cum sedens doceret Iesus, omnis populus uenit ad eum, quia postquam humilitate suae carnis proximus hominum factus est, libentius est a multis eius sermo receptus, namque a pluribus est superba impietate contemptus, audierunt enim mansueti & laetati sunt.

**Adducunt autem Scribae & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare &c.)** Vt, si ipse hanc lapidandam decerneret, deriderent eum, quasi misericordiae, quam semper docebat, oblitum. Si lapidare uetaret, striderent in eum dentibus suis, & quasi fauorem scelerum, legisque contrarium, uelut merito, damnarent.

**Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.)** Per inclinationem Iesu, humilitas, per digitum, qui articulorum computatione flexibilis est, subtilitas discretione exprimitur. Porro per terram, cor humanum, quod uel bonarum actionum uel malarum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium, sed prius se inclinans deorsum, digito scribit in terra, ac tum demum quum

**A** quum obnoxie rogatur iudicat. Nos uidelicet typice instituens, ut quando cum proximorum errata conspiciamus, non haec antea reprehendendo iudicemus, quam ad conscientiam nostram humiliter reuerfi, digito eam discretionis solerter exculpemus. Et quid in ea conditori placeat, quidue displiceat, sedula examinatione dirimamus, iuxta illud Apostoli: Fratres, & si pro peccatu fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. Gal. 6.

**Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat.)** Qui hinc & inde Domino Scribae & Pharisei tendebant laqueos insidiarum, putantes eum uel immisericordem futurum in iudicando, uel iniustum, prouidens ille dolos, quasi fila transit araneae, iudicium iustitiae per omnia & mansuetudinem pietatis ostendens. Ecce temperantia miserandi: Qui sine peccato est uestrum. Ecce iterum iustitia iudicandi: Primus in illam lapidem mittat. Ac si dixisset: Si Moyses mandauit uobis mulierem huiusmodi lapidare, uidete, quia non hoc peccatores, sed iustos facere praecipit, primo uos ipsi iustitiam legis implete, & sic innocentes manibus, & mundo corde ad lapidandam ream concurrite. Primo spiritalia legis edicta, fidem, misericordiam, & charitatem perficite, & sic ad carnalia iudicanda diuertite.

**Et iterum se inclinans, scribebat in terra.)** Et quidem iuxta morem consuetudinis humanae potest intelligi, quod ideo Dominus coram tentatoribus improbis, inclinari & in terra scribere uoluerit, ut alio uultum intendens, liberum eis daret exire, quos sua responsione perculsos, citius exituros, quam plura interrogaturos esse praeuiderat.

**Audientes autem, unus post unum exiebant, incipientes a senioribus, & remansit solus, & mulier in medio stans.)** Sed figurate nos admonet in eo, quod & ante datam & post datam sententiam, inclinans scripsit in terra, ut & priusquam peccantem proximum corripiamus, & postquam debite castigationis illi ministerium reddiderimus, nos ipsos digna humilitatis inuestigatione perpendamus, ne forte aut ipsidem quae in ipsis reprehendimus, aut alijs quibuslibet simis facinoribus irriterit. Sicut forte fieri poterit, ut ipse, qui homicidam reum mortis esse iudicauerit, ipse in se ipso, per odium fraternae mortis, reus esse ante oculos conditoris inueniatur. Similiter, qui fornicationis crimen in fratre accusat, in se ipso superbiae facinus non uideat. Ideo iubetur iudex alieni criminis digito discretionis in corde suo describere, ne forte in se ipso reus inueniatur. Quid igitur nobis in huiusmodi periculis remedij, quid restat salutis? nisi ut cum peccantem conspiciamus alium, mox inclinemur deorsum, hoc est, quam deiecit ex nostrae conditione fragilitatis sumus, si non nos diuina pietas sustinet, & humiliter inspiciat. Digito scribamus in terra, id est, discrimine solerti pensemus, an cum beato Iob dicere possimus, neque enim reprehendit nos cor nostrum in omni uita nostra. Bene qui inclinatus scripsit in terra, erectus misericordiae uerba deprimat. Quia quod per humanam infirmitatis societatem promissit, per diuinae uirtutem potentiae omnibus donum pietatis impendit.

**Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant, nemo te condemnauit? quae dixit: nemo Domine. Dixit autem ei Iesus: nec ego te condemnabo, uade & amplius noli peccare.)** Nemo condemnare ausus est peccatricem, quia in se singuli cernere coeperant, quod magis damnandam cognoscerent. Sed qui accusantium turbas, prolato iustitiae potere fugauit, uideamus accusatam quanto misericordiae munere subleuet. Sequitur.

**Dixit autem Iesus, nec ego te condemnabo, uade, iam amplius noli peccare.)** Quoniam misericors & pius praeterita relaxat. Quoniam iustus est, & iustitiam diligit, ne amplius iam peccet interdicit. Dicebant apud semetipsos: Aut iubebit eam lapidare, & amittit mansuetudinem, unde placet hominibus: aut iubebit eam dimittere, & tenebimus praearcatorum legis. Quid ergo respondit Dominus, iussit lapidare dicens: Qui sine peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat. Tales enim ministros lex

**C** habere uoluit, qui priores uitaret, quod in alijs culpabat. Quid est: inclinauit se & scribebat in terra: Descendit ad nos maiestas æterna, & indutus carne mortali descendit ad istam habitationem nostram, ubi mortaliter uiuimus, & digito scribebat in terra. Scribere enim signum facere est, literæ autem signa sunt uocum, quando enim dico, Deus, iste duæ syllabæ & quattuor literæ signa sunt magnæ rei, quæ dicitur Deus, quam audiens omnis humana conscientia, contremescit. Ergo scribebat in terra, quid est aliud, nisi signa faciebat in terra. Totum quicquid hic fecit Dominus, si mortuorum suscitauit, si cæcum illuminauit, scribebat in terra. Talia omnia signa sunt rerum expressa in corpore, significata in animo. Quod enim facere uolebat in animo, hoc præfigurabat in corpore. Neque enim Lazarus sic reuixit, ut non moreretur, aut quando fauauit oculos cæci, non eos moriens clausit, quid ergo profuit, quia signa faciebat, hoc est, digito scribebat in terra, ut corporalia facta dirigerent admirationem, admiratio suspenderet iudicium, ut quærerent homines uim rerum uisibilem, & sanarentur inuisibiliter ad inuisibilia cõtuenda.

**CONCORDIA.** Quamuis figuratè plurimum sibi hæc duæ conueniant lectiones, tamen historialiter in ipso montis nomine istarum duarum fit concordia lectionum.

## DOMINICA IN VICESIMA EPIST.

beati Pauli Apostoli ad Galatas Cap. III.



**S**criptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est. Qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Vnum quidè in monte Syna, in seruitutè generas, quæ est Agar: Syna enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & seruit cū liberis suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra, scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non parit, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet uirum. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura: Erige ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancille, cum filio libere. Itaque fratres non sumus ancille filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

**S**criptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla & unum de libera. Vterque quidem de semine Abraham. Sed illum genus demonstrat consuetudo naturæ, istum uero dedit promissio, significans gratiam, ibi humanus usus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur.

Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera, per repromissionem. Ismael carnis filius, Isaac fidei fuit. Illum enim Abraham ex ancilla, secundum carnalem consuetudinem genuit, istum contra naturam, repromissioni credendo, suscepit.

Quæ sunt per allegoriam dicta. Hoc est, aliud ex alio figuratum. Dedit regulam Apostolus, quomodo allegorizare debeamus, scilicet, ut manente hystoriæ ueritate, figuras intelligamus. Nam cum dixisset: Abraham uere duas uxores habuisse, postea quid hæc ipsæ præfigurarent mystica ratione significauit, hoc contra illos facit, qui totum secundum literam intelligi uolunt, & sensum allegoricum non recipiunt.

Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem in monte Syna. Veteris & Noui Testamenti doctrina, quasi duæ matres sunt, sed Verus in monte Syna per Moysem datum est.

Nihil

**A** Nihil enim prodest testamentum uetus de monte Syna in seruitutem generans, nisi quia testimonium perhibet Testamento nouo. Altoquin, quam diu legitur Moses, uelamen super corda eorum positum est. Cum autem inde quisque transierit ad Christum, auferetur uelamen transitorium, quippe intentio ipsa mutatur, de uetere ad nouum, ut nouum quisque induat.

In seruitutem generans, quæ est Agar. In seruitutem autem generans dixit, quia Iudæi metu etiam præsentis ac periculo, ad mandatorum obseruantiam cogebantur ut serui. Nam Christiani ad iugum suauæ, & onus leuæ, premijs inuitantur, ut liberi, illi quasi serui, propter moralia præcepta, etiam diuersis operibus occupantur. Nobis tanquam filijs, omnia seruitutis onera, adimpletis moralibus, auferuntur, & illi sacerdotibus ex debito seruientes, tributa reddere etiam cogebantur. Nos uero præter charitatem nihil debentes, uoluntarie Antistites nostros honoramus.

Syna mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, qui nunc est Hierusalem, & seruit cum filijs eius. De qualitatibus locorum, ostendit diuersitatem testamentorum. Agar itaque synagogam uult intelligi, & terrenam Hierusalem, cui mons Syna, in quo est lex cõscripta, coniunctus est. Huius ergo filij, seruiunt oneribus legalium mandatorum.

Illam autem quæ sursum est Hierusalem, libera est. In Saræ persona, uel Ecclesiam demonstrat, uel cœlestem Hierusalem, ideo de cœlo aduenit mediator, & Pontifex noui Testamenti, & Euangelium non in uno Iudææ loco, sed in toto mundo est prædicatum.

Quæ est mater nostra. De Ecclesiæ ergo filijs, quæ libera est, superna construitur Hierusalem, & ideo Galathæ liberæ filij, serui esse non debent.

Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non parit, erumpe & clama quæ non parturis. Probat aliam nos matrem habere, meliorem quàm Iudæi Hierusalem. Deserta autem diu fuit à sancto spiritu, Gentium mater Ecclesia. Ne habuit duos filios ante gratiam regenerationis, quæ postea Gentes & populos, Deo in se operante, genuit.

Quam multi filij desertæ. Id est Ecclesiæ, quam præfigurabat Anna, uoce prophetica, dicens: Quia sterilis peperit septem, & fecunda in filijs infirmata est, id est, Synagoga per peruaricationem infidelium filiorum. In septem uero, septiformis gratia spiritus indicatur. Hoc notandum, quod quando dicit: Plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum, non penitus Synagoga excludatur a partu, sed multitudo ei Gentium præferatur. Et ipsa enim in Apostolis, & per Apostolos primum populum genuit de Iudæis. Vnde duo Apostolorum principes agmina sibi credentium in Christo circumcisionis & gentium diuiserunt, ut ex utroque populo desertam prius, atque pauperulam ædificarent Hierusalem.

Magis quàm ei qui habet uirum. Hic Synagogam intellige, quæ uelut iugo uirum, ita legis onere premebat, aut certe referendum est, quæ antequam uirum se habere crederet.

Nos autem fratres, secundum Isaac, promissionis filij sumus. Id est, non secundum Ismael, quomodo de Isaac promissum est Abraham, ita de nobis, quod in eo benedicerentur omnes gentes.

Sed quomodo tunc, qui secundum carnem natus fuerat. Semper hij qui carnales sunt, eos qui spirituales sunt, persequuntur. Quare admirare non debemus, sed ex hoc nos spirituales intelligamus, si tales nos insectentur, quod sub mysterio alio loco Apostolus indicauit: Caro resistit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

Qui possunt intelligant, magis Ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia & impietate carnali. Nam quicquid facit uera & legitima mater Ecclesia, etiam si asperum amarumque sentiat, non malum pro malo reddit, sed bonum disciplinæ, expellendo malo iniquitatis opponit.

Persequebatur eum qui secundum spiritum. In Genesi scriptum est. Quia ludebat Ismael cum Isaac, sed hic ostenditur, non simplicem lusum fuisse, quem persecutionem appellat. Vnde intelligitur, quia scurrilem & leuem, sicut ipse erat, facere cupiebat, ne illi posset in hæreditate præferri, ideo Abraham deiciendo eum uocem Saræ iubet audire.

Ita & nunc. Id est, ita uos isti similes student seruos legis efficere.

Sed quid

Aug.

Primaf.

Hierusalem  
Ecclesia.

Gen. 27.

**S**ed quid dicit scriptura: *Ecce ancillam & filium eius.* Quantumuis seint quitas extollat ancilla est, & subijcienda est sanctis. Sicut & Iudæi, quamuis Abrahamæ filios esse se iactent, quam diu filij ancillæ fuerint, & sub iugo legis carnaliter uixerint, nobiscum hereditatem habere non poterunt.

**N**on enim heres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Nuncigitur querendum est, cur antea Sara uoluit maritum de ancilla suscipere filium, aut cur nunc cum matre iubet expelli domo, quod non zelo fecit accensa, sed mysterio Prophetiæ conpulsæ. Agar quippe, secundum quod ait Apostolus, in seruitutem genuit carnalem populum. Sara uero liberum populum genuit, qui non secundum carnem, sed in libertate uocatus est, qua libertate liberauit eum Christus. Hoc igitur mysterio figurabatur, priorem populum in seruitutem peccatorum generatum in domo Rachel, id est, Ecclesiæ non manere in æternum, neque esse heredem uel confortem cultoribus Christi, nec cum filio nobili, id est, fidei populo, regnum cœlestis gloriæ possessurum. Quod uero exiens Agar infantem in humeros suos inposuit, significat, quod peccator populus & insipiens Iudæorum ceruicem matris suæ synagogæ grauauit, dum dicit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Quod uero errat Agar in solitudine cum filio suo, significat synagogam cum populo suo expullam de terra sua, sine sacerdotio & sacrificio in toto orbe terrarum, & uiam, quæ est Christus, penitus ignorare.

Matth. 27.

**I**taque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Non ergo debemus derelicta matre nostra ancillam sequi. Quia licet eiusdem uiri fuerit uxor, tamen ad tempus, quia non dum poterat Sara generare, id est, nondum fuerat Ecclesia maritans spiritu fecundata.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. VI.

**A**biit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa, quæ faciebat super hijs qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis: Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus & uidisset, quia multitudo maxima uenit ad eum. Dicit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hijs? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius Andreas, frater Symonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem scenum multum in loco. Discubuerunt ergo uiri numero quasi quinque milia. Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum uolebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerant fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus, quæ superauerunt hijs qui manducauerunt. Illi ergo homines cum uidissent quod fecerat signum dicebant, quia hic est uera Prophetæ, qui uenturus est in mundum.

Abiit

**A**biit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, & reliqua. Primo dicendum, iuxta historiam, Beda, quia mare Galilææ, quod multis, pro diuersitate circumiacentium regionum, uocabulis distinguitur, illis tantum in locis mare Tyberiadis uocatur, ubi Tyberiadem ciuitatem, aquis, ut aiunt, calidis salubrem habitationem præmonstrat. Siquidem interfluente Iordane, duo de uiginti passuum milibus in longum, & quinque extenditur in latum. Mystice autem, mare turbida ac tumentia seculi huius uolumina significat, in quibus prauis quilibet, iniuste delectati, quasi profundi dediti pisces, mentem ad superna gaudia non intendunt. Unde bene idem mare Galilææ, id est, rota cognominatur. Quia nimirum amor labentis seculi, quasi in uertiginem corda mittit, quæ ad perhennis uitæ desyderia non permittit erigi, de quibus psalmista: In circuitu, inquit, impij ambulat. Sed abeuntem trans mare Galilææ Iesum, multitudinem maximam sequebatur, quæ doctrinæ sanationis & refectionis ab eo cœlestis munera summa perciperet, quia priusquam Dominus in carne appareret, sola illum gens Iudæa sequebatur credendo. Postquam uero per incarnationis suæ dispensationem fluctus uitæ corruptibilis adijt, calcauit, transijt, maxima mox eum multitudo credentiū secuta est nationum, spiritaliter instrui, sanari, ac satiari desyderans.

Mare quid mystice signet.

Psalm. 12.

**S**ubiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Quod autem subiens in montem Iesus, ibi sedebat cum discipulis suis, sed ueniente ad eum multitudine descendit, atque hanc in superioribus reficit, quam in inferioribus paulo ante curauerat. Nequaquam frustra factum credamus, sed ad significandum mystice, quia doctrinam & charismata sua, Dominus iuxta percipientium capacitatem distribuit. Infirmis adhuc quidem mentibus ac paruulis spiritu, simpliciora monita committens, & apertiora credens sacramenta, celsioribus autem, quibusque & perfectioribus sensu, secretiora suæ maiestatis archana referans, altiora deuotæ conuersationis itinera suggerens, & altiora premiorum cœlestium dona promittens.

**E**rat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum. Quod uero propinquante Pascha, Dominus turbas docet, sanat & reficit, possumus ita mystice interpretari. Quia Pascha transitus dicitur, & quoscumque Dominus interna munerum suorum suauitate recuperat, ad salubrem profecto transitum preparat, ut carnales uidelicet concupiscentias, mentis sublimitate transcendant: infirma mundi desyderia, pariter & aduersa cœlesti spe & amore conculcent.

Pascha.

**C**um subleuasset ergo oculos Iesus, & uidisset, quia multitudo maxima uenit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hijs? Quod subleuasset oculus Iesus, & uenientem ad se multitudinem uidisse perhibetur, diuinæ pietatis indicium est, quia uidelicet cunctis ad se uenire querentibus, gratia misericordiae cœlestis occurrere consuevit. Et ne querendo errare possint, lucem sui spiritus aperire cur rentibus non desinit. Nam quod oculi Iesu dona spiritus eius mystice designent, testatur in Apocalypsi Ioannes, qui figurate loquens de illo: Et uidi, inquit, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Apoc. 5.

**H**oc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset factururus. Respondit ei, Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Quod autem tentans Philippum Dominus dixit: Unde, inquit, ememus panes ut manducent hijs? prouida utique dispensatione facit. Non ut ipse quæ non nouerat, discat, sed ut Philippus tarditatem suæ fidei, quam magistro sciente, ipse nesciebat, tentatus agnoscat, & miraculo facto castiget. Neque enim dubitare debuerat præsentem rerum creatorem, qui educit panem de terra, & uino iustificat cor hominis, paucorum denariorum panes sufficere turbarum milibus, non paucis, ut unusquisque sufficienter acciperet, etiam saturatus abiret.

**D**icit ei unus ex discipulis eius Andreas, frater Symonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?

Quinque

**C** Quinq; autem panes, quibus multitudinem populi saturauit, quinq; sunt libri Mosi. Quibus spiritali intellectu parefactis & abundantiore iam sensu multiplicatis, auditorum fidelium corda reficit, qui bene ordeacei fuisse referuntur, propter nimirum austeriora legis edicta & tegumenta literæ grossiora, quæ interiorum spiritalis sensus quasi medulam celabant. Duo autem pisces quos addidit, Psalmistarum non inconuenienter & Prophetarum scripta significat, quorum uni canendo alteri colloquendo, suis auditoribus futura Christi & Ecclesiæ Sacramenta narrabant. Er bene per aquatilia animantia figurantur illius qui præcones, in quo populus fidelium sine aquis baptismi uiuere nullatenus posset. Sunt qui putant duos pisces qui saporem suauem pari dabant, duas illas personas significare, quibus populus ille regebatur, ut per eas consiliorum moderamen acciperet, regiam scilicet & sacerdotalem. Ad quas etiam sacro sancta illa unctio pertinebat, quarum officium erat procellis & fluctibus popularibus, nunq; frangi atq; corrumpi, et uiolentes turbarum contradictiones, tanq; aduersantes undas sepe dirumpere, interdum ei custodita sua integritate cedere. Prorsus more piscium, tanq; in procellosa maris, sic in turbulenta populi administratione uersari, quæ tamen duæ personæ prefigurabant, ambas enim solus ille sustinuit, & non figurate, sed proprie solus impleuit.

**Est puer unus hic, & reliqua.** Puer, qui quinq; panes & duos pisces habuit, nec tamen hos surientibus turbis distribuit, sed Domino distribuendos obtulit, populus est Turdæorum literaliter sensu puerilis, siue qui scripturarum dicta clausa secum tenuit, quæ tamen Dominus in carne apparens accepit, & quid intus haberent utilitatis ac dulcedinis ostendit, quam multiplici spiritus gratia, quæ pauca ac despecta uidebantur exuberarent, patefecit, & hæc per Apostolos suos Apostolorumq; successores cunctis nationibus ministranda porrexit. Vnde bene alij referunt Euangelistæ, quia panes & pisces Dominus discipulis, discipuli autem ministrauerunt turbis. Cum enim mysterium humanæ salutis initio cœpisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmatum est. Quinq; siquidem panes & duos pisces fregit & distribuit discipulis, quando aperuit illis sensum, ut intelligeret omnia quæ scripta essent in lege Mosi & Prophetis & Psalmis de ipso. Discipuli apposuerunt turbis, quando profecti prædicauerunt ubiq;, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

**D** Dixit ergo Iesus, facite homines discumbere, erat autem scœnum &c.) Scœnum in quo discumbens turba reficitur, concupiscentia carnalis intelligitur, quam calcare ac premere debet omnis, qui spiritalibus alimentis satiari desiderat. Omnis enim caro scœnum & omnis gloria eius tanquam flos scœni. Discumbat ergo super scœnum, flos scœni conterat, hoc est, castiget corpus suum, & seruituti subiciat, uoluptates carnis edomet, luxurij fluxa restringat, quisquis panis uiui cupit suauitate refici.

**Discubuerunt ergo uiri numero quasi quinq; milia.** Quinq; milia uiuorum, qui manducauerunt, perfectionem uitæ eorum, qui uerbo reficiuntur, insinuant, quibus Apostolus ait: Viriliter agite & confortamini. Millenarius autem numerus, ultra quem nulla nostra computatio succrescit, plenitudinem rerum, de quibus agitur, indicare consueuit. Quinario uero, quinq; notissimi corporis nostri sensus exprimitur, uisus uidelicet, auditus, gustus, olfactus & actus. In quibus singulis quicumque uiriliter agere & confortari satagunt, sobrie & iuste & pie uiuendo & cælestis sapientiæ dulcedine recreari, hinc nimirum quinq; milibus uiuorum, quos Dominus mysticis dapibus satiauit figurantur.

Qui bene secundum Marcum quinquageni & centeni discubuerunt. Quinquagesimus enim poenitentia Psalmus est, significat eos qui ad conuiuium Dei, ad huc in poenitentia commissorum positi, uenientes uerbi auditum percipiunt. Centeni autem hi sunt, qui iam presumpta uenientia spe, de solo uitæ æternæ desiderio suspirant. Aliter, quinquageni illos significant, qui a malo quiescunt opere. Centeni, qui etiam a mala quiescunt cogitatione.

**Accipit ergo panes Iesus, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum uolebant.** Nō enim saluator noua creat cibaria, sed acceptis his quæ habuerunt discipuli benedicit, qui ueniens in carne, nō alia quam quæ dicta sunt prædicabat. Sed legis & Prophetarum scripta, quam sint mysterijs gratiæ grauida demonstrat. Gratias egit, ut & nos de perceptis cœlestis muneribus, gratias semper agere doceret ut & ipse quantum de nostris profectibus gratuletur intimeret. Fregit & per Apostolus distribuit discumbentibus, quia Sacramenta Prophetiæ per sanctos doctores, qui hæc toto orbe prædicarent distribuit.

Vt

**A** Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis, colligite fragmenta, quæ superauerunt ne pereant.) Quod turbis superest à discipulis sustollit, quia sacratoria & archana diuinorum eloquiorum mysteria, quæ à rudibus capi nequeunt, non negligenter omittere, sed sunt inquirenda perfectis.

**Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinq; panibus quæ superfuerant.)** Quia duodenario numero solet perfectio designari. Recte per duodecim cophinos duodecim Apostoli, & per Apostolos, omnis doctorum spiritalium chorus exprimitur, foris quidem hominibus dispectus, sed intus salutaris cibo repletus. Constat enim Cophinis, opera seruilia geri solere. Sed ipse cophinos panum fragmentis impleuit, qui infirma mundi, ut fortia confunderet, elegit.

**Illi ergo homines, cum uidissent quod fecerat signum, dicebant: quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum.)** Recte quidem dicebant Dominum prophetam magnum, magnæ salutis præconem, iam mundo futurum. Nam & ipse propheta tam se uocare dignatus, ubi ait: Quia non capit prophetam perire extra Hierusalem. Sed nec dum plena fide proficiebant, quia hunc etiam Deum dicere nesciebant. Nos certiore agnitione ueritatis & fidei, uidentes mundum, quæ fecit Iesus, & signa quibus illum repleuit. Dicamus: Quia hic est uere mediator Dei & hominum, qui impleuit mundum diuinitate, & mundus per ipsum factus est. Quia in propria uenit humanitate, querere & saluare quod perierat, ac recreare mundum quæ fecerat.

## FERIA SECUNDA POST VICESIMAM.

Euangelium Ioannis Cap. II.

**R**ope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Et inuenit in templo uendentes oues & boues & columbas & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues & numulariorum effudit, & mensas subuertit. Et his qui columbas uendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati uero sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cui ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hæc dicebat. Et crediderunt scripture, & sermone quæ dixit Iesus. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebatur seipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

**R**ope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Hierosolymam Iesus.) Quod autem adpropinquante pascha Iesus ascendit Hierosolymam, nobis profecto dar exemplum, quanta animi uigilantia Dominicis subijci debeamus imperijs, cum ipse in hominis infirmitate apparens, eadem quæ ex Diuinitatis auctoritate statuit decreta custodiat. Ne enim putarent serui, absq; crebris orationum honorumq; actuum uictimis, uel flagella euadere, uel premia se posse percipere, & ipse inter seruitutes, adorandum immolandumq; Dei filius ascendit. Qui ueniens Hierosolymam, quid ibi gerentes inuenit, quid ibidem ipse gesserit, uideamus.

Et inuenit in templo, uendentes boues & oues & columbas & numularios sedentes.) Numularij ad hoc sedebant ad mensas, ut inter emptores uenditoresq; hostiarum prompta esset pecuniæ taxatio. Videbantur ergo licite uendi in templo, quæ ad hoc

enebantur

Esaiæ. 40.

1. Cor. 16.

Origenes.  
Mat. 6.

**C**embantur, ut in eodē templo offerrent Domino. Sed nolens ipse Dominus aliquid in domo sua terrenae negociationis, ne eius quidem, quae honesta putaretur exhiberi. Dispulit negotiatores iniustos, & foras omnes simul cum his quae negotiabant eiecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, si rixis dissidentes, si fabulis uacantes, uel alio quolibet scelere repperiret irretitos, qui hostias, quae sibi immolarent, ementes in templo uidit, & eliminare curauit?

Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues & nummulariorum effudit es, et mensas subuertit, & his qui colubas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Timendum satis est, ne nos in templo nummularios, ne uenditores bouum, ouium, columbarum repperitis damnet. Boues, quippe doctrinae uitae coelestis. Oues opera munditiae & pietatis. Columbae sancti spiritus dona designant. Vendunt autem boues, qui uerbum Euangelij, non diuino amore, sed terreni questus intuitu audientibus impendunt, quales reprehendit Apostolus, quia Christum adnunciarent non sincere. Vendunt oues, qui humanae gratia laudis, opera pietatis exercent, de quibus Dominus ait: Quia receperunt mercedem suam. Vendunt columbas, qui acceptam spiritus gratiam, non gratis, ut preceptum est, sed ad premium dant, qui in positione manus, qua spiritus accipitur, & si non ad questum pecuniae, ad uulgi tamen fauorem tribuunt: qui sacros ordines non ad uitae meritum, sed ad gratiam largiunt. Nummos dant mutuo in templo, qui non simulare coelestibus, sed aperte terrenis rebus in Ecclesia deseruiunt, suaque renes, non quae Iesu Christi.

Recordati uero sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me.)

August.

Vnūquodque Christianum zelus domus Dei comedit. In qua domo Dei membrum es, si quid forte peruerit uideris, satage corrigi, emendare non quiescas. Verbi gratia, uides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contestare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere, & ebriare uelle, prohibe quos potes, tene quos potes, terrore quos potes, quibus potes bladi re, noli tamē quiescere. Amicus est, admonet leniter: Vxor est, seuerissime refrenet: Ancilla est, etiam uerberibus compescat. Fac quicquid potes pro persona quam portas, noli quiescere lucrari Christi, quia lucratus es à Christo, & periculis in te: Zelus domus tuae comedit me. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum expectans, & quasi tibi sufficiens & dicens in corde tuo: Quid mihi curare est aliena peccata, sufficit mihi anima mea, ipsam integram seruem Deo, etiam non tibi uenit in mentem seruus ille, qui abscondit talentum & noluit erogare: Notandum autem, quia non solum uenditores sunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui sacros ordines, largiendo precium pecuniae uel laudis, uel & iam honoris inquirunt. Verum hi quoque, qui gradum, uel gratiam in Ecclesia spiritali, quam Domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cuiuslibet humanae causae retributionis exercent, contra illud Apostoli Petri: Qui loquitur, quasi sermones Dei, qui ministrat tantum ex uirtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificet Deus per Iesum Christum. Funiculi quibus flagellando impios de templo expulit, cremenata sunt actionum malorum, de quibus materia damnandi reprobos, districto iudicio datur. Hinc etenim dicit Esaias: Vae qui trahitis iniquitatem in funiculis uanitatis. Et in Proverbij Salomon: Iniquitates, inquit, suae capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringit. Qui enim peccata peccatis, pro quibus acrius damnae accumulatur, quasi funiculos, quibus ligetur ac flagellatur, paulatim augendo prolongat. Nummulariorum quoque quos expulserat effudit es, & mensas subuertit, quia damatis in sine reprobis, etiam ipsarum quas dilexere rerum tollit figuram, iuxta hoc quod scriptum est: Et mundus transibit & concupiscentia eius. Et eis qui colubas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Venditionem columbarum de templo auferri precepit, quia qui gratiam spiritus gratis accipit, gratis debet dare. Unde Simon ille magus qui haec emere pecunia uoluit, ut maiore pretio uenderet, audiuit: Pecunia tua tecum sit in perditione, non est tibi pars neque fors in sermone hoc.

Respondentergo Iudaei & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis; quia haec facis? Respondens Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.) De quo templo diceret, Euangelista post aperuit, uides licet de templo corporis sui, quod ab illis passione solutum, ipse post triduum excitauit de morte. Quia ergo signum quaerebant à Domino, quare solita commercia projicere debuissent de templo? Respondit, ideo se recessisse impios exterminare de templo, quia ipsum templum significauerit templum corporis sui, in quo nulla prorsus esse potuit alicuius materia peccati.

1. Pet. 4.

Esai. 5.  
Pro. 15.

1. Ioan. 2.

Acto. 5.

Respondentergo Iudaei & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis; quia haec facis? Respondens Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.) De quo templo diceret, Euangelista post aperuit, uides licet de templo corporis sui, quod ab illis passione solutum, ipse post triduum excitauit de morte. Quia ergo signum quaerebant à Domino, quare solita commercia projicere debuissent de templo? Respondit, ideo se recessisse impios exterminare de templo, quia ipsum templum significauerit templum corporis sui, in quo nulla prorsus esse potuit alicuius materia peccati.

A la peccati. Neque in merito typicum purgauerit à sceleribus templum, qui uerum Dei templum, ab hominibus morte solutum, diuinae potentia maiestatis excitare posset à mortuis.

Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta & sex annis edificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Quomodo intellexerunt, ita responde rit. Sed ne nos quoque spiritualem Domini sermonem carnaliter sentiremus, Euangelista subsequenter, de quo templo subsequenter exposuit. Quod autem aiunt de templo, quadraginta & sex annis edificato, non primam, sed secundam illius edificationem significant. Primus enim Salomon templum, in maxima regni sui pace, decentissimo septem annorum opere perfecit, quod destructum à Chaldeis, post septuaginta annos ad iussionem Cyri Perse, laxata captiuitate, reedificari coepit. Sed filij transmigrationis, opus, quod Zorobabel & Iesu faciebant propter impugnationem gentium, uicinari, ante quadraginta & sex annos implere nequiuertunt, qui etiam numerus annorum perfectioni Domini corporis aptissime congruit. Tradunt etenim naturalium scriptores rerum, formam corporis humani tot diebus spatio perfici. Quia uidelicet primis sex à conceptione diebus lactis habeat similitudinem. Sequentibus nouem conuertat ad sanguinem. Deinde duodecim solidetur. Reliquis decem & octo firmet usque ad perfecta linamenta omnium membrorum, et hinc iam reliquo tempore usque ad tempus partus, magnitudine auget. Sex autem & nouem, & duodecim, & decem & octo, quadragintaquinque faciunt. Quibus si unum adiecerimus, id est, ipsum diem, quo discreta per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in edificatione corporis Domini, quor in fabrica templi annos inuenimus. Et quia templum illud manu factum, sacrosanctam Domini carnem, quae ex uirgine sumpsit, ut ex hoc loco discimus, figurabat, quae quia ea quod corpus eius, quod est Ecclesia, quia unusquisque fidelium corpus animamque designabat. Vt in plerisque scripturarum locis inuenimus. Adam uero primus post peccatum audiuit: Terra es & in terram ibis. Secundus uero Adam de se ipso ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Sparus uero fuit primus Adam per uniuersum mundum, qui in secundo collectus est, quod significat nomen Adae, quod quattuor literis scribitur, alpha, delta, epsilon, & mu, quae quattuor litterae, quattuor partes orbis designant, in quas sparsus est Adam in filiis suis. Ideo in principijs nominum partium mundi, haec quattuor litterae leguntur. Nam *α* incipit, quod est septentrio, ab *α* incipit. Et *δ* incipit, quod est occidens, à *δ* incipit. Et *ε* incipit, quod est oriens, ab *ε* incipit, *μ* incipit, quod est merides, ab *μ* incipit, quae sunt quattuor partes orbis. Ab his quattuor literis incipiens, quae litterae, si in computo Graeco considerentur quadraginta sex faciunt, nam *α* unum, *δ* quattuor, & iterum *ε* unum, *μ* quadraginta, quod sunt simul ducti quadraginta sex, mystice designans quadraginta sex annos quibus templum corporis Christi in utero uirginali edificatum est, sicut superius diximus. Caro autem Christi, quae de Adam sumpta est, destructa est à Iudaeis, & à seipso iterum aedificata, secundum scripturas prophetarum. Et ideo dicit Euangelista: Hoc enim dicebat de templo corporis sui. Cui ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturae, id est prophetarum, qui praedixerunt Christum tertia die resurgere, & sermoni quem dixit Iesus, id est, quod ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, hoc est, tertia die resuscitabo quod uos soluetis in cruce.

Gen. 3.  
Ioan. 2.

Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa eius quae faciebat, ipse autem Iesus non credebat se metipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.) Non enim sic credebatur in eis ut digni essent Christum habitare in eis, quorum fides catechumenis comparari potest, ut credatur in Christum, sed Christus non credit se ipsum eis, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Nemini uero se credit Christus, nisi qui dignus est introire in regnum dei, nullus enim dignus est introire in regnum Dei, nisi qui renatus est ex aqua & spiritu.

FERIA QUARTA POST VICESIMAM,  
Euangelium Ioannis. Cap. IX.



Reuertens Iesus uidit hominem cecum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic autem parentes eius ut cecus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet opera



**C** perari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox quādo nemo potest operari, quā diu in mundo sum, lux sum mundi. Hęc cū dixisset, expuit in terrā, & fecit lutū ex spūto, & liniuit lutū super oculos eius, & dixit ei: Vade & lauare in natatoria Syloe, quod interpretat̄, missus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens: Itaq; uicini & qui uiderāt eum prius, quia medicus erat, dicebāt: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autē, nequaquā, sed similis est ei. Ille uero dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicit̄ Iesus, lutū fecit & unxit oculos meos & dixit mihi: Vade ad natatoriā Syloe, & laua. Et abijt & laui & uideo. Et dixerunt ei: Vbi est ille? ait: nescio. Adducunt eū ad Phariseos, qui cęcus fuerat. Erat autē Sabbatū quādo lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius. Iterū ergo interrogabāt eū pharisei, quomodo uis disset. Ille autē dixit eis: Lutū mihi posuit super oculos, & laui & uideo. Dicebāt ergo ex Phariseis quidā: Nō est hic homo à Deo qui Sabbatū nō custodit. Alij dicebant: Quomodo potest homo peccator hęc signa facere? Et scilicet erat inter eos. Dicunt ergo cęco iterū: Tu quid dicis de eo, qui aperuit tibi oculos tuos? Ille autē dixit: Quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudei de illo, quia cęcus fuisset & uidisset, donec uocauerūt parentes eius qui uideret, & interrogauerūt eos dicentes: Hic est filius uester, quē uos dicitis, quia cęcus natus est. Quomodo ergo nūc uidet? Responderūt eis parentes eius & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cęcus natus est, quomodo autē nūc uideat nescimus, aut quis aperuit oculos eius nos nescimus, ipsum interrogate, etatē habet, ipse de se loquat̄. Hęc dicebāt parentes eius, quia timebant Iudeos. Iā enim cōspirauerant Iudei, ut si quis eū confiteretur Christū, extra Synagogā fieret. Propterea parētes eius dixerūt: quia etatē habet, ipsum interrogate. Vocauerūt ergo rursus hominē qui fuerat cęcus, & dixerūt ei: Da gloriā Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille: Si peccator est nescio, unū scio, quia cęcus cū essem, modo uideo. Dixerūt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi uobis iā & audistis, quid iterū uultis audire? Nunquid & uos uultis discipuli eius fieri? maledixerūt ei & dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem Mosi discipuli sumus. Nos scimus quia Mosi locutus est Deus, hūc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia uos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos? Scimus autē, quia peccatores Deus nō audit, sed si quis Dei cultor est, & uoluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo nō est auditū, quia aperuit quis oculos cęci nati? nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquid. Responderūt & dixerūt ei: In peccatis natus est totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eū foras. Audiuit Iesus quia eiecerunt eū foras, & cum inuenisset eū, dixit ei: Tu credis in filiū Dei? Respondit ille & dixit: Quis est Domine, ut credā in eum? Et dixit ei: Iesus, & uidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait: Crede Domine, & prociens adorauit eum.

Pręteris

**A** Pręteriens Iesus, uidit hominem cęcum a natiuitate, &c.) Genus humanū significat iste cęcus. Hęc enim cęcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Venit Dominus, spuit in terram, de salua sua lutum fecit, quia uerbum caro factum est, & unxit oculos, & misit illum ad piscinā Siloē, qui interpretatur missus. Missus uero est Dominus Iesus Christus, nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrū esset ab iniquitate dimissus. Lauit ergo oculos in ea piscinā, baptizatus est in Christo, & illuminatus est. Cęcitas enim infidelitas est, & illuminatio fides. Quæstionem quippe Domino proposuerunt: Quis peccauit? hic autē parentes eius, ut cęcus nasceret. Respondit Iesus: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, ut cęcus nasceretur. Habebāt enim peccatum parentes eius, sed non ipso peccato factum est, ut cęcus nasceretur, sed ut manifestarent opera Dei in illo. Quod autē dicit: Me oportet operari opera eius, qui misit me donec dies est, semetipsum utiq; diem in hoc loco uoluit intelligi, ipse enim ait: Quamdiu lux in hoc mundo lux sum mundi. Quod uero ait: Venit nox, in qua nemo potest operari, de nocte illa eterna, tenebrosa q; dicit, ubi reprobi cruciandi sunt sine fine, quibus dicitur: Ire in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tenebras scilicet exteriores in quas seruus nequam ligatis manibus & pedibus projicietur. Ergo dū dies nobis est, ille qui dixit: Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Operemur bonum ad omnes, ut nos illa nox non comprehendat, ubi nemo possit operari, sed quod operatus est recipere.

Siloa fons est ad radices montis Syon, qui non iugibus aquis, sed incertis horis ebullit per concaua terrarum, ubi cęcus luto lauat, cęcitate deterfa, clarum oculorum lumen accipit, quo indicatur, non aliter cęcitatē Iudæorū uel omnes increduli posse sanari, nisi doctrina aquarum Christi, quæ absq; strepitu & clamore uerbō rē leuiter fluit, in Elaia enim legimus, aquas Siloē, quæ uadunt cum silentio.

Dies Christus

Nox dānatio.

Hiero.

## FERIA SEXTA POST VICESIMAM

Euangelium Iohannis Cap. XI.

**B** Rat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Marię & Marthę sororis eius. Maria autem erat quæ unxit Dominum ungento & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserūt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmas hęc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham & sororem eius Mariam & Lazarum. Ut ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit duobus diebus in eodem loco. Deinde post hęc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare & iterum uadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim horę sunt diei, si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux nō est in eo. Hęc ait. Er post hęc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerūt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quia non erā ibi, sed eamus ad eū. Dixit ergo: Thomas qui dicit̄ Didimus, ad cōdiscipulos, eamus & nos & moriamur cū eo. Venit itaq; Iesus & inuenit eū quattuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymā, quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham & ad Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia Iesus uenit, occurrit

i 3 illi



**C** illi. Maria autē domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisset hic frater meus nō fuisset mortuus. Sed nunc scio, quia quecunq; popo seris à Deo dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit ei Iesus: Ego sū resurrectio & uita, qui credit in me, etiā si mortuus fuerit uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternū. Credis hoc? ait illi: Vtiq; Domine. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. Et cum hæc dixisset, abiit & uocauit Mariam sororē suam silentio, dicens: Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surrexit cito, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat ad huc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & cōsolabantur eam. Cum uidissent Mariam, quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia uadit ad monumentū, ut ploret tibi. Maria ergo cum uenisset ubi erat Iesus, uidens eū cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo ut uidit eam plorantem & Iudæos, qui uenerant cū eo plorantes fremuit spiritu, & turbauit seipsum & dixit: Vbi posuisti eū? Dicunt ei: Domine, ueni & uide. Et lachrimatus est Iesus. Dixerūt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem dixerunt ex ipsis: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut & hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremēs in semetipso uenit ad monumentum. Erat autem spelunca & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iā foetet, quadriduanus enim est. Dicit ei Iesus: Nōne dixi tibi, quoniam si credideris uidebis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam am audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis. Sed propter populum qui circumstat dixi, ut credat, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, uoce magna clamauit: Lazare ueni foras? Et statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus manus & pedes instris. Et facies illius sudario erat ligata. Dicit ei Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam & uiderant quæ fecit, crediderunt in eum.

**E** Rat autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis eius, &c. Inter omnia miracula quæ fecit Dominus noster Iesus Christus, Lazari resurrectio præcipue prædicatur. Tres tamen mortuos à Domino resuscitatos in Euangelio legimus. Resuscitauit filiam archisynagogi ad huc in domo iacentem; resuscitauit iuuenem, filium uiduæ extra portam ciuitatis elatum: resuscitauit Lazarum sepultum quadriduanum. Tres isti mortui tres significant resurrectiones animarū. Intueatur quisq; animam suam, si peccat, moritur, peccatum mors animæ est. Prima mors, consensio est peccati, hanc mortem significabat puella illa, quæ nondum erat foras elata, sed in domo mortua iacebat, & quasi peccatum interius latebat. Secunda mors est, non solum consentire peccato, sed etiam facere. Hoc significabat iuuenis, quem Dominus poenitentem matri suæ, id est, Ecclesiæ resuscitatum reddit. Tertium genus mortis inmane est, consuetudo mala, quod significatur per Lazarum, unde & bene de illo dicitur, Incipit enim habere

Tres mortui  
à Domino  
resuscitati.

**A** bere pessimam famam, ne desperet peccator, quia Dominus omnes misericorditer resuscitauit. Quod autem subditur: Infirmas hæc non est ad mortem, consequenter adiunxit: sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eum. Sunt hæretici, qui hoc negant quod filius Dei sit Deus. Ecce audiant: Infirmas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, id est, filii Dei.

Pro gratia  
Dei.  
Christus  
Deus.

**B** Respondit autem Iesus, nōne duodecim horæ sunt diei? &c. Quid sibi uult ista responsio: Sed quantum mihi uideretur, redarguere uoluit illorum dubitationem & infirmitatem. Voluerunt enim consiliū dare Domino, ne moreretur, qui uenerat mori, corripuit eos & ait: Nōne duodecim horæ sunt diei? si quis ambulauerit in die non offendit. Diem autē seipsum ostendit esse, quia ipse spiritus est uerus dies, duodecim uero horæ, duodecim Apostoli sunt. Vt autē diem se ostēderet, duodecim discipulos elegit: Si ego sum, inquit, dies & uos horæ, me sequimini, quia horæ diem sequuntur, non dies horas. Sequatur ergo horæ diem, prædicent horæ diem. Horæ illustrentur à die, horæ illuminentur à die, & per horarum prædicationem credat mundus in diem. Hoc ergo ait de compendio, me sequimini, si non uultis offendere. Quod autē dixit: Lazarus amicus noster dormit, uerū dixit. Sororibus mortuus erat, quæ suscitare non poterant, Domino dormiebat, qui tanta facilitate eum suscitauit de sepulchro, quanta tu nunc excitas dormientem de lecto. De quattuor diebus multa quidem dici possunt, sic ut se habet obscura scripturarum, quæ pro diuersitate intelligentium multos sensus pariunt. Dicamus & nos, quid nobis uideatur significare mortuus quadriduanus, quomodo in illo cæco intelligimus, quodammodo humanum genus, sic forte, & in isto mortuo multos intellecturi sumus. Diuersis enim modis, una res significari potest. Homo quādo nascitur, iam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit, ecce habes unum diem mortis, quod homo trahit de mortis propagine. Deinde trescit, incipit accedere ad rationales annos, ut legem sapiat naturalē, quā omnes habent in corde fixam: Quod tibi non uis, alij ne feceris, & hanc legem transgrediuntur homines, ecce altera dies mortis data est, & etiam lex diuina per famulum Dei Moysen dicit illi: Non occides, non moechaberis, non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem tuam &c. Ecce lex scripta est, & ipsa contemnitur, ecce tertius dies mortis, quid restat? Venit Euangelium, ideo litera sine gratia reos faciebat, quos cōsistent, gratia liberabat. Prædicatur ubiq; Christus, minatur gehennā, uitam promittit æternā, & ipsa contemnitur, transgrediuntur homines Euangelium, ecce quartus dies mortis, merito iam foetet. Num quid & talibus neganda est misericordia? absit, & iam ad tales Dominus excitandos, non dedignatur accedere.

Duodecim  
hora.

Quattuor  
dies.

Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus. Quia ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, & iam si mortuus fuerit in carne, uiuet in amina donec resurgat, & caro nunquam postea moritura. Et omnis qui uiuit in carne, & credit in me, & si morietur ad tempus, propter mortem carnis, non morietur in æternum, propter uitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. Credis hoc? Ait illi: Vtiq; Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum uenisti. Quando hoc credidi, credidi quia tu es resurrectio & uita, & qui in te credit, & si mortuus fuerit, uiuet.

Iesus ergo, ut uidit eam plorantem fremuit spiritu &c. Quid est, quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodo turbari tu debeas cū tanta mole peccati grauaris, & premeris. Attendisti enim te, uidisti te reū, computas, tibi illud feci, & pepercit Deus, illud comisi, & distulit me, Euangelium audiui, & contempsit, baptizatus sum, & iterum ad eadē reuolutus sum. Quid facio? unde euado? quando ista dicis, iam fremet Christus in corde tuo, quia si des fremit. Si fides in nobis, Christus in nobis, ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo, in uoce firmemtis apparet spes resurgentis. Fremat Christus increpet se homo. Fleuit Christus, fleat homo. Quare enim fleuit Christus? nisi quia flere hominem docuit. Fremere quodammodo debet homo in accusatione malorum operum, ut uiolentiæ poenitendi cedat consuetudo peccandi. Dixit: Vbi posuistis eum? Scis quia mortuus sit, & nescis ubi sit sepultus? Et ista significatio est, quia sic perditū hominē, quasi nescit Deus. Talis est uox Dei in Paradiso; posteaq; homo peccauit: Adā ubi es? Dicunt ei, Domine: Veni & uide. Quid est: uide miserrere, uidet enim Dominus quando miseretur.

**C** Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum, & rel.) Quid est, amabat eum? Nō ueni uocare iustos, sed peccatores. Mortuus sub lapide, reus sub lege. Lex quæ data est Iudæis, in lapide scripta est. Omnes autē rei sub lege sunt, bene uiuentes cum lege. Quid est ergo lapidem remouere? Gratiam prædicare. Quid quod uoce magna clamauit? Lazare ueni foras: Quæ difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Sed tamen surgit, occulta gratia intus uiuificatur: surgit post uocem magnā, se ad huc ligatis manibus & pedibus: Et facies illius Iudario erat ligata, tamen foras iam processit, quid significat? quando cōtempnis mortuus iaces, & si tanta contempnas, quanta dixi, sepultus iaces, quando confiteris procedis, sed ut confitearis Deus facit, humana uoce clamando, id est, magna gratia uocando, sed ut soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: Soluite illum & finite abire, hoc est, quæcūq; solueritis in terra, soluta erunt & in celo.

## DOMINICA QUINTA IN QVADRAGESIMA

Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. IX

**C**hristus assistens Pontifex futurorū bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, nō huius creationis, neq; per sanguinem hircorū aut uitulorū, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna, redemptio-  
ne inuenta. Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationē carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum obtulit semetipsum immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti, & ideo Noui Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationū, quæ erant sub priori Testamento repositionem accipiant, qui uocati sunt æternæ hereditatis in Christo Iesu Domino nostro.

Orig.

**C**hristus assistens pontifex.) Est quidem unus pontifex magnus Dominus noster Iesus Christus, qui non solum sacerdotum est pontifex, sed & pontificū pontifex, nec sacerdotum princeps tantummodo, sed et princeps principum sacerdotū, sicut & Rex Regū, & Dominus Dominorum, qui uelamen (quod Apostolus interpretatus est celum) penetrans, assistit nunc uultui Dei pro nobis, semper uiuens ad interpellandum.

**Futurorum bonorum.)** Siue eorum diuersorum carismatum, qui in primo aduentu credentibus, per spiritum sanctum data sunt hominibus, siue omnium futurorū bonorum, de quibus Psalmista confidens aiebat: Credo uidere bona Domini intra uiuentium.

Psal. 27.  
Io. Chry.

**Per amplius & perfectius tabernaculum.)** Hic carnē Christi appellat Apostolus tabernaculū. Tabernaculū enim caro dicitur Christi, habens in se diuinitatē, in illo enim, ait Apostolus, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et bene amplius & perfectius tabernaculū Christi carnē dicit, siquidē & Deus uerbū, & cuncta spiritus operatio habitat in eo.

D. 11. 2.

**Non manu factum.)** Hoc est, non uirili semine concretum, sed de spiritu sancto ex Maria uirgine natū. Ipsum enim lapidē, id est, Christū, Daniel de morte, id est, de regno Iudæorū sine manibus uidit præcisū, quia sine opere nuptiali, qui gratia sua uniuersū mundū impleuit.

**Non huius creationis.)** Hoc est, nō sine spiritu eam construxit, neq; ex hac creatura est, hoc est, non est ex his creaturis, sed spiritalis ex spiritu sancto.

**Neq; per sanguinē hircorum aut uitulorum, sed proprio sanguine introiuit semel in sancta æterna, &c.)** Omnia permutauit Christus, qui non alieno, sed proprio sanguine semel introiuit in sancta, hoc est, in celum, & per unum ingressum, æternam redemptionem inuenit.

**Si enim sanguis hircorū aut taurorum & cinis uitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi.)**

Si enim

**A** Si enim carnem, inquit, potest mundare sanguis taurorum, multo amplius animæ sordem deleuit sanguis Christi, & in hac ipsa hostiarū diuersitate, illis umbra data est. Nobis uero per Iesum Christū ueritas referuata ē, pro illis autē boues & hirci iugulabant, & aues, & similia cōsperebat, pro nobis autē Dei filius est immolatus. Nam & hostiarum diuersitatū typus, imaginem passionis Christi præferebat. Nam postq; ipse oblatus est, omnes illæ hostiæ cessauerunt, quæ in typo uel umbra eiusdem præcesserant, præfigurantes illud sacrificiū, quod unus & uerus sacerdos obtulit, mediator Dei & hominum, cuius sacrificij promissus figuratus in uictimis animalū celebrare ante oportebat, propter mundationē futurā, carnis & sanguinis, per quā unā uictimam, fieret remissio peccatorū, de carne & sanguine contractorū, quæ regnū Dei non possit debent, quæ eadem substantia corporalis, in celestem cōmutabitur qualitatem. Ipse enim in uitulo, propter uirtutē crucis offerebat. Ipse in agno propter innocentiam. In arietē, propter principatū, in hircō propter similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatū. In turture & columba, propter Deum & hominem, quia mediator Dei & hominis, in duarū substantiarum cōiunctione ostendebat. Porro in similaginis conspersione, credentium per aquā baptismatis, collectā Ecclesiā, quæ corpus Christi perspicue demonstrabat. Nos autē moraliter minus Deo uitulū offerimus, cū carnis superbiā uincimus: agnū cū inrationabiles motus, & insipientes corrigimus: hircū, dū lasciuiā superamus: columbā, dū simpliciter proferimus mentis: tur turē, dum carnis seruamus castitatē: panes Azimos, si in uia sinceritatis & ueritatis ambulamus.

Orig.

Hostiæ typus  
passio est  
Christi.

**Qui per spiritum sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo.)**

Hoc est, sacrificiū immaculatū. Erat mundū à peccatis, hoc enim est, per spiritū sanctū non per ignem, nō per aliena quædam.

**Et mundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendū**

**Deo uiuenti.)** Hic manifestat, quia opera mortua habentes, id est, peccata nō possunt seruire uero & uiuo Deo. Sicut enim qui mortuū tangebatur, sic & qui peccatū operatū magis pollutur. Mortuū quippe tangere est, in peccatis mortuū quempiā uel sequi uel imitari.

Qui mortua  
operu habent,  
non seruiunt  
uiuenti Deo.

**B** Et ideo Noui Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptione earū præuaricationū, quæ erant sub priore testamento, repromissionē accipiant qui uocati sunt, eterne hereditatis.) Hic mediator filius factus est patris & noster: sermone detulit, & attulit nobis à patre pertransuctores: mortuus est pro nobis, & fecit nos dignos testamenti, hoc modo firmum factum est testamentum.

## EVANGELIUM IOANNIS. CAP. VIII.

**I**cebat Iesus turbis Iudæorū & principibus sacerdotum: Quis ex uobis arguet me de peccato: Si ueritatē dico, quare uos nō creditis mihi: Qui est ex Deo, uerba Dei audit, propterea uos nō auditis, quia ex Deo nō estis. Responderūt ergo Iudæi, & dixerūt ei: Nōne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniū habes? Respondit Iesus: Ego dæmoniū nō habeo, sed honorifico patrē meū, & uos inhonorastis me, ego autē gloriam meā non quero, est qui querit & iudicet. Amen amen dico uobis, si quis sermonē meum seruauerit, mortē non uidebit in æternū. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmoniū habes. Abraham mortuus est & prophætæ, & tu dicis: Si quis sermonē meum seruauerit, non gustabit mortē in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est: & prophætæ mortui sunt, quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis, quia Deus noster est, & nō cognouistis eum. Ego autē cognoui eū. Et si dixero, quia non noui eū, erō similis uobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum, & uidit, & gaudens est. Dixerunt ergo

**C** ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes & Abraham uidiſti: Dicit eis Ieſus. Amen amen dico uobis, anteq̄ Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.

**Greg.** **D**icebat Ieſus turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum. Quis ex uobis arguet me de peccato? Penſate manſuetudinem Dei, relaxare peccata uenerat & dicebat: Quis ex uobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex uirtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare.

**Filius diaboli.** Si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Quare, niſi quia filij diaboli eſtis non ueritatis? Filij nō natura, ſed immitatione. Creatura nanq̄ Dei erant, ipſe enim eſt creator carnis & animæ, uitio imitatores erant diaboli.

**Qui eſt ex Deo, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non eſtis.** Si enim ipſe uerba Dei audit, qui ex Deo eſt, & audire uerba eius non po teſt quiſquis ex illo non eſt, interroget ſe unus quiſq̄, ſi uerba Dei in aure cordis percipit, & intelligit unde ſit. Cœleſtem patriam deſyderare ueritas iubet, carnis deſyderia contere, mundi gloriam declinare, aliena non rapere, propria largiri. Penſet ergo apud ſe unusquiſq̄ ueſtrum, ſi hæc uox Dei in cordis eius aure conualuit, & quia iam ex Deo ſit agnoſcit.

**Dixerūt ergo Iudæi, nōne bene dicimus nos, quia Samaritanus eſt tu, & dæmonium habes?** Accepta aut̄ tanta cōtumelia, quid Dominus reſpōdeat audiam.

**Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & uos in**

**honoratiſtis me.** Quia enim Samaritanus interpretatur cuſtos, & ipſe ueraciter cuſtos eſt, de quo Pſalmiſta ait: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, in uanum uigilant, qui cuſtodiu n̄ eam, & cui per Eſaiam, Cuſtos qui de nocte, cuſtos qui de nocte: Reſpondere noluit Dominus, Samaritanus non ſum, ſed ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei inlata fuerant, unū negauit, & alterum tacendo conſenſit. Cuſtos nanq̄ humani generis uenerat, & ſi Samaritanum ſe non eſſe diceret, eſſe cuſtodē negaret, ſed tacuit quod recognouit, & patienter reppulit, quod dictum fallaciter audiuit dicens: Ego dæmonium non habeo. Hic uero in ſemetipſo nobis Dominus patientiæ præbuit exemplum. Qui ſi reſpondere uoluiffet Iudæis, uos dæmonium habetis, uerum utiq̄ dixiſſet, quia niſi impletus Dæmonio, tam peruerſe de Deo loqui non poſſent. Sed accepta iniuria, & iam quod uerū erat dicere ueritas noluit, ne non dixiſſe ueritatem, ſed prouocatus contumeliam reddidiſſe uideretur. Ex qua re quid nobis innuitur, niſi ut eo tē pore quo a proximis ex fallitate contumelias accipimus, eorum etiam uera mala taceamus; ne miniſterium iuſtæ correptionis in arma uertamus furoris.

**Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.** Scri ptum eſt: Quia pater omne iudiciū dedit filio, & ecce idem filius iniurias accipiens, inlatas cō tumelias patris iudicio reſeruat, ut nobis proſecto inſinuet, quantum nos eſſe patientes debeamus, dum adhuc ſe ulciſci nō uult, & ipſe qui iudicat. Quem uult intelligi cum dicit? Eſt qui quærat & iudicet, niſi patrem, quid eſt iudicat? diſcernit. Quomodo eſt qui quærat & iudicet, eſt pater qui gloriam meam, a ueſtra gloria diſcernat & ſeparet, nam ſecundum formam ſerui, multum inter eſt, inter gloriam Chriſti & cæterorum hominum.

**Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruaerit &c.)** De morte ſecunda dicit, de morte æterna, de morte damnationis, cum diabolo & Angelis eius, ipſa eſt uera mors. Nam iſta mors corporis, migrato quædam eſt ſanctis ad meliorē uitā. Impijs uero ad pœnas perpetuas. Quā mortem hic ueritas deſignare uoluit, cum dicit: Mortem non uidebit in æternum.

**Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes, Abraham mortuus eſt, & Prophetæ. Et tu dicis, ſi quis ſermonem meū &c.)** Iraſcebantur quia iam mortui erant illa morte quæ uitanda erat. Nam illam mortem uitare non poterant, quia mortuus eſt Abraham & Prophetæ, hoc eſt, mortem carnis. Nam Abrahā & Prophetæ in ſpiritu uiuebāt, de quibus ipſa ueritas ait: Nō eſt Deus mortuorū, ſed uiuorū.

**Reſpondit**

**Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt, eſt pater meus qui glorificat me, quæ uos dicitis: Quia Deus noſter ē, & nō cognoui ſtis eum, ego aut̄ noui eum. Et ſi dixero, quia non noui eum, ero ſimilis uobis mendax, ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo.)** Reſert ergo gloriam ſuam ad patrem Dominus Ieſus Chriſtus, de quo eſt quod Deus eſt. Dicit patrem ſuum, quem illi dicebant Deum ſuum, quem non cognouerunt. Si enim patrem cognouiſſent, eius filium recepiffent. Sermonem patris tanq̄ filius ſeruans loquebatur, & ipſe erat ſermo, & uerbum patris, qui hominibus loquebatur. Et notandum, quod uidit eos Dominus, aperta ſibi impugnatione reſiſtere, & tamen eis ſe iterata non deſinit uoce prædicare dicens:

**Abrahā pater ueſter exultauit, ut uideret diem meū, uidit & gauifus eſt.)** Tunc quippe diem Domini Abraham uidit, cum in figura ſummæ trinitatis trēs angelos ho ſpicio recepit, quibus proſecto ſuſceptis, ſic tribus quaſi uno loquutus eſt. Quia & ſi in perſo nis numerus trinitatis eſt, in natura unitas diuinitatis. Sed carnales mentes audientium, oculos a carne non ſubleuant, in eo ſolam carnis ætatem penſant, dicentes:

**Quinquaginta annos nondum habes & Abraham uidiſti? Quos benigne redemptor noſter a carnis ſuæ intuitu ſubmouit, & ad diuinitatis cōtemplationē trahit dicens:**

**Amen amen dico uobis, anteq̄ Abraham fieret ego ſum.)** Ante enim præteriti temporis eſt, ſum præſentis. Et quia præteritum tempus & futurum diuinitatis non habet, ſed ſemper eſſe habet. Non ait: Ante Abraham ego fui, ſed ante Abraham ego ſum. Unde & ad Moſen dicit: Ego ſum qui ſum. Et dices filijs Iſrael: Qui eſt, miſit me ad uos. Ante ergo uel poſt Abraham habuit, qui & accedere potuit per exhibitionē præſentiæ, & recedere per curſum uitæ. Veritas uero ſemper eſſe habet, quia ei quicq̄ nec priori tempore incipitur, nec ſub ſequenti terminatur. Sed ſuſtinere iſta æternitatis uerba mentes infidelium non ualentes, ad lapides curſit. Et quem intelligere non poterant, lapidibus obruere quærebant. Quid autem contra furorem lapidantium Dominus fecit, oſtenditur, cum protinus ſubinfertur,

**Ieſus autē abſcondit ſe, & exiuit de templo.)** Mirum ualde eſt, fratres chariſſimi, cur perſecutores ſuos Dominus ſe abſcondendo declinauerit, qui ſi diuinitatis ſuæ potentiam exercere uoluiffet, tacito nutu mentis in ſuis eoſ iſtibus ligaret, aut in pœnam mortis ſubi tæ obrueret. Sed quia pati uenerat, exercere iudicium nolēbat. Cur abſcondit ſe, niſi quod homo inter homines, factus redemptor noſter, alia nobis uerbo loquitur, alia exemplo. Quid aut̄ nobis hoc exemplo loquit̄? niſi ut etiam eū reſiſtere poſſimus, iram ſuperbientium humiliter declinemus.

## INCIPIT PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

Matthæi Cap. XXVI. Marci. XIII. Lucę. XXII.



**C**itis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum & ſeniores populi in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Cayphas. Et conſilium fecerunt ut Ieſum dolo tenerent & occiderent. Dicebant aut̄: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. Cū aut̄ eſſet Ieſus in Bethania, in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eū mulier habens Alabaſtrum ungenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? potuit enim iſtud ueniundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me, nam ſemper pauperes habetis uobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepelendum me fecit. Amen dico uobis, ubicunq̄ prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur quod hæc fecit in memoriam

Epistoła hoc loci ſequitur Euangelion.

C memoriam eius. Tunc abiit unius de duodecim, qui dicebatur Iudas Isca-  
rioth, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego  
uobis eum tradam. At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde  
quererebat oportunitatem, ut eum traderet. Prima autem die azimorum, ac-  
cesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere Pas-  
cha. At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dis-  
cit, tempus meum prope est apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et se-  
cerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha. Vespere autem  
facto, discubebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit:  
Amen dico uobis, quia unus uestrum me traditurus est. Et contristati  
ualde, coeperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine. At ipse respō-  
dens ait: Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet. Filius  
quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo. Vt autem homini illi per-  
quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus nō fuisset homo ille.  
Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit: Nunquid ego sum Ra-  
bi. Ait illi: Tu dixisti. Cenantibus autem illis, accepit Iesus panem, & be-  
nedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est  
corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite  
ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Noui Testamenti, qui pro mul-  
tis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem uobis: non bibam  
D ammodo de hoc genimine uitae usque in diem illum, cum illud bibam uos-  
biscum nouum in regno patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem  
oliueti. Tunc dixit illis Iesus: Omnes uos scandalū patiemini in me, in ista  
nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gre-  
gis. Postquam autem surrexero, praecedam uos in Galilaeam. Respondens  
autem Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam  
scandalizabor. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam  
gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori  
tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc uenit  
Iesus cum illis in uillam quae dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis:  
Sedete hic, donec uadam illuc & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis  
Zebedei, coepit contristari, & moestus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima  
mea usque ad mortem. Sustinete hic & uigilate mecum. Et progressus pusil-  
lum prociuit in faciem suam orans & dicens: Mi pater, si possibile est, tran-  
seat a me calix iste. Veruntamen non sicut ego uolo, sed sicut tu. Et uenit  
ad discipulos suos & inuenit eos dormientes. Et dicit Petro: Sic non pos-  
tuistis una hora uigilare mecum. Vigilate & orate, ut non intretis in tem-  
tationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secū-  
do abiit, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bi-  
bam illum, fiat uoluntas tua. Et uenit iterum, & inuenit eos dormientes.  
Erant autem oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abiit & orauit ter-  
tio eundem sermonem dicens: Tunc uenit ad discipulos suos, & dixit illis:  
Dormite

A Dormite & requiescite. Ecce appropinquabit hora, & filius hominis tra-  
detur in manus peccatorum. Surgite eamus, ecce appropinquabit qui me  
tradet. Adhuc eo loquente, ecce Iudas, unus de duodecim uenit, & cum eo  
turba multa, cum gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & se-  
nioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quem-  
cunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum,  
dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum, dixitque illi Iesus: Amice, ad quid ue-  
nisti. Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum,  
Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium,  
& percuciens seruum Principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.  
Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim  
qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas quia non possum roga-  
re patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones  
angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripturae: quia sic oportet fie-  
ri. In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis eum gladijs  
& fustibus comprehendere me, quotidiē apud uos sedebam docēs in tem-  
plo, & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut implerentur scri-  
pturae Prophetarum: Tunc discipuli omnes, relicto eo fugierunt. At illi te-  
nentes Iesum, duxerunt eum ad Caiphā, Principem sacerdotum, ubi scri-  
bae & seniores contenerant. Petrus autem sequebatur eum à longe, usque  
in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris  
ut uideret finem. Principes autem sacerdotum & omne conciliū, quare-  
bant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent. Et non in-  
uenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem uenerūt duo  
falsi testes, & dixerunt: Hic dixit: Possū destruere templum Dei, & post  
triduum reedificare illud. Et surgens Princeps sacerdotum, ait illi: Nihil  
respondes ad ea quae isti testificantur. Iesus autem tacebat. Et Princeps sa-  
cerdotum ait illi: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Chri-  
stus filius Dei. Dixit illi Iesus: Tu dixisti. Veruntamen dico uobis: Am-  
modo uidebitis filium hominis, sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenien-  
tem in nubibus caeli. Tunc Princeps sacerdotum, scidit uestimenta sua  
dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus tēstibus. Ecce nunc audistis bla-  
sphemiam. Quid uobis uidetur. At illi respondentes, dixerunt: Reus est  
mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij au-  
tem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe,  
quis est qui te percussit. Petrus uero sedebat foris in atrio. Et accessit ad  
eum una ancilla, dicens: Et tu cum Galilaeo eras. At ille negauit coram  
omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, uidit  
eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno.  
Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pu-  
sillum, accesserunt qui adstabant, & dixerunt Petro. Vere, & tu ex illis es,  
k nam

Cnam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cepit detestari & iurare quia non nouisset hominem. Et continuo cantauit gallus. Et recordatus est Petrus uerbi Iesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare. Mane autem facto, consilium iniierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores aduersus Iesum, ut eum morti traderent. Et uinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato praesidi. Tunc uidens Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu uideris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet mittere eos in carbonem, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc uocatus est ager ille Acheldemach, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est, per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium apreciati, quem appreciauerunt a filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante Praesidem. Et interrogauit eum Praeses dicens: Tu es rex Iudaeorum? Dicit ei Iesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a Principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur Praeses uehementer. Per diem autem solemnem consueuerat Praeses dimittere populo unum uinctum, quem uoluissent. Habebant autem tunc unum uinctum, insignem qui dicebatur Barrabas, qui propter seditionem missus fuerat in carcerem. Congregatis autem illis, dixit Pilatus: Quem uultis dimittam uobis, Barrabam an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor eius, dicens: nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per uisum propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populo, ut peterent Barrabam, Iesum uero perderent. Respondens autem Praeses, ait illis: Quem uultis uobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Praeses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicens: Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret. Accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens, ego sum a sanguine iusti huius, uos trideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barrabam, Iesum autem flagellatum

A latum tradidit eis, ut crucifigeretur. Tunc milites Praesidis suscipientes Iesum in praetorio, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem. Et exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue rex Iudaeorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamide, & induerunt eum uestimentis eius & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenensem uenientem obuiam sibi, nomine Simonem, hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locum qui dicitur Golgatha, quod est Caluariae locus. Et dederunt ei uinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt uestimenta eius, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum, & imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Nazarenus rex Iudaeorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, & unus a sinistris. Pretereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruit templum Dei, & in triduo illud reaedificas, salua te ipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere? Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet ergo eum nunc si uult. Dixit enim, quia filius Dei sum. Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei. A sexta autem hora, tenebrae factae sunt super uniuersam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam, clamauit Iesus uoce magna dicens: Heli, Heli, lama sabaththani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Heliam uocat iste. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Caeteri uero dicebant: Sine, uideamus an ueniat Helias liberans eum. Iesus autem iterum clamans uoce magna, emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Et terra mota est, & petrae scissae sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, uiso terrae motu, & his quae fiebant, timuerunt ualde dicentes: Vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multae a longe, quae sequuntae erant Iesum a Galilea, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalenae & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedaei. Cum autem



**C**sero factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus, & accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Altera autem die quae est Parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisaei ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit ad huc uiuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte ueniant discipuli eius, & furetur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis, & erit nouissimus error peior priore: Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite & custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

*Passio explicatur secundum Mattheum, Marcum, Lucam.*

**S**Citis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur & c.) Post duos dies clarissimi luminis, Veteris ac Noui Testamenti, uerum pro mundo Pascha celebratur. Pascha, quod Haebraice dicitur פסח, non à passione, sed à transitu nominatur, eo quod exterminator uidens sanguinem in foribus Israelitarum pertransierit, nec percussit eos. Moraliter autem transitus noster, id est, Phascha celebratur, si terrena & Aegyptum dirigitentes, ad caelestia festinemus. Hoc sane iuxta ueteris instrumenti scripturam, inter Pascha & Azyma distat, quod Pascha ipse solus dies appellabatur, in quo agnus occidebatur ad uesperam, hoc est, quartadecima luna primi mensis, quintadecima autem luna, quando egressus est de Aegypto, succedebat festiuitas Azymorum, quae septem diebus, id est, usque ad uicesimum primum diem eiusdem mensis ad uesperam est statuta sollennitas. Verum Euangelistae indifferenter, & diem Azymorum pro Pascha, & pro diebus Azymorum Pascha ponere solent.

Tunc congregati sunt Principes sacerdotum & seniores populi in aetrium Principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. Et consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.) Congregantur, ineuntes consilium, quomodo occidant Dominum, non timentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat, sed cauentes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

Cum autem esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi.)

Non quo leprosus eo tempore permaneret, sed quia ante leprosus, postea à saluatore mundus est, nomine pristino permanente. Simon quoque ipse obediens dicitur, qui iuxta aliam intelligentiam, mundus interpretari potest, in cuius domo curata est Ecclesia.

Accessit ad eum uxor habens Alabastrum unguenti preciosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.) Uxor ista Maria erat Magdalena, soror Lazari, quem suscitauit Iesus à mortuis, ut Ioannes aperte commemorat. Qui etiam hoc factum ante sex dies Paschae testatur, priusque asino sedens cum palmis & laude turbarum Hierosolymam ueniret

*Ioan. 11.*

**A**niret. Ipsa est autem non alia, quae quondam, ut Lucas scribit, peccatrix adhuc ueniens pedes Domini lacrymis poenitentiae rigauit, & unguento pietatis confessionis liniuit. Et quia multum dilexit multorum ueniam peccatorum à pio iudice promeruit. Nunc uero iustificata & familiaris effecta Domino non tantum pedes eius, ut idem Ioannes narrat, uerum etiam caput, ut Matthaeus Marcusque perhibent, oleo sancto perfudit. Est autem Alabastrum genus Marioris candidi uarijs coloribus intertinctori, quod ad uasa unguentaria cauari solet, eo quod optime seruire ac incorrupta dicatur. Nasctur circa Thebas, Aegyptias & Damascum Syriae caeteris candidius, probatissimum uero in India. Nardus uero est frutex Aromatica, graui, ut aiunt, & crassa radice, sed breui ac nigra fragilique, quamuis pingui situ redolente, Cypressum aspero sapore, folio paruo desoque, cuius cacumina in aristas se spargunt. Ideoque gemina docti pigmentarii Nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est, quod ait Marcus: Unguenti Nardi spicati, preciosi uide licet, quia unguentum illud quod attulit Maria Domino, non solum de radice confectum Nardi, uerum etiam, quod pretiosius esset, spicarum quoque & foliorum eius adiectione odoris, ac uirtutis illius erat accumulata gratia. Ferunt autem de Nardo Physiologi, quod principalis sit in unguentis, unde merito unctioni capitis & pedum Domini oblata est. Sunt multa quidem eius genera, sed omnia herbae, praeter Indicum quod preciosius est. Mysticae autem deuotio haec Mariae Domino ministrantis fidem ac pietatem designat Ecclesiae sanctae, quae loquitur in amoris cantico dicens: Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum, quae cum potentiam diuinae uirtutis Christi, quae illi una est cum patre, digna reuerentia confitetur, caput profecto illius unguento precioso perfudit. Cum uero adsumptae humanitatis mysteria digna reuerentia suscipit, in pedes utique Domini unguentum Nardi pisticum, id est, fide ac uerum profudit.

*Lucae 7.*

*Ioan. 12. Alabastrum.*

*Nardus.*

*Mar. 14.*

*Multa genera Nardi Pl. lib. bro. 12. c. 12. 4. 15. c. 11.*

Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes, ut quid perditio haec potuit enim istud uenundari multo, & dari pauperibus.) Hoc Marcus quomodo & Marthaeus sine doctico loquitur, pluralè uidelicet numerum pro singulari ponens. Nam Ioannes distinctius loquens, Iudam haec loquutum fuisse testatur, & hoc gratia cupiditatis, eo quod fur fuisset, & loculos habens, ea quae mittebantur portaret. Potest etiam intelligi, quod & alij discipuli aut fenserint, hoc aut dixerint, aut eis Iuda dicente persuasum sit, atque omnium uoluntatem Mathaeus & Marcus etiam uerbis expresserint. Sed Iudas propter ea dixit, quia fur erat, caeteri uero propter pauperum curam.

*Ioan. 13.*

**B**Sciens autem Iesus, ait illis. Quid molesti estis huic mulieri? opus bonum operata est in me, nam semper pauperes habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis.) Mihi uidetur in hoc loco de presentia dicere corporali, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni conuictu, & familiaritate, cuius rei memor Apostolus ait: Et si noueramus Iesum Christum secundum carnem, nunc iam non nouimus eum.

*Hiero. praesentia Christi corporalis.*

*2. Cori. 5.*

Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.) Quod uos putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturae est, nec mirum, si mihi bonum odorem fidei suae dederit, cum ego pro ea futurus sim sanguinem meum.

Amen dico uobis, ubicumque praedicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur, & quod haec fecit in memoria eius.) In toto mundo non tam uxor ista, quam Ecclesia praedicatur, quod sepelierit saluatorem, quod unxerit caput eius.

Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Ischarioth ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam & c.)

Multi hodie scelus Iudae, quia Dominum ac Magistrum Deumque suum pecunia uendiderit, uel ut immane, & nefarium, exhorrent, nec tamen cauent. Nam cum pro muneribus saluum contra quemlibet testimonium dicitur, profecto, quia ueritatem pecunia negat Deum pecunia uendunt. Ipse enim dixit: Ego sum ueritas. Cum societate fraternitatis aliqua discordiae peste commaculant, Dominum produnt, quia Deus charitas est. Qui ergo charitatis & ueritatis

*Ioan. 14.*



**C**iusa spernunt, Deum utiq; qui est charitas & ueritas, produunt. Scribit in Euangelio suo Ioannes: Quia cum intinxisset Dominus panem, dedit Iudæ Symonis Ischariotis. Et post buccellam tunc introiuit in illum Satanas, sed non est contrarium Lucæ, qui cum & ante buccellam à Satana inuasum esse commemorat, quia quem nunc intrauit, ut deciperet, postmodum intrauit, ut sibi iam traditum plenus possideret.

Ioan. 13.  
Lucæ. 22.

**Prima autem Azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere Pascha.** ) Primum diem Azymorum, quartumdecimū primi mensis appellat, quando fermento abiecto immolare, id est, agnum occidere solebant ad uesperam. Quod expones Apostolus ait: Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, qui licet die sequenti, hoc est, quinta decima Luna sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & carnis sanguinisq; suis discipulis tradidit mysteria celebranda, & à Iudæis tentus & ligatus, ipsius immolationis, hoc est, passionis suæ sacrauit exordium.

Primus 427 =  
morum dies  
est. 14. primi  
mensis.  
1. Cor. 5.

**At Iesus dixit eis: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cū discipulis meis &c.** ) Marcus dicit: Ite in ciuitatem, & occurret uobis homo lagenam aquæ baiulans. Lagna fragilitate designat Apostolorum, per quos eadem erat gratia mundo ministranda. Vnde aiunt: Habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus. Lucas uero ait: Introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo amphoram aquæ portans &c. Pulchræ autē paraturis Pascha discipulis homo amphoram aquæ portans currit, ut ostendatur huius Paschæ mysterium, pro ablutione perfecta mundi totius esse celebrandum. Aqua quippe lauacrum gratiæ, amphora mensuram perfectam significat. Parant ergo Pascha, ubi aquæ infertur amphora, quia tempus uidelicet adest, quo ueri Paschæ cultoribus typicus de limine cruor auferatur, & ad tollenda crimina uiuifici fontis baptisma consecratur. In alio Euangelista scriptum est, quod inuenerūt cænaculum magnum stratum atq; mundatum, & ibi parauerunt ei. Cænaculum magnum lex spiritalis est, quæ de angustis literæ egrediens, in sublimi loco recipit Saluatorem. Nam qui ad huc occidentem literam serua uerit, qui non aliud in agno, quàm pecus intellexerit, iste nimirum in imis Pascha facit, quia spiritus maiestatem cōprehendere, nec dum didicit. At qui aquæ baulum, hoc est gratiæ præconem in domum Ecclesiæ fuerit secutus, hic per spiritum uiuificationem textum literæ transcendendo, in alto mentis diuersorio Christo mansionē præparat, quia cuncta, uel Paschæ sacramentum, uel cætera legis decreta de hoc scripta intelligit.

Mat. 14.

**Vespere autem factō discumbebat cum duodecim discipulis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico uobis, quia unus uesterū me traditurus est &c.** ) Lucas in hoc loco, Dominum introducit dicentem: Desyderio desyderauit hoc Pascha manducare uobiscum antequam patiar. Desyderat primo typicum pascha cum discipulis māducare, & sic passionis suæ mundo mysteria declarare, quatenus & antiqui legalisq; Paschæ probator existat, & hoc ad suæ dispensationis figurā pertinuisse docendo, carnaliter ultra ueter exhiberi, immò umbra transiente, uerū iam Paschæ lumen aduenisse demonstrat.

Hiero.

**Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo. Vt autem homini uis uobis, qui ni illi, per quem filius hominis tradetur.** ) Pœnam prædicit, ut quem pudor nō uicerat corrigant denuntiata supplicia. Sed & hodie quoq; & in sempiternum uæ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidijs mente inquinatus, qui in præcordijs Domini aliquo scelere pollutus, mysteriorum Christi oblationibus sacro sanctis participare non meruit.

Hiero.

**Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.** ) Non ideo putandus est, ante fuisse quàm nasceretur, cum nulli possit esse bene, nisi ei qui fuerit, sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere, quàm male subsistere.

**Respondens autem Iudas dixit: Num quid Ego sum Rabbi? Ait illi Iesus: Tu dixisti.** ) Blandientis iunxit affectum, sive incredulitatis signum. Cæteri enim qui non erant prodituri dicūt: Num quid ego sum Domine? Iste quippe qui proditurus erat, non

**A** non Dominum, sed Magistrum uocat, quasi excusationem habeat, si Domino denegato, factem Magistrum prodiderit.

**Cænantibus autem eis, accepit Iesus panē & benedixit, ac fregit deditq; discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum.** ) Postq; typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumpsit panem, qui confortat cor hominis, & ad uerum Paschæ transgreditur sacramentum. Vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem & uinum offerens fecerat, ipse quoq; in ueritate sui corporis & sanguinis representaret. Et in Luca legimus duos calices, quibus discipulis propinavit. Vnum primi mensis & alterum secundi, ut qui inter sanctos primo mense agnum comedere non potuerit, secundo mense inter poenitentes hoc dum comedit. Frangit autem ipse panem, quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non ab ipse sua sponte, ac procuratione uenturam, sed sicut alibi dicit, potestatem se habere ponendi animam suā, & potestatem se habere iterum sumendi eam. Quem uidelicet & panem certi quoq; gratia sacramenti priusq; frangeret, benedixit. Quia naturam humanam, quam passurus assumpsit, ipse una cū patre, & spiritu sancto gratia diuinæ uirtutis impleuit: Benedixit panē & fregit, quia hominem assumptum, ita morti subdere dignatus est, ut ei diuinæ immortalitatis ueraciter inesse potentiam demonstraret. Ideoq; uelocius eum à morte resuscitandum esse doceret.

Expositio de  
duobus calicibus.

**Et accipiens calicē gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus Noui Testamenti &c.** ) Quia panis corpus cōfirmat, uinum uero sanguinem operatur in carne, hic ad corpus Christi mysticæ, illud refertur ad sanguinem. Verum quia & nos in Christo, & in uobis Christum manere oportet, uinum Domini calicis aqua miscetur. At testante enim Ioanne, aquæ populi sunt, & necq; aquam solum necq; solum uinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixione, & confectioe in pane cuiquam licet offerre, ne talis uidelicet oblatio, quali caput à membris secernendum esse significet, & uel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, uel nos sine illius passionis saluari, ac patri offerri posse, coningar. Quod autem dicit: Hic est sanguis meus Noui Testamenti, ad distinctionem respicit Veteris Testamenti, quod hyrcorum & uitulorum est sanguine dedicatum.

Apoc. 17.

Exod. 24.

**Dico autem uobis: Non bibam amodo de hoc genimine uitis usq; in diem illum, cum illud bibam uobiscum notum in regno patris mei.** ) Potest quidē hic uersiculus, & simpliciter accipi, quod ab hac hora cænx usq; ad tempus resurrectionis, quo in regno Dei erat uenturus uinū bibiturus non esset, postea namq; illū cibū potumq; sumpsisse testatur Apostolus Petrus qui ait: Qui manducauimus & bibimus cum illo, posteaquam resurrexit à mortuis. Sed multo consequentius, ut sicut supra typicū agni esum, sic etiam potum Paschæ typicum neget se ultra gustaturum, donec ostensa & manifestata resurrectionis suæ gloria, regni Dei fides mundo adueniat.

**Et hymno dicto exierunt in montem oliueti.** ) Hoc est, quod in Psalmo legimus: Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Potest autem hymnus etiam ille intelligi, quem Dominus secundum Ioannem patri gratias agens decantabat, in quo & pro seipso, & pro discipulis, & pro eis, qui per uerbum eorum credituri erant, eleuatis sursum oculis præcabatur. Et pulchre discipulos sacramento sui corporis, ac sanguinis imbutos, Et hymno piæ intercessionis patri commendatos, in montem educi oliuarum, ut typice designet, nos per acceptionem sacramentorum suorum, per quæ opem suæ intercessionis, ad altiora uirtutū dona & charismata sancti spiritus, quibus in corde perungamur, cōscendere debere. Quod si quem mouet, cur cænatu Saluator Apostolis suum corpus ac sanguinem tradiderit, quare nos uniuersalis Ecclesiæ cōsuetudine ieiuni doceamur eadem sacramenta percipere: Breuiter audiat, ideo tunc cænatu communicasse Apostolos, quia necesse erat Pascha illud typicū antea consummari, & sic ad ueri Paschæ sacramenta transire. Nunc in honore tantū tamq; terribilis sacramenti placuisse magistris Ecclesiæ, primo nos Dominicæ passionis participatione muniri, primo spiritalibus epulis interius exteriusq; sacrari, ac deinde terrenis dapibus, corpus & uilibus escis refici.

Psal. 21.  
Sando corpore  
ris & sanguinis  
imbui in  
montem edu-  
cuntur.

**Tūc dicit eis Iesus: Omnes uos scandalū patiemini in me in ista nocte.** )

Hiero.  
Luc. 22.

**C** Prædicit quod passuri sint, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes poenitentiam liberentur, & signanter addidit in ista nocte, quia quomodo qui inebriantur, nocte inebriantur, sic & qui scandalum patiuntur, in nocte & in tenebris sustinent. Lucas ait, quod Symoni Dominus dixit: Ecce Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Cum uero Satanas expetit eos tentare, & ueluti, qui triticum purgat, utensilando concutere, docet nullius fidem à diabolo, nisi Deo permittente tentari posse. Satanæ quippe ad cribrandum bonos expetere est, ad afflictionem eorum maliciæ estibus anhelare. Quo enim eorum tentationem inuidens appetit, eo illorum, quasi probationem deprecas petit. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: Sicut ipse tuam, inquit, fidem, ne Satana tentante deficeret, orando protexi, ita & tu infirmiores quosque fratres exemplo tuæ poenitentia, ne de uenia forte disperent, erigere & confortare memento.

Hiero.  
Zach. 13.

Scriptum est enim: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.) Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam pro ouibus suis, & ut multis gregibus errorum fiat unus grex, & unus pastor.

Hiero.

Amè dico tibi, quia in hac nocte anteq̃ Gallus cantet, ter me negabis.) Et Petrus de ardore fidei promittebat, & Saluator quasi Deus futura nouerat. Et nota, quod Petrus in nocte neget tertio. Postq̃ autem Gallus cecinit, & de rescentibus tenebris uicina lux nuntiata est. Conuersus fleuit amare, terne negationis fordes lachrymis lauens.

Tunc uenit Iesus cum illis in uillam, quæ dicitur Gethsemani &c.) Monstratur usq̃ hodie locus Gethsemani, in quo Dominus orauit, ad radices montis Oliueti. Nunc desuper Ecclesia ædificata. Interpretatur autem Gethsemani uallis pinguium, siue pinguedinum. Quod uero non solum dicta, uel opera nostri Saluatoris, uerum etiam loca & tempora, in quibus operatur & loquitur, mysticis, ut sæpe dictum est, sunt plena figuris. Cum in monte orat Dominus, quasi tacite nos ammonet sublimia tantum orando inquiri, & pro celestibus bonis supplicari debere. At cum in ualle orat, & hoc in ualle pinguium siue pinguedinis, ipse usq̃ in sinuat nobis humilitatem semper orationibus, & interne pinguedinem dilectionis esse seruandam.

**D** Tunc ait illis Iesus: Tristis est anima mea usq̃ ad mortem &c.) Non propter mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire, quæ corporis sunt, ut esuriret, & sitiret, tangeretur, contristaretur, diuinitas autem commutari per hos nescit affectus.

Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans.) Lucas autem dicit: Auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, tanquam hoc eos typice ammonuerit, ut in eum dirigerent lapidem, id est, usq̃ ad ipsum perducerent intentionem legis quæ scripta erat in lapide, usq̃ ad illum enim potest peruenire ille lapis, quoniam finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti.

Rom. 10.

Et dicens: Mi Pater, si possibile est, transeat à me calix iste &c.) Quod autem patrem inuocans, duplici secundum Marcum nomine dicit: Abba pater, utriusque populis illum, & Iudæis, scilicet, & gentibus Deum esse, ac Saluatorem ostendit. Idem namque Abba & pater significat. Sed אבא Hebræum, πατήρ Græcū est & Latinū. Vt ergo utrumque populum in eum crediturum, & ab utroque eum inuocandum esse doceret, utraq̃ lingua eum primus ipse inuocat.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma &c.) Hoc aduersus temerarios, qui, quod crediderint, putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus.

Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat uoluntas tua &c.) Non, inquit, fiat hoc quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua uoluntate descendit: Si ergo, inquit, fieri potest, ut sine interitu Iudæorum credat gentium multitudo, passionem recuso. Si autem illi excusandi sunt, ut omnes Gentes uideant, non mea pater uoluntas sed tua fiat.

Iterum abiit, & orauit, tertio eundem sermonem &c.) Lucas autem ait Apparuit illi angelus de caelo, confortans eum.

Alibi

A

Alibi legitur: Quia angeli accesserunt, & ministrabant ei: In documento ergo utriusque naturæ & ei angeli ministrasse, & cum angeli confortasse describitur, quoniam qui Deus ante secula exiit, homo factus est in fine seculorum. Et addidit Lucas dicens: Factus in agonia prolixius orabar. Agonia, alacritas uel confidentia intelligitur. Quod autem sequitur secundum eundem Euangelistam:

Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis.) Non sudorem infirmitatis deputans, quia & contra naturam est, sudare sanguinem, sed potius intelligi uult, irrigatam, sacratamque eius sanguine terram, non sibi, qui nouerat, sed nobis aperte declaratum, quod effectum suam suæ precis obtineret, ut fidem uidelet discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret, & quicquid illa scandali de eius morte pertulisset, hoc ipse totum moriendo deleret, imo uniuersum late terrarum orbem peccatis mortuum, sua morte innoxia, coelestem resuscitaret ad uitam

Tunc uenit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam & requiescite &c.)

Cum dixisset dormite iam & requiescite, & adiungeret, sufficit, ac deinde inferret: Venit hora, ecce tradetur filius hominis, utique intelligitur post illud, quod eis dictum est: Dormite & requiescite, siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret quod promiserat, & tunc intulisset: Ecce appropinquabit hora, siue uenit hora. Ideo post illa uerba positum est, sufficit, id est, quod requieuisistis iam sufficit.

Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet &c. Ac si diceret: Non nos inueniat, quasi timentes & retractantes, ulro pergamus ad mortem, ut confidentiam & gaudium passuri uideant.

Accessit Iudas ad Iesum, & dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum.) Impudens quidem & scelerata confidentia, magistrum eum uocare, & osculum ei ingerere quem tradebat.

Dicit illi Iesus: Amice ad quod uenisti?) Duobus modis hoc intelligendum est. Ad quod uenisti, id est, ad quod scelus delapsus es, ut discipulus traderes magistrum, & dum esses Apostolus, effectus es traditor? Siue ad quod uenisti: subaudiatur, hoc age, relinque osculum & imple traditoris officium.

Et ecce unus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum, & percussit seruum Principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius.)

In alio Euangelio scriptum legitur, quod Petrus hoc fecerit eodem mentis ardore, quo & cætera. Seruus quoque Principis sacerdotum, qui Malchus, id est, rex appellatur, populus Iudæorum est, qui per incredulitatem seruus factus est impietatis. Qui perdidit auriculam dextram, ut totam literæ uilitatem audiat in sinistra. Sed Dominus Iesus in his qui ex Iudæis credere uoluerunt, reddit aurem dextram, & fecit seruum genus regale, & sacerdotale. Aliter, auris pro Domino amputata & à Domino sanata, significat auditum, & ablata uetustate renouatum, ut sit in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ, quod cui præstitum fuerit à Christo, præstabitur & regnare cum Christo.

Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum &c.) Quia per gladium uindicta intelligit, sicut Apostolus de iudice ait: Non enim sine causa gladium portat, recte hic per gladium uindicta intelligitur. Reconde gladium, ac si diceret, quiescat uindicta. Aliter, Conuerte gladium in locum suum, id est, uerbum prædicationis conuerte ad gentes, ubi secundum Paulum, ostium apertum & ingens inueniat. Aliter, Postquam plenitudo gentium intrauerit, dicit Petro, per quem totus prædicatorum signatur ordo: Conuerte gladium uerbi prædicationis ad Israel. Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Quo gladio illo nempe, qui igneus uertitur ante paradysum, & gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura.

An putatis, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?) Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri: Non indigeo duodecim Apostolorum auxilio, etiam si omnes me defenderint, qui possum habere duodecim legiones angelorum. Vna legio apud ueteres sex milibus complebatur hominum, Pro breuitate temporis numerum non currimus

Matth. 4.

Angelus confortat argumētum ueræ humanitatis in Christo.

Sudare sanguinem contra naturam.

Confidentia et gaudium passuri.

Hieronymus κατὰ τὴν τριτοῦ φρασίν intel ligi.

Rom. 13.

Gladium, id est, uindicta.

Gen. 3.

Eph. 6.

Legio sex milia habuit.

C occurrimus explicare, typos tantum dixisse sufficiat. Septuaginta duo milia angelorum, in quorū gentes hominumq; lingua diuisa est duodecim legionibus fieri.

Hoc autem totū factum est, ut implerentur scripturę prophetarū &c.)

Quę sunt scripturę Prophetarum: Foderunt manus meas, & pedes meos: & alibi: Sicut ouis ad uictimam ductus est. Et in alio loco: Ab iniquitatibus populi mei ductus sum ad mortem.

Psal. 21.  
Esa. 53.

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.) Inter quos, ut Marcus ait: Adolefcens quidam sequebatur Dominum amictus syndone super nudo, id est, corpore.

Gen 39.

Qua reiecta nudus profugit.) Iohannem hunc fuisse adulescentem intelligimus, quod uero nudus profugit ab impijs, illorum & opus designat & animā, qui ut securiores ab incurfibus hostium fiant, quicquid in hoc mundo possidere uidentur abijciunt, ac nudi potius Domino famulari, quā adherendo mundi rebus materiam tentandi, atq; à Deo reuocandi aduersarijs dare didicerunt, iuxta exemplum beati Ioseph, qui relicto in manibus adulterę pallio, foras exiit, malens Deo nudus quā indutus cupiditatibus mundi meretrici seruire.

Ioseph. li. ant.  
18. cap. 5.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caiphā principem sacerdotū &c.) Refert Iosephus istum Caiphā unius tantum anni Pontificatum ab Hérode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si iniquus Pontifex inique iudicet.

Lucæ 12.

Petrus autem, sequebatur Iesum à longe &c.) Merito à longe sequebatur, quia proximo negaturus erat, neq; enim negare posset, si Christo proximis adhesisset, Marcus autem dicit: Sedebat cū ministris, & calefaciebat se ad ignem. Est enim dilectionis ignis, est & cupiditatis, de hoc dicitur: Ignem ueni mittere in terrā, & quid uolo, nisi ut ardeat, de illo: Ecce uos omnes accendentes ignem, accincti flāmis ambulatē in lumine ignis uestri, & flammarum quas succendistis, iste super credentes in cænaculo Sion de celo descendens uarijs linguis Deū laudare docuit, ille terrę materię Caiphę focus in atrio flammis negandi Deum turbas accendit, nam ab horum Apostolus Petrus persecutorum prunis calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate querebat, sed nō mora, respectus à Domino, cū ignem eorum corpore, tunc & infidelitatem corde reliquit.

Salust. testis.

Novissime autem, uenerunt duo falsi testes & dixerunt: Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud.) Quomodo falsi testes sunt, si ea dicunt, quę Dominum supra dixisse legitur: Sed falsus testis est, qui non eodem dicta sensu intelligit, quo dicuntur. Dominus autem dixerat de templo corporis sui, sed & in ipsis uerbis calumniatur, & paucis additis uel mutatis, quasi iustam calumniam faciunt, Saluator dixerat: Soluite templum hoc, isti cōmutant & aiunt: Possum destruere templū Dei. Vos, inquit, soluite, non ego, quia illicitum est, ut ipsi nobis inferamus manus. Deinde illi uertunt, & post triduum edificare illud, ut proprię de templo Iudaico dixisse uideatur. Dominus autem ut ostenderet animalę & spirans templū, dixerat, & ego in triduo suscitabo illud, Aliud est edificare, aliud suscitare.

Hiero.

Consuetudo Iudaica. A Gto. 14. A Gto. 12.

Mysterium de synagoga & Ecclesia.

Princeps autem sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti. Tunc princeps sacerdotum scidit uestimenta sua.) Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eundem rabies ad scandendas uestes prouocat. Scidit autem uestimenta sua, ut ostendat Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse, & uacuum sedem habere Pontificis. Sed & consuetudinis Iudaicę est, cum aliquid blasphemum, & quasi contra Deum audierint, scindere uestimēta sua, quod Paulum quoq; & Barnabam, quando in Licaonia deorum cultu honorabantur, fecisse legitur. Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, sed ut quieuit inmoderato fauori populi, statim ab angelo percussus est. Altiori autem mysterio factum est, ut in passione Domini Pontifex Iudæorum sua ipse uestimenta discinderet, cum tunica Domini nec ab ipsis, qui eum crucifigere militibus scindi potuerit. Figurabatur enim, quod sacerdotum Iudæorum pro scelere ipsorum Pontificum esset scindendum. Soliditas uero sanctę uniuersalis Ecclesię, quę uestis sui redemptoris solet appellari, nunquam ualeat dirumpi, quin potius & si Iudæi si gentiles, si heretici, si mali catholici, humilitatem Domini saluatoris contemnant, eius tamen usq; ad consummationem seculi, in illis quos fors electionis inuenerit inuolata sit permanura castitas.

Verum

A

Veruntamen dico uobis, ammodo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus.) Si ergo tibi in Christo à Iudæe, pagane & hereticę, contemptus, infirmitas, & crux contumelia est, uide quod per hæc filius hominis ad dextram Dei patris sessurus, ex partu uirginis homo natus, in sua, in cœli nubibus, est maiestate uenturus.

Tunc expuerunt in faciem eius, & secundum Marcum: Velauerunt faciem eius.) Ut completeretur quod scriptum est: Dedi maxillas meas alapis, & faciem meam non auerti à confusione sputorum.

Velauerunt autem faciem eius, non ut eorum ille scelera nō uideat, sed ut à seipsis, sicut quondam Mosi fecerunt, gratiam cognitionis eius abscondant. Si enim crederent Mosi, crederent forsitan & Domino. Quod uelamentum usq; hodie manet super cor eorum non reuelatum. Nobis autem in Christum credentibus ablatum est. Neq; enim frustra, eo moriente, uelum templi scissum est medium, sed & ea quę toto legis tempore latuerant, & abscondita carnali lra el fuerant, Noui Testamenti cultoribus sunt patefacta sancta sanctorum archana.

Et accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.)

Quid sibi uult, quod primo eum prodit ancilla, cum utri usq; magis eum potuerunt recognoscere, nisi ut iste sexus peccasse in nece Domini uideretur, & iste sexus redimeretur per Domini passionem? & ideo mulier resurrectionis prima accepit mysteria, & mandata custodit, ut ueterem pruaricationis aboleret terrorem.

Ancilla produnt Christū.

Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.) Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis extraneus, omnes quippe Hæbrei, & erant qui arguebant, & qui arguebantur, sed quod unaqueq; provincia & regio habeat proprietates suas, & uernaculum loquendi sonum uitare non possit, unde & Ephratei in Iudicum libro non possunt σὺν ἡμῶν dicere.

Iudi. 12.

B

Et continuo gallus cantauit, & recordatus est Petrus uerbi Domini, uel secundum Lucam: Respexit Dominus Petrum.) Respicente Domino, Petrus ad cor reuersus, maculam negationis, poenitentię lachrymis tergit. Quia non solum cum agit poenitentia, uerumetiam ut agatur Dei misericordia necessaria est. Respicere namq; eius misereri est.

Mane autem facto, consilium fecerunt Principes sacerdotum, & uinctū Iesum tradiderunt Pontio Pilato.) Non solum ad Pilatum, sed etiam ad Herodem ductus est, ut uterq; Domino illuderet. Et cerne sollicitudinem sacerdotum. In malo rota nocte uigilauerunt, ut homicidium facerent, & uinctum traderent Pilato. Habebant enim hunc morem, ut quem ad iudicassent morti, ligatum iudici traderent.

Sollicitudo sacerdotum in malo.

Tunc uidens Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, proiectis argenteis in templo, recessit & laqueo se suspendit. Auaritię magnitudinem impietatis pondus excludit. Videns Iudas Dominum adiudicatum morti, precium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset, persecutorum murare sententiam. Itaq; licet mutauerit uoluntatem suam, tamen uoluntatis primę exitum non mutauit. Nihil profuit egisse poenitentiam, per quam scelus corrigere non potuit.

Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet mittere eos in corbonam, quia precium sanguinis est.) Vere culicem liquantes, & camelum glutientes. Si enim, ideo non mittunt pecuniam in corbonam, hoc est in gazophilatiff & dona Dei, quia precium sanguinis est, cur ipse sanguis effunditur?

Hiero.

Consilio autem inuito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.) Illi quidem fecerunt alia uoluntate, ut eternū impietatis suę relinquerent ex agrī emptione monumentum. Ceterum nos qui peregrini eramus, à lege & prophetis, praua eorum studia suscepimus in salutem, & in precio sanguinis eius requiescimus. Figuli autem ager appellatur, quia figulus noster est Christus. Tunc impletū est quod dictū est per Hieremiā prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium adpreciati, quod adpreciauerunt à filijs

Figuli ager. Zach. 11. Hęc in Hieremia non inueniuntur, teste Hieronymo.

C<sup>a</sup> filiis Israel, & dederunt eos in agrum siguli, sicut constituit mihi Dominus.

Et cum accusaretur a principibus sacerdotum nihil respondit. Hinc Lucas ait: Pilatus ad principes sacerdotum dixisse, nihil inuenio in hoc homine. Hoc est, quod ipse pridie quam pateretur inter alia discipulis ait: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, sed quia princeps mundi, hoc est, Pilatus est absolutus, in quo nihil causae quam damnaret inuenit. Quod uero principibus non respondit, data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur. Vbi enim tacebat, quasi agnus toto pro grege immolandus patientiam praestabat: Vbi uero respondebat, quasi pastor bonus, pro creditis sibi ouibus, contra luporum laironumque insidias pugnabat.

10<sup>th</sup>. 14.

Iudaei pacem

habere non possunt, quia seditionum principem quam Dominum eligere maluerunt. Quia uero Barrabas filius patris, uel filius magistrorum eorum interpretatur, potest Antichristi typum gerere, quem illi, quibus Barrabas Antichristi typus non ab ipso nascendo, sed imitando uocatur.

Congregatis ergo illis, dixit Pilatus, quem uultis dimittam uobis, Barabam an Iesum, qui dicitur Christus? Latro seditionum & homicidiorum auctor dimissus est populo Iudaeorum, id est diabolus, qui iam olim patria luce ob culpam superbis depulsus, & in tenebrarum fuerat carcerem missus. Atque ideo Iudaei pacem habere non possunt, quia seditionum principem quam Dominum eligere maluerunt. Quia uero Barrabas filius patris, uel filius magistrorum eorum interpretatur, potest Antichristi typum gerere, quem illi, quibus Barrabas Antichristi typus non ab ipso nascendo, sed imitando uocatur.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per uisum propter illum.

Gentilibus somnia reuelantur.

Nota, quod gentilibus sepe à Deo somnia reuelentur, & quod in Pilato & uxore eius, iustum Dominum confitentibus, gentilis populi testimonium sit.

Dicit iterum illis Pilatus, quid faciam de Iesu, quia dicitur Christus? dicunt omnes, crucifigatur. Ut impleretur quod dictum est in Psalmo: Circumdederunt me canes multi, & illud Hieremiae: Facta est mihi hereditas mea, sicut leo in silua, dederunt super me uocem suam.

Psal. 21.

Hier. 12.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, accepta aqua lauit manus, coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti &c. Pilatus autem accepit aquam iuxta illud propheticum: Lauabo inter innocentes manus meas, ut in lauacro manuum eius, gentilium opera purgarentur, & ab impietate Iudaeorum, qui clamauerunt crucifige eum, nos alienos faceret, quodam modo hoc contestans, & dicens: Ego quidem innocentem uolui liberare, sed quoniam seditio oritur, & per id rebellionis mihi contra Caesarem crimen impingitur, innocens sum à sanguine huius iusti.

Psal. 72.

10<sup>th</sup>. 19.

Respondit uniuersus populus dicens: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Perseuerat usque in presentem diem haec imprecatio super Iudaeos, & sanguis Domini non aufertur ab eis, unde per Esaiam loquitur: Si leuaueritis ad me manus, non exaudiam uos, manus uestrae sanguine plenae sunt.

Tunc milites exuentes Iesum, chlamidem coccineam circumdederunt ei. Vel secundum Marcum, induunt eum purpura. Pro regia enim purpura chlamis illa coccinea ab inludentibus adhibita erat, & est rubra quaedam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemorauerit, quam chlamis habebat, quamuis esset coccinea. Mystice ergo in purpura qua indutus est Dominus, ipsa eius caro quam passionibus obiecit insinuatur, de qua praemissa dixerat Propheta: Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & uestimenta tua, quasi calcantium in torculari. In corona uero quam portabat, spinosa nostrorum susceptio peccatorum, pro qua mortalis fieri dignatus est, ostenditur, iuxta quod praecursor ipsius testimonium ei perhibens ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Namque spinas in significatione peccatorum poni solere, testatur ipse Dominus, qui protoplasto, in peccatum prolapsus dicebat: Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi, quod est aper te dicere: Conscientia tua punctiones tibi, & aculeos uitiorum procreare non desistet. Quod uero iuxta Euangelium Lucae Dominus apud Herodem alba ueste induitur, in ceteris uero Euangelistis à militibus Pilati, sub coccineo siue purpureo habitu inlusus esse perhibetur, collata utraque narratione, in uno innocentia, & castitas adsumptae humanitatis, in altero autem ueritas

10<sup>th</sup>. 1.

Gene. 3.

passionis, per quam ad gloriam regni immortalis esset peruenturus exprimit. Sicut enim purpura colorem sanguinis, qui pro nobis effusus est, immitatur, ita & habitus regnum, quod post passionem intrauit, nobisque intrandum patefecit, insinuauit. Verum quia dixit Apostolus: Quotquot enim in Christo Baptizati estis, Christum induistis, & Esaias Domino de electis omnibus: His uelut ornamento uestieris. Potest in hoc utroque Domini habitu, omnium electorum eius multitudine, quae in martyres uenerandos, & caeteram fidelium plebem distinguitur, aptissime designari. Alba enim ueste induitur, cum munda iustorum confessione circumdatur. Purpura siue cocco uestitur, cum in triumpho uictoriorum martyrum glorietur.

Esai. 49.

Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & harundinem in dextera eius, & reliqua. In chlamide coccinea opera Gentium truenta sustenrat: in corona spinea maledictum soluit antiquum: in calamo uenenata occidit animalia, siue calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet Iudaeorum.

Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenenum, uenientem obuiam sibi, siue secundum Marcum: Venientem de uilla, nomine Simonem, hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Cauendum ne uideatur contrarium quod Hiero. Ioannes scribit, ipsum Dominum sibi crucem portasse. Sed hoc intelligendum, quod egrediens de praetorio Iesus, ipse sibi secundum Ioannem portauit crucem, postea Simoni portandam im-

1. Pet. 3.

posuerunt, & hoc congruo satis ordine, quia ipse passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur uestigia eius. Et quia Simon iste, non Hierosolymita, sed Cyrenaeus esse perhibetur. Cyrene enim Lybici ciuitas est, ut in Actibus Apostolorum legimus, recte per eum populi gentium designatur, qui quondam peregrini & hospites testamentorum, nunc obediendo ciues sunt & domestici Dei. Et sicut alibi dicitur: Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Unde & apte Simon obediens, Cyrene, heres interpretatur. Nec praetereundum, quod idem Simon de uilla uenisse fertur, uilla enim pagus dicitur, à uoce Graeca πηγή, quae fontem significat, unde plures simul domus rusticae, hoc est, plures uillae, pagus uocatur, quod circa fontes conditi huiusmodi uillae consueuerunt. Hinc pagani dicti quasi uillani. Unde paganos appellamus eos, quos à ciuitate Dei alienos, & quasi urbanae conuersationis esse uidemus expertes. Sed de pago Simon egrediens, crucem portat post Iesum, cum populus nationum paganis ritibus derelictis, uestigia Dominicae passionis obedienter complectitur. Quod autem secundum Lucas in hoc loco sequentibus se Dominus mulieribus dixit: Filiae Hierusalem, nolite flere super me, sed super uos, & super filios uestrorum, & addit: Quia si in uiridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? Viride enim lignum seipsum suosque electos, aridum uero impios & peccatores significat. Si ego ipse, inquit, qui peccatum non feci, qui lignum uitae merito appellator, fructus gratiae duodenos per singulos menses adfero, sine igne passionis à mundo non exeo, quid putas eos manere tormenti, qui fructibus uacui, in super uitae lignum flammis dare non timent?

Cyrene ciuitas

Lybia.

Acto. 2.

Rom. 8.

Et uenerunt in locum qui dicitur Golgatha, quod est Caluariae locus. Extra urbem Hierusalem & foris portam loca erant, in quibus truncabantur capita damnatorum, & caluariae, id est decollatorum sumpserunt nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat arca damnatorum, ibi erigerentur uexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus & flagellatus, & crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur, ut ubi abundauit peccatum, superabundet gratia. Qualiter sanè Dominus in cruce positus, quid uae eadem sacratissimi corporis positio regalis in se typo conueniat, Sedulius in Paschali carmine pulchre uersibus dixit.

Rom. 6.

Protinus in patuli suspensus culmine ligni,  
Religione pia mutans discriminis iram  
Pax crucis ipse fuit, uiolentaque robora membris,  
Illustrans proprijs, poenam uestiuit honore,  
Suppliciumque dedit, signum magis esse salutis  
Ipsaque sanctificans in se tormenta beaui.  
Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam,  
Quae Dominum portauit, ouans ratione potenti,  
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.  
Splendidus aethoris de uertice fulget eous.  
Occiduo sacrae lambuntur sydere plantae.

Sedulij carmi-  
na lib. 4. de re  
su patulo ligno  
affixo.

C Arcton dextra tenet, medium Igua erigit axem. Cunctaq; de membris uiuit natura creantis. Et cruce complexum, Christus regit undiq; mundum.

Eph. 3.

Moralē quoq; sacro sanctę crucis figurā describit. Apostolus, ubi ait: In charitate radicati & fundati, ut possitis cōprehendere cū omnibus sanctis, quę sit latitudo & longitudo altitudo & profundum. Cognoscere etiam supereminētē scientię charitatē Christi. In latitudine quippe bona opera charitatis significat. In longitudine perseverantiam sanctę conuersationis usq; in finem. In altitudine spem cęlestium premiorum. In profundo inscrutabilia iudicia Dei, unde ista gratia in homines uenit. Et hęc ita coaptantur sacramento crucis, ut in latitudine accipiat transuersum lignum, quod extenduntur manus, propter operum significacionē. In longitudine ab ipso usq; in terram, ubi totum corpus crucifixum stare uidetur, quod significat persistere, hoc est, longanimiter permanere. In latitudine ab ipso transuerso ligno sursum uersus, quod ad caput eminet, propter expectationem supernorum, ne illa opera bona atq; in eis perseverantia, propter beneficia Dei, terrena ac tēporalia facienda credant, sed potius propter illud quod desuper sempiternum sperat fides, quę per dilectionem operatur. In profundo autem, pars illa ligni, quę in terra abdita defixa laet, sed inde confurgit illud omne quod eminet, sic ex occulta Dei uoluntate uocatur homo ad participationem tantę gratię, alius sic. Alius autem sic, supereminētē uero scientię charitatem Christi, eam profecto, ubi pax illa est, quę præcellit omnem intellectum.

Philipp. 4.

Hiero. Hier. 2. Psal. 26.

Concordia Evangelistarum de potu myrrhati uini.

Et dabant ei bibere, myrrhatum uinum, & non accepit. Deus loquitur ad Hierusalem: Ego te plantaui uineam meam ueram, quomodo facta es in amaritudine uitis a lienę. Amara uitis amarum uinum facit, quod propinat Domino Iesu Christo, ut impleatur quod scriptum est: Et dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quod autem dicitur: Et non accepit, uel secundum Matheum: Cum gustasset, noluit bibere, hoc indicat, quod gustauerit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. Quod autem ait Marcus: Non accepit, intelligitur, non accepit ut biberet. Gustauit autem, sicut Matheus testis est, ut quod idem Matheus ait: Noluit bibere, hoc Marcus dixit: Non accepit, tacuit autem quod gustauerit. Sed hoc quod ait Marcus, myrrhatum uinum intelligendum est, Matheum dixisse: Cū uelle mixtum. Fel quippe pro amaritudine posuit, & myrrhatum enim uinum amarissimū est, quantum fieri possit, ut & felle & myrrha tū uinum amarissimū redderent.

August.

D Postq; autem crucifixi erant eum, diuiserunt uestimenta eius, sorte mittentes. Hęc Euangelista Ioannes plenius exposuit, quia scilicet milites, cetera in quatuor partes, iuxta suum numerum diuidentes, de tunica, quę inconfutilis erat, desuper contexta per totum, sorte miserunt. Quadrupartita autem uestis Domini, quadrupartitam eius figurauit Ecclesiam, toto scilicet qui quatuor partibus constat terrarum orbe diffusam, & omnibus eiusdē eisdem partibus equaliter, id est, concorditer distributam. Tunica uero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quę charitatis uinculo continetur. Si enim charitas, iuxta Apostolum, & supereminētiorē habet uitam, & supereminēt scientię, & super omnia præcepta est, merito uestis, qua significatur desuper contexta, perhibetur. In sorte autem quid, quia & Dei gratia in unitate ad omnes peruenit, & cum fors mittitur, non personę cuiusq; uel meritis, sed occulto Dei iudicio ceditur.

Philipp. 2.

Et posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est Iesus Rex Iudæorum. Pulchre titulus, qui Christum Regem testatur, nō infra, sed supra crucem ponit, quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucē tamen regis maiestate ulgebat, quia apte etiā, quia rex simul & sacerdos est, cū eximia patri, suę carnis hostiā, in altari crucis offerret, regis quoq; qua præditus erat titulo, dignitatē prætendit, ut cunctis legere, hoc est, audire & credere uolentibus innotescat, quia suū per crucē non perdidit, sed cōfirmari potius & corroborari imperiū. Nam quod hoc nomen, Hebraicę, Gręcę & Latine scriptum erat. Ἰησοῦς ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Iesus Nazarenus Rex Iudę orū, hoc est, quod idē Apostolus subsecutus adnectit. Et omnis lingua cōfiteat, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quantum uero ad litteram, hęc tres linguę ibi præ ceteris eminebant, Hebraea, propter Iudæos in lege gloriantes, Gręca, propter gentium sapientes, Latina, propter Romanos, multis ac penę omnibus tam tunc Gentibus imperantes, Velint nolint, ergo Iudę

A ergo Iudæi, omne mundi regnum, omnis mundana sapientia, omnia diuinę legis sacramenta restantur, quia Iesus rex Iudæorum est, hoc est, imperator credentium & cōsistentium Dominū.

Tūc crucifixi sunt cū eo & duo latrones, a dextris &c. Latrones qui cum domino sunt hinc inde crucifixi, significant eos, qui sub fide & confessione Christi, uel agonem martyrij, uel continentię arctioris instituta subeunt. Sed quorū hęc pro æterna solum cęlesti sticq; gloria gerunt, hi profecto dextri latronis merito & fide designantur. At qui, uel humanę laudis intuitu, uel qualibet minus digna intentione, seculo abrenuntiant, non immerito blasphematoris & sinistri latronis mentem & actus imitant. De qualibus dicit Apostolus: Si tra didero corpus meum ut ardeam, si dederō omnes facultates meas in cibos pauperū, si alia multa fecero, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. At uero beati qui persecutionē patiuntur propter Iussum, quoniam ipsorum est regnum cęlorum.

1. Cor. 13.

Matth. 5.

Prætereunt autem blasphemabant eum, mouentes capita sua &c. Blasphemabant, quia prætergredebantur uiam, & in uero itinere scripturę ambulare uolebant, mouebant capita, quia iam ante mouerant pedes & non stabant supra petram.

Similiter & Principes sacerdotum cū scribis dicebant, &c. Etiam nolentes consentire scribæ & pharisei, quod alios saluos fecerit, itaq; uos uestra cōdemnat sententia. Qui enim alios saluos fecit, si uellet, & seipsum saluare poterat.

Descendat nunc de cruce, & credimus ei. Fraudulenta promissio, quid est plus, de cruce descendere, an de sepulchro mortuum surgere? Resurrexit & non creditis ei, etiam si de cruce descenderet, similiter non crederetis. Sed mihi uidetur hoc dæmones immittere, statim enim ut crucifixus est Dominus, senserunt uirtutem crucis, & intellexerunt fractas esse uires suas, & hoc agunt, ut de cruce descendat, sed Dominus sciens aduersariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat.

Hiero.

Et latrones qui crucifixi erant cum eo, & improperabant ei. Hic per tropum, qui appellatur ὄψλησις pro uno latrone uterq; dicitur blasphemasse. Lucas uero adserit quod altero blasphemante, alter increpauit blasphemantem, & confessus est, dicens:

B Domine memento mei cum ueneris in regnum tuum. In corde autem fidilium tres summopere manere uirtutes testatur Apostolus dicens: Nunc autem manet, Fides, Spes, Charitas, quas cunctas subita repletus gratia & accepit latro, & seruauit in cruce. Fidem nanq; habuit qui regnaturum Dominum credidit, quem secū pariter morientem uidit. Spem habuit qui regni eius aditū postulauit. Charitatē quoq; in morte sua uiuaciter tenuit, qui fratrem & cōlatronē pro simili scelere morientē, & de iniquitate sua arguit, & ei uitā q; cognouit.

1. Cor. 13.

Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris, &c. (rat predicauit.

Semper enim plus Dominus tribuit quam rogatur. Ille enim rogabat ut memor sui fuisset Dominus cum uenisset in regnum suum. Dominus autem ait: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Vita est enim, esse cū Christo, quia ubi Christus, ibi regnum. Quidam duos latrones cum Domino crucifixos, duobus baptizatorum generibus coaptant. Quicunq; enim baptizati estis in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Ambo nanq; similes crucifixi, sed unus in cruce blasphemus peior, alter est confessione martyr effectus, quia per baptismum, quo cū peccatores essemus abluimur. Alij dum Deū in carne passum, fide, spe, & charitate laudant, coronantur. Alij dum aut fidem aut opera baptismi habere renuunt, dono quod acceperunt priuantur. In duobus latronibus uterq; populus, & gentilium & Iudæorum, primū Dominum blasphemauit, postea signorum magnitudine alter exterritus egit penitentiam, & usq; hodie Iudæos increpat blasphemantes.

Beda.

Mystrum latronum.

Hiero.

A sexta autē hora tenebre factę sunt &c. Et hoc factum reor, ut compleretur propheta dices: Occumbet sol meridie. Et alio loco: Occubuit sol cū adhuc media esset dies, uel impij scelus, sol uidere non patitur, & suam in subactis radijs presentia, in qua facinus generabat, ipsa terra contremuit. Velum templi scinditur, ut que honorabiliter larebant, pro rali commisso uulgata uilicerent, & ut Iosephus refert, uoces uirtutum cęlestium, migrare de templo uolentium, seruntur auditæ. In resurrectione uero Domini, nulla fidelibus terrorum signa, sed iudicia cuncta legitime uisunt. Angeli albis uestibus coruscantes, currunt cū gaudio ad sepulchrum, ubi non mortuus inueniret, sed ubi mors agnosceretur cuiusda, appellantur mulieres uoce pacifica, & quid amplius dicā, omnia salutis æternę mytheria reuolantur. Et notandum quod

Amos. 8.

Hier. 13.

Vulga.



Gen. 7.

Dominus hora sexta sit crucifixus, hoc est, recessuro à centro mundi sole, quando & latroni ait: Hodie mecū eris in paradyso. Nam de Adam peccante scriptum est, quod audierit uocem Domini Dei post meridiem. Rationis igitur, imo diuinæ pietatis ordo poscebat, ut eodem tempore articulo, quo tunc Adæ pruaricati obcluserat, nunc latroni Dominus poenitenti ianuam paradyfi refereret. Et qua hora primus Adam, peccando huic mūdo mortem inuexerat, eadem hora secundus Adam mortem moriendo destrueret.

August.

Et circa horā nonā, clamauit Iesus uoce magna, dicens: Heli, Heli, lama sabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Sicut enim esurire & sitire & fatigari non erat propriū diuinitatis sed corporis, ita & quod dicit: Ut quid me dereliquisti, corporis uox est. Ut homo ergo loquitur, ut homo turbatur, ut homo flet ut homo crucifigit. Quod clamat tuū est, à te hoc accepit, pro te liberandū carne indutus est.

Ambro.

Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Heliā uocat iste.)

Hiero.

Non omnes, sed quidam quos arbitror milites fuisse Romanos, non intelligentes sermonis Hebraici proprietatem, sed ex eo quod dixit: Heli, Heli, putantes Heliā ab eo inuocatum. Sin autem Iudæos qui hoc dixerint intelligere uolueris, & hoc more sibi solito faciunt, ut Dominam imbecillitate infament, quia auxilium Heliæ depreceatur.

Psal. 68.

Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiā impleuit aceto, &c.) Et hæc facta sunt ut impleretur propheta: In siti mea potauerunt me aceto. Iudæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes à uino patriarcharum, & prophetarum, tanquā de pleno uase, de iniquitate mundi huius impleti, cor habentes uelut spongiā cauernosis quodammodo, atq; tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum cui circum posuerunt spongiā aceto plenā, quoniam niā herba est, humilis, & pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus, quam circumdederunt, & se circumuoluisse putauerunt. Vnde illud in Psalmo: Asperges me hyssopo & mundabor. Christi namq; humilitate mundamur, quia nisi humiliasset semetipsum factus obediens patri usq; ad mortem crucis. Nō utiq; sanguis eius in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisse effusus. Per arundinem uero, cui imposta est spongia, scripturā significatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur, uel Græca uel Latina, uel alia quælibet, sonum significans, qui lingua promitur, sic arundo dici potest litera, quod arundine scribitur.

Hyssopus herba. Dioscori des lib. 3, Plin. lib. 25, cap. 11, Psal. 51.

Ioan. 10. Beda.

Iesus autem iterum clamans uoce magna, emisit spiritum.) Diuinę potestatis indicium est, emittere spiritū, ut ipse quoque dixerat: Nemo potest tollere animā meā à me, sed ego pono eā à me ipso, ut rursum accipiam eam. Lignū aduersus lignū, & manus patenter extēduntur, aduersus manus continenter extensas, pro solutis & remissis præbentur, clausi confixę, pro his quę eiecerunt Adam, præbentur manus, quę orbem terrę complecterentur & reuocent, pro humilitate exaltatio, pro suauis & pernicioso gustu, suscipit fellis gustus, & mors pro morte mutatur, tenebrę pro tenebris, sepultura pro sepultura, resurrectio pro resurrectione, hæc omnia, cura quædam erga nos est Dei, & medicina infirmitatis nostræ.

Beda. Psal. 57.

Et ecce uelum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum.) Scindit uelum templi, ut arca testamenti, & omnia legis sacramenta, quę tegebant appareār, atq; ad populū transeant nationū. Ante etenim dictū fuerat: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum hominē eius. Nunc autē exaltare super cælos Deus, & super omnē, inquit, terrā gloria tua. Et in Euangelio prius dixit: In uia gentiū ne abieritis. Post passionē uero suam: Euntes, inquit, docete omnes gentes. Velū templi scissum est, & omnia legis sacramenta, quę prius tegebantur prodita sunt, atq; ad gentiliū populū transferunt. In Euangelio, cuius sepe facimus mentionem super liminare templi infinitæ magnitudinis, fractum est, atq; diuisum legitimus. Iosephus quoq; refert uirtutes angelicas præsidēs, quondā templi tunc pariter conclamasse, transeamus ex his sedibus. Querendū est, utri uelum tēpli scissum est, exterius, an interius. Sed mihi uidet in passioe Domini, illud uelū esse cōscissum, quod in templo foris positū fuit, & appellabat exterioris, ut significaret, quia nunc ex parte uidemus, & ex parte cognoscimus. Cū autē uenerit quod per factū est, tunc etiam uelū interius dirumpendū, ut omnia quę nunc nobis abscondita sunt, domus Dei sacramēta uideamus. Quid significant duo cherubim, quid oraculum, quid uas aureum, in quo manna reconditum fuit. Nunc enim per speculum uidemus in imagine, & cum historiæ nobis uelum scissum sit, & ingrediamur atriū Dei, tamen secreta eius, & uniuersa mysteria, quę cœlesti Hierusalem clauis retinentur, scire non possumus.

Matth. 10. Matth. ultimo Hiero. Iosephus lib. 7, belli iudæici cap. 12.

A

Et terra mota est.) Iuxta illud quod scriptum est in Aggeo: Adhuc ego semel mouebo cœlum & terram, & ueniet desideratus cunctis gentibus, ut ab oriente & occidente ueniant, & recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob.

Agg. 2.

Et petra scissæ sunt.) In signum futuræ resurrectionis, uel dura corda Gentilium, siue petrae uniuersa uaticinia Prophetarum, qui & ipsi à petra Christo cum Apostolis petrae uocabulū susceperat, ut quicquid in eis duro legis uelamine claudebatur, scissum patet & gentibus.

Matth. 23.

Et monumenta aperta sunt.) De quibus scriptum est: Vos estis sepulchra extrinsecus dealbata, quæ intrinseca sunt ossibus mortuorum, ideo sunt aperta, ut egredierentur de his, qui prius in infidelitate mortui erant, & cum resurgente Christo atq; uiuente uiuerent, & ingrederentur cœlestem Hierusalem. Porro secundum litteram, nulli uiolentum esse uideatur, mortuo Salvatore appellare Hierusalem sanctam ciuitatem, cum usq; ad destructionem eius semper Apostoli templum ingressi sunt, & ob scandalum eorum, qui de Iudæis crediderant, legis excrucerunt cæremomas, cuiusq; quadragesimum secundum annum passionis Domini datum est tempus poenitentię. Illi uero in blasphemia perseverantes, egressi sunt duo urfi de filiis, Gentium, Romanarum, & lacerauerunt interfectores eam, & ex eo tempore, non Hierusalem sancta, sed spiritualiter Aegyptus uocatur & Sodoma.

Cur Hierusalem mortuo Christo sancta ciuitas appellatur.

Et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt &c.) Qui enim resurgente Domino surrexerunt à mortuis, etiam ad cœlos ascenden te simul ascendisse credendi sunt. Neq; ulla ratione illi temeritati fides accommodanda, qui eos postea reuerfos in cinerem, ac denuo in monumentis, quæ pridem patefacta sunt ab eis, quibus paulo ante uiuū apparuerunt, more mortuorum putant quidam esse reclusos. Quomodo Lazarus mortuus resurrexit, sic & multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut Dominum ostenderent resurgentem, & tamen cum monumenta aperta sint, non ante surrexerunt, quā Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. Quādo uero dicitur: Apparuerunt multi, ostenditur non generalis fuisse resurrectio, quæ omnibus appareret, sed specialis ad plurimos, ut hi uiderent, qui cernere merebantur. Quæratur autem cur Marcus dicat: erat autem hora tertia & crucifixerunt eum, & Ioannes dicit: Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta.

Beda.

Hiero.

B

Quidam hoc scriptorum contigisse dicit errore. Sed non mihi uidetur ullam interpolationē suscipiendam scripturæ diuine, quæ ab Ecclesia toto orbe diffusa, inuiolabili traditione suscipitur. Et ne per hoc occasio deat hereticis, nō accipiendi in quibus uiolauerint diuina decreta. Nunquid per tot secula latere potuit tam summa lectio: aut non emendari falsitas irrogata? Quid ergo dicimus, nisi aut iuxta Marcum, Iudæorum uocibus, qua clamauerunt crucifige, hora tertia crucifixum, aut eadem hora iudicio mortis addictum ex sententia, uelut iam crucifixum uoluit designare. Et quomodo secundum Ioannem in cruce hora sexta suspensus, quod ex mirabilibus, quæ acciderunt magis existimo, dum ab ipsius momento temporis, sol radios suæ lucis abscondit, ne creatoris sui uideret iniuriā, Aut si hora est tertia crucifixus, non dissonant hæc Ioanni, dicenti: Erat autem parasceue hora feræ sexta. Parasceue enim præparatio interpretatur, & passio Christi quæ est uere Pasche, præparatio ante lucem facta est, dum ad Annā principem sacerdotum, nocturno adhuc tempore duceretur. Nec immerito ab illa hora noctis, qua Iesus ductus est in Annæ domum, usq; ad horam tertiam, sex horæ fuisse à Ioanne traduntur. Potuit enim fieri, ut tres peragerentur horæ nocturnæ, & à præparatione passionis Domini usq; ad horam tertiam diei. Secundum Ioannem sex horæ rectissime referuntur, non enim frustra adiecit, ut diceret. Erat enim hora parasceue feræ sexta, hoc est, præparationis. Ex eo enim cœpit passio Saluatoris, ex quo pro salute mundi ductus est iudicandus.

Vulg.

Ioan. 19.

Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, triso terrę motu & his quæ fiebant, timuerunt ualde dicentes: Vere Dei filius erat iste.) Non solus Centurio glorificauit Deum, sed & milites, qui cum eo erant custodientes Iesum. Sicut Matheus scribit uiso terræ motu, & his quæ fiebant timuerunt ualde dicentes: Vere Dei filius erat iste. Quanta ergo cæcitas Iudæorum, qui tot per Dominum uirtutibus factis, tantis in morte illius apparentibus signis credere respuerunt, & insensibiliores gentibus, Deum glorificare, uel timere contempserunt. Vnde merito per Centurionem fides Ecclesię designatur, quæ uelo mysteriorum cœlestium per mortem Domini referato, continuo Dominum Iesum, & uere iustum hominem & uere Dei filium, synagoga tacente, confirmata. Nm & ipsa summa eenteneria, quæ inflexu digitorum, sicut & supra memoratum est, de sinistra transit in dexterā,

Beda.



**C** Ecclesiæ sacramentis & fidei apertissime congruit, cui pro lege Euangelium creditum, pro terræ diuinijs, regnum est coeleste promissum.

**Psalm. 87.** Erant autem ibi mulieres multæ à longe &c.) Hoc est, quod ipse Dominus in Psalmo explicita suæ passionis seriatè patri quæritur, dicens: Elongasti à me amicum, & proximum & notos meos à miseria.

**Hiero.** Quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes.) Cõsuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua uictum atq; uestitum præceptoribus ministrarēt. Hoc quia scandalū facere poterat in nationibus, Paulus abiecisse se memorat: Numquid non habemus potestatem, sorores, mulieres circūducendi, sicut & ceteri Apostoli faciunt? Ministrabant autem Domino de substantia sua, ut meterent corū carnalia, cuius ille metebant spiritualia, non quod indigeret cibis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet Magistrorum, quod uictum atq; uestitum discipuli debent esse contenti. Sed uideamus quales comites habuerit, Maria Magdalene, à qua septem dæmonia eiecerat, Mariam Iacobi, & Ioseph matrē, mater teram suam sororem Mariæ Matris Domini, & matrem filiorum Zebedei, quæ paulo ante regnum liberis postularat, & aliās quas in cæteris Euangelijs legimus.

**1. Cor. 9.** Cum autem sero factum esset, uenit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui à Luca decurio uocatur &c.) Decurio uocatur, quod sit de ordine & officio curiæ, & curiæ administrator, qui etiam curialis à procurando munera ciuilia solet appellari. Ab Arimathia ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei. Arimathia ipsa est Ramatha, ciuitas Helcanæ & Samuhelis in Regione Iamnitica iuxta Diospolim.

**Christus à mulieribus uitæ necessaria accepit.** Hic accessit ad Pilatum & petijt corpus Iesu.) Magis quidem Ioseph istæ dignitatis ad seculum, sed maioris apud Deum meriti fuisse laudatur, ut & per iustitiæ meritum sepeliendo corpore dominico dignus foret, & per nobilitatem potentis secularis idem corpus accipere posset. Non enim quilibet ignotus ad præsidem accedere, & crucifixi corpus poterat impetrare.

**D** Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in syndone munda.) Et ex simplicis sepultura Domini, ambitio diuitum condemnatur, qui ne in sumulis quidem possunt carere diuinijs. Possimus autem iuxta intelligentiam spiritalē, & hoc sentire, quod ille in syndone munda inuoluit Iesum qui pura eum mente suscepit.

**Contra ambitionem diuitū.** Et posuit illud in monumento suo nouo.) In nouo autē ponitur monumentum, ne post resurrectionē ex cæteris corporibus surrexisse, alius fingeretur, quod bene monumentum de petra excisum fuisse memoratur. Ne si ex multis lapidibus edificatum esset, suffocis tumuli fundamentis ablati furto diceretur. Aliter solus Dominius tumulo includitur, ut specialis illius sepultura, id est, nostræ dissimilis, sicut & cætera dispensationis eius archana à nostræ naturæ fragilitate discrepauere, specialis & resurrectio designatur. Nam & uerus homo apparuit, sed ex uirgine matre conceptus & natus, & tentatus est, per omnia sedet pro similitudine absq; peccato, & mortuus est, sed quomodo ipse uoluit: & sepultus est, sed quomodo ipse uoluit: & suscitatus est, sed quando uoluit. Hoc est ergo quod ait: Singulariter sum ego donec transeam: Et alibi de singulari sepultura: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in ipse constituisti me, id est, cæterorum mortalium in fine resurrectione seruata, me singulari dono à mortuis die tertia resurgere promissisti.

**Heb. 4.** De monumento Domini ferunt, qui nostra & ætate de Hierosolymis Britannia uenerunt, quod domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intro consistens homo, uix manu extenta, culmen possit adtingere. Quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus aduolutus atq; impositus est, in cuius monumento parte aquilonali sepulchrum ipsum, hoc est, locus dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium uero palmorum mensura, cætero pauimento altius eminus. Qui, uidelicet locus, non desuper sed à latere meridiano per rotam patulus est, unde corpus inferebatur. Color autem eiusdem monumenti ac loculi rubicundo, & albo dicitur esse permixtus. Nam & sepulchrum illud uenerabilem figuram dominici habebat altaris, in quo carnis eius, ac sanguinis solent mysteria celebrari, unde regula Ecclesiastica tenet eadem mysteria, non in serico, non in panno tincto, sed in saris syndonis, quo eum Ioseph inuoluit in lintheo puro debere consecrari. Vt sicut ipse ueram terrenæ mortalitatis naturæ substantiam pro nobis morti obtulit, ita & nos in commemoratiōe eiusdem tremendi & uenerabilis sacramenti, purum de terræ germine candidumq; & multis modis

**Zmaragdus in Britannia uixit.**

**A** modis, quasi mortificationum genere castigatum altari linum imponamus. Quod autem ait: Aduoluit saxum magnum ad hostium monumentum uelamen significat, quod in lectione Veteris Testamenti manet. Lex enim in lapide scripta est, cuius ablato regmine, secreta sacramentorum reuelantur.

Erant autē ibi Maria Magdalene & altera Maria sedentes cōtra sepulchrum.) Cæteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseverant, expectantes quod promiserat Iesus, & ideo meruerunt primæ uidere resurgentem. Quoniam qui perseverauerit usq; in finem hic saluus erit.

Altera autem die, quæ est post parasceuen, & rel.) Parasceue preparatio interpretatur, quo nomine Iudæi, qui inter Græcos conuersabantur sextam sabbati, quæ nunc à nobis sexta feria uocatur appellabant. Quod eo uidelicet die, quæ in sabbato fore necessaria prepararent, iuxta quod de manna quondam erat præceptum. Sexta autem die colligeris dupli &c. Qui uero inter Romanos uitam ducunt Iudæi, usitatus eum Latine cenā puram cognominat. Quia ergo sexta die homo factus, & tota mundi creatura perfecta, septima autem conditor, ab opere suo requiescit. Vnde & hanc sabbatum, id est, requiem uocari præcepit. Recte Dominus eadem die sexta crucifixus, humanæ reparatiōis impleuit archam, unde cum accepisset acetum dixit, consummatum est, id est, sexti diei, quod pro mundi refectione suscepit, totum est opus perfectum. Sabbato autem in sepulchro requiescens resurrectionis, quæ octaua die uentura est, expectabat euentum, ubi simul nostræ deuotionis præluet exemplum, quos in hac quidem sexta mundi ætate pro Domino pati, & uelut mundo crucifigi necesse est. In septima uero ætate, hoc est, cum loci quis debitu soluit, corpora quidem in tumulis, animas autē secreta in pace cū Domino manere. Et post bona oportet opera quiescere, donec octaua tandem ueniente ætate, etiā corpora ipsa resurrectione glorificentur, cū animabus simul in corruptione æternæ hereditatis accipiant. Vnde pulchre septima dies in Genesi uesperam habuisse non legitur, quia requies animarū, quæ in illo seculo nunc est, nō ullo consummenda mærore, sed pleniori gaudio futuræ est resurrectionis adaugenda. In Luca legimus: Quia stabant omnes noti eius à longe, & mulieres quæ secutæ erant eum. His ergo notis Iesu, post depositum eius corpus, ad sua remeantibus, solæ mulieres, quæ arctius amabant, funus subsequunt, quomodo poneretur inspicere curabant, ut ei tempore congruo munus possent deuotionis offerre. Sed & hæc uenerunt sanctæ mulieres die parasceue, id est, preparationis idem faciunt, cum animæ humiliss, & quo maioris sibi cōscie fragilitatis, eo maiori saluatoris amore feruentes passionis, eius uestigijs in hoc seculo, quo requies est, preparanda futura diligenter obsequuntur. Et si forte ualeant imitari pia curiositate, quo ordine sit eadem passio cōpleta perpendūt. In Euangelio quidem Marci scriptum est:

**B** Et reuertentes parauerunt Aromata & unguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.) Mandatum erat ut sabbati silentium à uespera usq; ad uesperam seruaretur, & ideo religiosæ mulieres sepulto Domino, quā diu licebat operari, id est, usq; ad solis occasum in ungentis preparandis erant occupatæ, quod non solum in die parasceue egerant, uerum transacto sabbato, id est, sole occidente, mox ut operandi licentia remeabat emerunt Aromata, ut mane uenientes ungerent corpus eius, sicut Marcus Euangelista testatur. Neq; enim uespere sabbati, præoccupante iam noctis articulo, monumentum adire ualuerunt. Insecta autē Domini sepultura, reuertentes parāt Aromata & unguenta, qui lecta, audita, recordata passione dominica, mox ad patranda se opera uirtutū, quibus Christus delectatur, cōuertunt. Et sabbato quidem paratis Aromatibus silent, uenturæ post sabbatum cum muneribus ad Dominū, cū finita presentis uitæ parasceue, beata in requie gaudentes expectāt, quā do tempore resurrectionis apparente, redolentibus Christo spiritualium actionum, quasi aromatis uocantur. Maria Magdalene, Mariam pleriq; putant interpretari. Illuminant me isti uel illuminarix. Magdalu tarris interpretatur. Significat hæc Maria sanctam Ecclesiam ex Gentibus congregatam, Altera Maria significat primitiuam Ecclesiam ex populo Iudæorum electam.

Conuenerunt Principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc uiuens, post tres dies resurgam, iube ergo custodi sepulchrum &c.) Nō suffecerat Principibus sacerdotū & scribis ac Pharisæis crucifixisse Dominū saluatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidē, & quantum in illis est, manū opponerent resurgenti, ut diligenti

*Magdalene*

*Exod. 16. Iudæi inter Romanos.*

*Gal. 3.*

*Mat. 13.*

*Maria typus Ecclesie.*

**C**ogitatio eorum nostrae fidei proficeret. Quanto enim amplius seruatur, tanto magis resurrectio nis uirtus ostenditur. Vnde & monumento nouo, quod excisum fuerat in petra, conditus est, nisi ex multis lapidibus edificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur. Quod autem in sepulchro ponendus esset, Prophetae testimonium est dicentis: Hic habitabit in excelsa spelunca petrae fortissime, statimque post duos uersiculos sequitur: Regem cum gloria uidebitis. Paulisper de ministratoribus persecutionis Christi, quid actum sit, uideamus. Primus Herodes, sub quo passi sunt infantes, hunc sine hahuit: Lento igni extrinsecus urebatur, intrinsecus autem uasto incendio cremebatur, omne corpus putridum gestabaturque corruptum, inerat febris maxima, prurigo intollerabilis, colli dolor immensus, pedum tumor extensus, uerenda putrida, inerat illi & inflatio putida, postquam oleo est litus, soluti sunt oculi eius, & desperatus omnes primarios & nobiles plebis ad se iuber colligi, & in loco uno recludi, & ait Sorori suae: Noui Iudaeos de mea morte gauisuros, sed ut habeam lugentes cum spiritum exhalauero, omnes interfice. Igitur sex filijs suis a se necatis, cutellum petijt, ut pomum, more solito, purgaret, & eleuauit in se ipse dextram suam, & ita obiit. Post hunc filius eius Herodes, sub quo passus est Dominus, eo quod non dedisset gloriam Deo, subito ab angelo Domini percussus est, & incredibili uentris inflatione distentus, continuis quinque diebus, quinquagesimo quarto aetatis sue anno, regni uero septimo, obiit. Pilatus uero ita malorum tradibus cruciatus est, ut propria se manu transiberaret. Quanta uero accesserint Iudaeis per quadraginta annos usque ad uindictam crucis enumerare perlongum est. Quod a Pilato Caesaris imago nocte in templo posita est, quae Pasche sollempnitate perturbatione facta, triginta milia ex eis caesa sunt: Quod inruente fame, mulier unicum filium suum comederit. Multa & alia signa demonstrabantur super eos. Nam fulgebant stella gladio similis per totum annum super Hierusalem. Quadam die uirtula sacrificijs admota enixa est agna. Quadam nocte ianua sanctuarij seris ferreis munita, quae uix uiginti uiris clauderetur, ipse aperita est. Quadam die uisi sunt currus & equites per aerem ferri. Quadam die Pentecostes sacerdotes audiebant motus in templo, & uoces dicentium: Transmigremus ex his sedibus. Quadam festiuitatis die, quidam Ananij filius mente commotus clamabat: Vox ab oriente, uox ab occidente, uox a quatuor uentis. Qui uerberatus magis ac magis clamabat. In oblatione autem Romanorum occisus undecies centena milia referuntur. Ad distrahendum uero traditi centum milia dicuntur: Rectum igitur fuit, ut qui patrem & filium despexerant, a filio & patre, id est, Tito & Vespasiano dederentur: & qui in solemnitate Pasche Dominum crucifixerunt, in eadem solemnitate ab hostibus conclusi perirent.

DOMINICA IN PALMIS EPIST.

beati Pauli Apostoli ad Philippenfes. Cap. II.



**M**oc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium terrestrium & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.

**H**oc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu. Hoc loco Apostolus humilitatem tenere nos docet, & exemplum Domini nostri Iesu Christi ponens, qui cum sit in una eademque substantia deitatis, unus cum patre, potentiae suae fortitudine, & maiestate abscondita, formam serui, id est, assumpti hominis accepit. Si enim ille Dominus & Magister, seruis & discipulis ministravit, quanto magis nos aequalibus & maioribus seruire debemus.

Io. Chry.

**Q**ui cum in forma Dei esset. Per hoc enim quod dixit. Qui cum in forma Dei esset, uerbi substantiam in natura Dei esse ostendit, per hoc autem, quod dixit: Formam serui accepit, natura hominis & non substantiae suae, siue personae unum esse uerbum significauit. Nec enim dixit, quod eum qui in forma serui erat, accepit, ne antepiasmato homini unicum esse Deum uerbum ostenderet.

Non

**A** Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Non rapina usurpauit quod naturaliter possidebat.

Cum igitur Apostolus, de unigenito Dei filio loqueretur, quantum pertinet ad diuinitatem eius, secundum id, quod uerissime Deus est, aequalem eum esse dixit patri, quod non ei fuit tanquam rapina, id est, quasi alienum adperere, sed quasi proprium possidere.

**S**ed semetipsum exinaniuit. Exinaniuitio autem est, Deo uerbo eorum, quae humana sunt, aut propter unitatem ad carnem, quae dispensatiue facta est. Exinaniuit, non formam suam mutans, sed formam serui accipiens, neque conuersus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed tanquam uerum hominem suscipiendo, ipse susceptor. In similitudine hominum factus, non sibi, sed eis, quibus in homine apparuit. Dei filius Deo patri natura aequalis, habitu minor, in forma enim serui quam accepit, minor est patre, in forma autem Dei, in qua erat etiam, antequam hanc accepisset, aequalis est patri. Ergo quia forma Dei, accepit formam serui, ut utique Deus, ut utique homo. Sed ut utique Deus, propter accipientem Deum, ut utique autem homo, propter accipientem hominem. Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conuersum atque mutatum est, nec diuinitas quippe in creaturam mutata est, ut desisteret esse diuinitas, nec creatura in diuinitatem, ut desisteret esse creatura.

**E**t habitu inuentus ut homo. Nomen habitus dicitur, ab illo uerbo, quod est habere. Ergo in illa dicitur habitus, quae nobis ut habeatur accidit. Multis enim modis habitum dicitur, uel animi, sicuti est, disciplinae perceptio usu roborata, uel corporis, sicuti est alius alio succulentior: uel membrum accommodatur, ut dicimus, uestitum, calciam, armatum, & si quid huiusmodi est. Veruntamen hoc inter est, quod quaedam eorum quae accidunt nobis, ut habitum faciant, non mutantur a nobis, sed ipsa nos mutant in semetipsa, sicuti sapientia cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quaedam uero sic accidunt, ut & mutantur, & mutantur, sicuti cibum & ipse amittens speciem suam, in corpus nostrum uertitur, & nos relecti in robur mutamur. Tertium genus est, cum ipsa quae accedunt mutantur, ut habitum faciant, & quodammodo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicuti est uestis, nam profecta, non habet eam formam, quam cum induitur, induta ergo accipit formam quam non habebat exuta. Quod est ergo: habitu inuentus ut homo, nisi habendo hominem, inuentus ut homo est: non enim chim poterat inuenti ut homo, ab his qui cor immundum habebant, & uerbum apud patrem uidere non poterant, nisi suscipiendo hoc quod possent uidere, & per quod ad illud lumen interius ducerentur. Iste autem habitus non est, ex primo illo gerere, de quo superior diximus, non enim manens in se natura hominis, natura Dei commutauit. Neque ex secundo, non enim immutabit homo Deum, & mutatus ab illo est, sed potius ex tertio est habitus, sicut enim assumptus est, ut commutaretur ineffabiliter & excellentius atque consuetius quam uestis ab homine, cum induitur. Hoc ergo nomine, habitus factus significauit Apostolus, quemadmodum dixerit in similitudinem hominum factus, qui non transfigurationem in hominem, sed habitu factus est, cum induitus est homine, quem sibi ueniens quodammodo atque confirmans immortali aeternitati sociare.

**H**umiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem &c. Hic nobis perfectae obedientiae monstrat exemplum, nulla enim potest mors deterior esse morte crucis.

**P**ropter quod & Deus exaltauit illum. Locus iste, secundum humanam naturam potius intelligendus est, quam diuinam. Natura enim humana humiliari et exaltari potuit, non diuina. Si ergo & nos exaltari cupimus, Deo ac sanctis eius usque ad mortem obedire etiam debemus. Magistru humilem superbi discipuli non sequamur, nec Dominum miti serui contemnamus ingrati, nec indigni sit nobis quilibet prebere ministerium, cum ille Dominus obsequiis sit seruis.

**E**t donauit illi nomen &c. Quomodo accepit ut adorari potuisset largitor omnium caelestium munerum, quem non solum patriarchas & prophetas, uerum etiam angelos & potestates, Cherubin & Seraphin, diuini testimonijs adorasse cognoscimus. Aut quomodo dicitur exaltatus, qui magis per adsumptam humiliatus dicitur carne. Verum si attendas, quod uerbum caro factum est, non eum miraberis exaltatum referri, aut nomen predicabile suscepisse. In ipso enim humana cognoscit exaltata natura, tu in ipsius, homo, susceptione carnis promeruit nominis dignitatem. Hec enim de eo dicuntur, ex quo uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Preter hoc quod tanquam in templo in illo corpore habitat omnis plenitudo diuinitatis, est aliud quod interfit inter illud caput & quibuslibet membri excellentiam. Est plane quod singulari quadam susceptione hominis illius, una facta est persona cum uerbo. De nullo enim sanctorum

August.

Io. Chry.

August.

Exinaniuitio uerbi Dei.

August.

Differencia cae  
pus et membra  
brorum

**C** dici potuit aut potest, aut poterit, uerbum caro factum est. Nullus sanctorum qualibet presentia gratia, unigeniti Dei nomen accepit, ut quod est ipsi Dei uerbum ante secula, hoc simul et assum pro homine diceret. Singularis est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientie sanctitate presentibus, ullo modo potest esse communis.

**Vt in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium &c.)**

Ideo pro omnibus passus & mortuus est, ut omnis creatura in nomine eius precem fundat, caelestium commorantium in caelo, terrestrium uiuentium in terra, & infernorum, siue hominum mortuorum, siue, ut aliqui uolunt, de custodibus dicit infernorum.

**Et omnis lingua cōfiteatur &c.)** Id est, omnium & diuersarum gentium lingua, hoc est, in natura & gloria deitatis, dum eiusdem est gloria, cuius est pater.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XIII.



**N**te diem festum Paschae sciens Iesus, quia uenit hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad patrem. Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cena facta cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Ischariotis. Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad eum uadit. Surgit a cena & ponit uestimenta sua, & cum accepisset linteam praecinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat praecinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus, & uos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quis nam esset qui traderet eum. Propterea dixit, non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit uestimenta sua, & cum recubuisset iterum dixit eis. Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magister & Domine, & benedicitis. Sum etenim: Si ergo ego laui pedes uestros, dominus & magister, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.

## DIVI AVGVSTINI DICTA DE CAENA DOMINI.

**P**ascha **ἡσχα** Hebraeum nomen est, non Graecum. Opportunissime tamen occurrit in hoc nomine quaedam congruentia utrarumque linguarum. Qui enim **πάσχα** Graecis, Latine pascha dicitur. Ideo pascha passio putata est, uelut hoc nomen a passione ita appellatum est. In sua uero lingua, hoc est, in Hebraea pascha transiens dicitur. Hoc itaque nomen interpretans nobis beatus Euangelista, ante diem festum, inquit, paschae, sciens Iesus, quia uenit hora, ut transiret ex hoc mundo ad patrem. Ecce pascha, ecce transitus: Unde & quod de hoc felicitet mundo ad patrem, spes membris in capite est data, quod essent illud transeunte sine dubio secutura.

**Cum dilexisset suos qui erant in mundo &c.)** Quid est enim in finem dilexit eos, nisi in Christum? In enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Aliter, in finem dilexit, usque ad mortem dilexit, id est, usque ad mortem illum dilectio illa perduxit, quia tantum dilexit suos, ut moreretur propter eos.

**Et cena facta cum diabolus misisset.)** Cena ergo facta, dictum est, iam parata, & ad conuiuantium mensam usque perducta, non transacta neque finita. Si queris, quid miserit diabolus in cor Iudae, hoc utique, ut traderet eum. Missio ista non fit per aurem, sed per cogitationem. Italis uenerat ad conuiuium exploratur pastoris, insidiator saluatoris, uenditor redemptoris.

Sciens

**A** Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum uadit &c.) Si omnia dedit ei pater in manus, ergo & ipsum traditorem. Nam si ipsum in manibus non haberet, non utique illo, uteretur ut uellet. Proinde traditor traditus erat ei quem tradere cupiebat. Atque ita malum tradendo faciebat, ut de tradito bonum fieret, quod nesciebat. Sciebat enim Dominus, quid faceret pro amicis, ac sic omnia dederat pater in manus eius, & in usu mala, & in effectu bona.

**Surgit a cena & ponit uestimenta sua &c.)** Cum ergo illi Deus pater omnia dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lauit. Et cum se sciret a Deo esse & pergere ad Deum, non Dei Domini, sed hominis serui impleuit officium, nec illius dedit gnatu est pedes lauare, cuius manus iam prauidebat in scelere crucifigendus. Stans expoliatus est uestimentis, & mortuus est, inuolutus est linteis, expoliatus est, & tota illa eius passio nostra Passio Christi purgatio est. Tanta est quippe humanae utilitati humilitas, ut eam commendaret suo exemplo, etiam diuinitatis sublimitas. Quid est: uenit ergo ad Simonem Petrum quasi aliquibus iam lauasset, non ita intelligendum est, quod post aliquos ad illum uenerit, sed quod ab illo coeperit.

**Qui lotus est, non habet opus, nisi pedes lauare, sed est mundus totus &c.)**

Utique mundus totus praeter pedes. Homo quidem in sancto baptismo totus abluitur, non praeter pedes, sed totus omnino. Verum tamen cum in rebus humanis postea uiuitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non uiuitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, hoc ipse Euangelista patefecit: Sciebat enim, inquit, quis nam esset qui traderet eum: Vos, inquit, uocatis me magister & Domine, bene dicitis, sum etenim, ideo bene dicitis, quia sum.

**Si ego laui pedes uestros, Dominus & magister, & reliqua.)** Discimus enim fratres, humilitatem ab excelso, faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelsus. Nec dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Nam quod dicit: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis, ostendit nobis, ut si quis aduersus aliquem habet quærelam, sicut Dominus donauit nobis, ita & nos inuicem. Itaque nobis delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus. Atque ita quodammodo inuicem pedes nostros lauemus. Nostrum est, donante ipso, ministerium charitatis & humilitatis adhibere, illius est, exaudire, ac nos ab omni peccatorum contaminatione mundare per Christum & in Christo, ut quod alijs etiam remittimus, hoc est, in terra soluiumus, soluat in caelo.

**Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, & reliqua.)**

Hoc ideo dixit, quia lauerat discipulorum pedes magister humilitatis, & uerbo & exemplo.

**ZMARAGDVVS HIC PLVS HABET QVAM EVANGELIVM** in cena Domini in se completitur, nam aureum illum, & suauissimum Christi sermonem, quem Euangelista Ioannes habet cap. 13. 14. 15. 16. 17. ceu cygneam cantionem qua Christus suis ualedicit, subnectit, & mira, sed clara breuitate ex Orthodoxis patribus exponit.

**Non de omnibus uobis dico, ego scio quos elegerim.)** Quos nisi eos, qui beati erunt, faciendo quae praecipit. Non est ex eis iste, qui panem illius sic edebat, ut super eum leuaret calcaneum. Illi manducabant panem Domini, ille panem Domini contra Dominum: illi uitam, ille poenam. Ammodo, inquit, dico uobis, priusquam fiat, ut credatis eum factum suum erit, quia ego sum. Id est, ego sum ille de quo scriptura precessit, ubi dictum est: Qui manducatur panem meum, leuabit super me calcaneum. Deinde sequitur & dicit:

**Amē amen dico uobis, qui accipit eum, si quem misero, me accipit.)** Id est, secundum hominem. Qui autem me accipit, accipit eum qui misit me, id est qui accipit me secundum Deum accipit eum qui me misit. Sic namque unusquisque eum qui est missus accipiat, ut in illo eum qui misit adredat. Si enim adredas Christum in Petro, inuenies discipuli praepreorē. Si autem adredas patrem in filio, inuenies unigeniti genitorē. Ac sic i eo qui missus est, sine ullo errore accipimus mitratē.

**Cum haec dixisset Iesus, turbatus est spiritu.)** Quid est ergo, quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est, in sua Ecclesia, suae infirmitatis uoluntaria similitudine consolatus est. Quando turbat, qui non turbaret nisi uolens eum consolari qui turbat & nolet.

**Aspicebant ergo ad inuicem discipuli, hesitantes de quo diceret & reli.)**

Sic quippe

**C** Sic quippe in eis erat erga magistrum suum pia charitas, ut tamen eos humana alterum de altero stimularer infirmitas. Nota quidem sibi erat cuiusque conscientia, uerum tamen, quia proximi erat ignota, ita sibi singulis quisque certus erat, ut incerti essent, & cæteris singuli, & singulis cæteri. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu. Qui dixit in sinu, paulo post ait, super pectus, ipse est Iohannes, cuius est hoc Euangelium. Itaque cum recubisset ait ille, supra pectus Iesu, hic est utique pectoris sinus sapientiae secretum, dicit ei: Domine quis est? Respondit Iesus: Ille est cui in quantum panem perrexero, cum intinxisset panem, dedit Iudæ, post panem introiuit in illum Satanas. Expressus est traditor nudata, sunt latebræ tenebrarum. Bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia male bonum malus accepit. Quid erat autem panis traditori datus, nisi demonstratio cui gratiæ fuisset ingratus? Intrauit ergo homini ingrato panis in uentre, hostis in mente. Et dicit ei Iesus, quod facis fac cicius. Non præcepit facinus, sed prædixit Iudæ malum, nobis bonum, non tam in perniciem perfidii sequendo, quam ad salutem fidelium festinando, ille agebat negotium suæ uenditionis, iste nostræ redemptionis.

*Christus loci  
lus habet.*  
Hæc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei, quidam enim putabant, quod oculos habebat &c.) Habet ergo & Dominus oculos, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Tunc quidem primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus, quod præcepit, non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ seruarietur à sanctis, sed ne Deo pro ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur. Nam cum accepisset ille buccellam, exijt continuo, erat nox. Cum ergo exiret, mox ait Iesus:

**Nunc clarificatus est filius hominis.**) Dies ergo diei eructauit uerbum, id est, Christus discipulis fidelibus, ut audirent eum & amarent sequendo. Et nox nocti adnunciavit scientiam, id est, Iudas Iudæis infidelibus, ut uenirent ad eum & apprehenderent persequendo.

**D** Nunc, inquit, clarificatus est filius hominis.) Video hic aliquid quod præfiguret magnum. Exijt Iudas, & clarificatus est Iesus: Exijt filius perditionis, & clarificatus est filius hominis. Ille quippe exierat, propter quem dictum eis erat, & uos mudi estis, sed non omnes. Exeunte itaque immundo, omnes mundi remanserunt, & cum suo mundatore manserunt. Tale aliquid erit, cum uictus à Christo transferit hic mundus, & nemo in populo Christi remanebit immundus, sed sicut sol fulgebunt in regno patri sui: Et Deus, inquit, clarificatus est in eo. Ipsa enim clarificatio est filij hominis, ut Deus clarificetur in eo. Et continuo, inquit, clarificauit eum, resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine seculi, sed continuo futuram hæc adtestatione prædicens.

*Acto. 1.*  
**Filioli adhuc modicum uobiscum sum.**) Ne putarent ergo, quod sic eum clarificaturus esset Deus, ut non eis coniungeretur ulterius ea conuersatione qua in terra est: Adhuc, inquit, modicum uobiscum sum, tanquam diceret, continuo quidem resurrectione clarificabor, non tamen continuo ascensus in cælum, sed adhuc modicum uobiscum sum, sicut enim scriptum est in actibus Apostolorum, fecit cum eis post resurrectionem quadraginta dies, intrans & exiens, manducans & bibens, non quidem habens esuriendi ac sitiendi egestatem, sed usque ad ista carnis insinuans ueritatem, quæ cibandi ac potandi iam non habebat necessitatem, sed potestatem. Hos ergo quadraginta dies significauit dicendo: Adhuc modicum uobiscum sum, aliud aliquid: Potest enim & sic intelligi, adhuc modicum uobiscum sum. Adhuc sicut uos in hac infirmitate carnis etiam ipse sum, donec scilicet moreretur, atque resurgeret, quia postea quæ resurrexit, cum illis quidem fuit diebus, ut dictum est quadraginta, exhibitione corporalis presentia, sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ.

**Queritis me, & sicut dixi Iudæis, quod ego uado, uos non potestis uenire, & uobis dico modo.**) Hoc est, modo non potestis. Isti itaque non poterant uenire tunc quod ille ibat, sed poterant postea. Non igitur adhuc minus idonei erant sequi Dominum, eo quod docens, quomodo idonei esse possent pergere, quod ille antecederat: Mandatum, inquit, nouum do uobis, ut diligatis in uicem, sicut dilexi uos, hi sunt gressus quibus sequendus est Christus. Dilectio ista nos innouat, ut simus homines noui, hæredes testamenti, noui cantatores cantici noui.

**Dicit ei Simon Petrus, Domine quod tradis &c.)** Sicutique hoc dixit magistro discipulus, & Domino seruus, tanquam sequi paratus, propterea quippe Dominus, qui eius animum

**A** animum uidit, quare hoc interrogauerit, sic ei respondit: Quod ego uado non potes me sequi modo. Quid festinas Petre? Nondum te suo spiritu solidauit petra, noli extolli presumendo, non potes modo, noli dei desperando, sequeris postea. Et Petrus: Quare te non possum sequi modo? animam meam pro te ponam. Et Dominus: Amen amen dico tibi, non cantabit gallus do nec ter me neges. Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te paruulum negas, qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis uitam tuam.

**Non turbetur cor uestrum, credite in Deum &c.)** Ne mortem tanquam homines timerent, & ideo turbarentur, consolatur eos, etiam Deum se esse contestans. Mortem metuistis huic formæ serui, non turbet cor uestrum, suscitabit illam forma Dei. Sed quid est quod sequitur: In domo patris mei mansiones multe sunt: nisi quia & sibi metuebant, tanquam essent ab illo perituri, merito turbabant. Sed cū audiunt: In domo patris mei mansiones multe sunt, si quominus dixissem uobis, quia uado uobis parare locum. A perturbatione recreantur, certi accedentes, & iam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros, quia & si alius est alio fortior, aut alius alio sapientior, aut alius alio iustior, aut alius alio sanctior, in domo patris mei multe mansiones sunt. Vbi mansionem pro suo quisque accepturus est merito, atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quod habet singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cū amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua inuidia ipsius claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Quomodo uadit & parat locum, si iam multe mansiones sunt? An istæ mansiones & sunt & parando sunt. Parat autem modo mansiones mansionibus, parando mansores, quas præparauit prædestinando, præparat operando, nec alias, sed quas præparauit, has præparat. Sed quia nondum sunt in operatione. Et si abiero, inquit, & præparauero uobis locum, iterum uenio & accipia uos ad me metipsum. Quid putauimus esse domum Dei, nisi templum Dei? Templum enim Dei sanctum est, inquit, Apostolus, quod estis uos. Quid est: Quod uadis Domine? Quid est: Quod uenis? Si bene te intelligo, nec unde uadis, nec unde uenis recedis, uadis latèdo, uenis apparendo, sed si maneat regedo, ut proficiamus bene uiuendo. Quomodo parabit locus ubi possimus manere perfruendo? Nā quod dicit: Quod ego uado, uos scitis, & uia scitis, in subsequentibus aperit cū dicit: Ego sum

**Nemo uenit ad patrem &c.)** Ibat ergo ad seipsum per seipsum (uia ueritas & uita, & nos imus ad ipsum per ipsum, imo uero & ad patrem. Aliud quippe uerbum Dei est, aliud homo, sed uerbum caro factum est, id est, homo non, itaque alia uerbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque est Christus una persona. Ac per hoc quæ admodum caro mortua est, Christus est mortuus, & cum caro sepulta est, Christus sepultus est, sic enim corde credimus ad iustitiam, sic ore profite-mur ad salutem. Ita cum caro à morte uenit ad uitam, Christus uenit ad uitam. Et quia uerbum Dei Christus est, Christus est uita. Ita miro quodam & ineffabili modo, qui nunquam dimisit uel amissit seipsum, uenit ad seipsum.

**Si cognouissetis me, &c.)** Hoc est quod ait: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Dicta est enim omnimoda similitudo, quæ illi cū patre est, ut ideo a modo dicerent nosse patrem, quia nouerant similem filium. Sic ergo dictum est ad Philippum: Qui uidet me, uidet et patrem, non ut ipse sit pater, qui filius, sed quod à patris similitudine in nullo prorsus discreper filius. Ac si diceret, si me uidisti, qui omnimodo ei similis sum, uidisti illum cui similis sum. Sequitur.

**Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, &c.)**

**Maiora quæ ipse facit dixit eos esse facturos, sed in eis, uel per eos se facientem, in ipsis tanquam semetipsis.** Sed quæ sunt tandem ista maiora: an forte quod egros, ipsis transeuntibus, etiam eorum umbra sanabat. Maius est enim ut sanet umbra quam simbrina, illud per se, hoc per ipsos, sed utrumque ipse, uerum tamen quando ista dicebat, uerborum suorum opera commendabat. Audiebant & credebant illi, & eorumdem uerborum fructus erat fides illorum. Verum tamen Euangelizantibus discipulis gentes etiam crediderunt. Hæc sunt sine dubitatione maiora. Nec tamen ait: Maiora horum facietis, ut solos Apostolos ea putaremus esse facturos. Sed qui credit in me, inquit: Ita ne quicquam credit in Christum, facit quæ Christus. Nā inter cætera bona, etiam hoc eis donare dignatus est, ut maiora faceret per illos quam præter illos. Nonne ab ore ipsius diues ille tristis abscellit, quando uirgæ eterne consilium quesuit, & tamen postea, quod ab illo auditu non fecit unus, fecerunt multi, cum loqueret per discipulos magister bonus. Ecce maiora fecit, predicatus à credentibus, quam locutus audientibus. Tunc autem uerba eius erant opera eius. Et utique minus est uerba iustitiam predicare, quod fecit propter nos, quam impios iustificare, quod ita fecit in nobis, ut faciamus & nos.

m Et quod

*Christus testatur se Deum in solatium discipulorum.*

*Si mansiones multe, quomodo Christus uadit parare locum.*

*Ioan. 4.*

Et quodcumq; petieritis in nomine meo hoc faciam & reliqua.)

C Magna spem Dominus suis promisit orantibus, dicens: Quodcumq; petieritis in nomine meo, hoc faciam. Ipsum enim quodcumq; non ait petieritis utcumq;, sed in nomine meo, Iesus enim inter preta saluator, quapropter quando uolumus ut faciat quodcumq; petimus, non utcumq;, sed in nomine saluatoris petamus. Non ergo contra salutem nostram petamus. Sic ergo perrexit ad patrem, ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes.

In more Chrysostomi si petere.

Si diligitis me mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, &c.)

Hic est utiq; in trinitate spiritus sanctus, quem pater & filio consubstantialem & coeternum fides catholica constituitur. Iam itaq; habebant spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, nec tamen adhuc eum habebant, sicut eum Dominus promittebat, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius: habebant occulte, accepturi fuerant manifeste. Quia & hoc ad maius donum sancti spiritus pertinebat, ut eis innotesceret quod habebant. Quod uero ait: Rogabo patrem, & alium paraclatum dabit uobis, ostendit & se ipsum esse paraclatum. παρακλητος enim Græce, Latine dicitur aduocatus, & dictum est de Christo: Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Vos autem, inquit, cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit, ne putarent ita apud eos esse, ut hospiti expofuit, quid dixerit, apud uos, cum adiunxit & dixit, in uobis. Datur quippe ut sit & in uobis. Sed uideri & scribi, quemadmodum uidentis & sciendus est, non potest a nobis, si non sit in nobis.

10all. 2.

Non relinquam uos orphanos, &c.) Post promissionem spiritus sancti, ne quis putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerat, uelut pro se ipso, ut non ut ipse cum eis esset futurus, adiecit: Non relinquam uos orphanos. Quamuis ergo nos filius Dei fui patri adoptauerit filios, & eundem patrem nos uoluerit habere per gratiam, qui eius pater est, per naturam tamē etiam ipse erga nos paternum quodammodo demonstrat affectum, cum dicit: Non relinquam uos orphanos. Deinde sequitur: Adhuc modicum & mundus me iam non uidet, uos autē uidetis me, quia ego uiuo & uos uiuetis. Quid est hoc quod de presenti se dixit uiuere: illos autem de futuro esse uicturos? Nisi quia uita etiam carnis utiq; resurgens, qualis in ipso precedebat, & illis est pollicitus securitatem. Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in fine seculi uenturam, duobus uerbis presentis temporis & futuri, eleganter, breuiterq; promissit: Sed quoniam post resurrectionem, etiam ipsam carnem suam, quam non solum uidentem, uerū etiam contrahendam demonstrauit, suis uoluit demonstrare, non suis subtrahere, & hoc est fortasse, adhuc modicum & mundus me iam non uidet, uos autem uidetis me.

Duae resurrectiones pollicetur.

In illo die, inquit, uos cognoscetis, quia ego sum in patre meo &c.) In quo

Qui uere diligit Christum.

die, nisi de quo ait: Et uos uiuetis, tunc enim erit ut possimus uidere quod credimus, nam et nunc est in nobis, & nos in illo. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me, qui habet in memoria & seruat in uita: qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: qui habet audiendo, & seruat faciendo, ipse est, inquit, qui diligit me, & ego diligam eum, & manifestabo ei me. Diligam & manifestabo, id est, ad hoc diligam ut manifestem. Quid est diligam? tanquam tunc dilecturus sit, & nunc non diligit, absit. Nunc enim ad hoc diligit, ut credamus & mandata fidei tenemus, tunc ad hoc diligit, ut uideamus, & ipsam uisionem mercedem fidei capiamus.

Credere & mandata fidei tenere.

Uideri & uisionis mercedem fidei capere.

Respondit Iesus, & dixit eis: Si quis diligit me, sermonem meum seruat, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus &c.) Sic inseparabiliter operantur pater & filius, sic & inseparabiliter diligunt. Ecce facit in sanctis, cum patre & filio, sanctus etiam spiritus mansionem intus utiq; tanquam Deus in templo suo. Deus trinitas, pater et filius & spiritus sanctus ueniunt ad uos, dum uenimus ad eos. Veniunt subueniendo, uenimus obediendo: ueniunt illuminando, uenimus intendo, ueniunt implendo, uenimus capiendo, ut sit nobis eorum non extraria uisio, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed eterna. Sequitur: Et sermonem quem audistis, non est meus, sed est patris. Recte igitur auctori tribuit, quicquid uidet equalis, a quo habet hoc ipsum, quod illi est indifferenter equalis. Non mirerur, non paucaemus, non est minor patre, sed non est, nisi a patre, non utiq; suum, sed patris est uerbum, quomodo nec sua imago sed patris, nec suus filius sed patris, sed patris.

Poenitentia Corporalis Christi.

Hæc loquutus sum uobis apud uos manens, & reliqua.) Apud uos manens, utiq; presentia corporali, qua cum illis uisibilis loquebatur: Paracletus autem, inquit, spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia. Nam quando, uel quæ spiritus sanctus docet: trinitas ipsa docet, sed quoniam trinitas est, oportebat eius singulas, in sinu

are perso-

are personas, omnes igitur & dicit & docet trinitas, sed nisi etiam singillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere utcumq; possit infirmitas. Trinitas omnes docet.

A Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis.) Hoc est quod legimus apud prophetam: Pacem super pacem. Pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine uenturus, pacem nobis relinquit in hoc seculo, pacem suam nobis dabit in futuro seculo. Pacem nobis relinquit, in qua manentes hostem uincimus, pacem suam nobis dabit, quare sine hoste regnabimus, pacem relinquit nobis, ut etiam hic inuicem diligamus, in illo tamen, atq; ab illo est nobis pax, ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unum, pax ergo ipse nobis est, & cum credimus, quia est, & cum uidebimus eum sicuti est. Quod uero adiunxit, Non quomodo mundus dat, ego do uobis, quid est aliud, nisi non quomodo homines dant, qui propter ea sibi dant pacem, ut sine molestia non Deo, sed amico suo mundo presuuantur.

Pax.

Eph. 2.

Non turbet cor uestrum, neq; formidet, audistis, quia ego dixi uobis &c.)

Hinc ergo turbari & formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamuis uenturus ad eos, ne forsitan gregem lupus in hoc interuallo inuaderet pastoris absentia. Sed a quibus homo abscedebat, Deus non relinquebat, & idē ipse Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, et manebat, per id quod Deus erat: ibat per id quod in uno loco erat, manebat per id quod ubiq; erat. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quia uado ad patrem, quia pater maior me est. Per quod ergo filius non est æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, per illud autem in quo est æqualis genenti unigenitus, nunquam recedit a patre. Forma quippe serui accessit, non forma Dei recessit, hæc est adsumpta, non illa cōsumpta. Propter hanc dicit, pater maior me est, propter illam uero, ego & pater unū sumus. Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, qua equalis est patri, humanam, qua maior est pater. Vtrunq; autem simul non duo, sed unus Christus; ne sit qua trinitas, non trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus Deus & homo, ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis & caro, Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui.

Manere in Christo.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum fuerit factum credatis, & reliqua.)

B Quid sibi uult hoc? Nonne potius dicendum fuit: Et nunc dixi uobis, priusquam fiat ut credatis, ut cum factum fuerit, uideatis. Illud enim dicit: Cum factum fuerit, quod cum post mortem uiscerum erant uiuentem, & ad patrem ascendentem, quo uiso illud fuerant credituri, quod ipse esset filius Dei, qui potuithoc facere cum prædixisset, & prædicare, antequam faceret. Deinde quid dicit: Iam non multa loquor uobiscum, uenit enim princeps mundi. Quis nisi diabolus: & in me non inueni quicquam. Nullum scilicet omnino peccatum, sic enim ostendit non creturatorum, sed peccatorum principem diabolū. Quid autem dicit discumbentibus? Surgite, eamus hinc, quod, nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus ad mortem.

Princeps mundi diabolus.

Ego sum uitis uera, & pater meus agricola, & reliqua.) Iste locus Euangelicus fratres, ubi se dicit Dominus uitem, & discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesie, nosq; membra eius. Vnius quippe nature sunt uitis & palmites, mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, cum esset Deus, cuius nature non sumus, factus est homo, ut in illo esset uitis, una natura, cuius & nos homines palmites esse possumus: Et pater meus, inquit agricola est. Secundum hoc ergo uitis Christus, secundum quod ait: Pater maior me est, secundum id quod ait: Ego & pater unū sumus, & ipse agricola est: Iam uos, inquit, mundi estis, mundum di scilicet atq; mundandi. Neq; enim, nisi mundi essent, fructum afferre potuissent, & tamen omnem qui fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat. Quis enim est in hac uita, ut non sit magis magisque mundandus: Quare non ait: Mundi estis per baptismum, quo abluti estis, sed ait, propter uerbum quod locutus sum uobis, nisi quia & in aqua uerbum mundat, deruher uerbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit uerbum ad elementum, & sit sacramentum, etiam ipsum tanquam uisibile uerbum, hoc est, uerbum fidei predicamus, quod dicit Apostolus: Quia si confesus fueris in ore tuo &c. Hoc uerbum fidei tantum ualet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum ualentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per uerbum de quo Dominus ait. Iam uos mundi estis propter uerbum quod locutus sum uobis: Manere in me, inquit, & ego in uobis. Vnde duobus palmis congruit, aut uitis aut ignis, si in uite non est, in igne erit, ut ergo in igne non sit, in uite sit. Tunc ergo dicenda sunt uerba eius in nobis manere, quando facimus quæ præcepit, & diligimus quæ promissit.

Christus caput Ecclesie.

Generalis summa de sanctis.

Baptismus paruulorum.



**C** In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & reli.)

Non hoc nostrę glorię tribuamus, tanq̄ hoc ex nobis ipsis habeamus, eius est enim hęc gratia, & ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria, ut efficiamur Christi discipuli, quia eius misericordia preuenit nos. Quod autē ait: Sicut dilexit me pater & ego dilexi uos, nō equalitatem naturę ostendit nostrę & suę, sicut est patris & ipsius, sed gratiam qua mediator est Dei & hominum, homo Christus Iesus. Quid est ergo: Manete in dilectione mea, nisi manete in gratia mea? Quid est quod dicit: Sicut dilexit me pater & ego dilexi uos? Nunquid & hic gratia intelligenda est, qua pater diligit filium? Sicut gratia est, qua nos diligit filius, cum simus nos filij gratia, non natura, diligentiū autē natura, non gratia. An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est? Ita sane, nam dicendo: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos, gratiā mediatoris ostendit, mediator autē Dei & hominum, nō in quantum Deus est, sed in quantum homo est, Christus Iesus. Deus enim erat uerbum, unigenitus gignendi coeternus, sed ut mediator daret nobis per ineffabilem gratiam: Verbum caro factum est & habitauit in nobis.

Hęc loquutus sum uobis, ut gaudiū meū in uobis sit, & reli.) Quod est gaudium Christi in nobis, nisi q̄ dignat gaudere de nobis? Et quod est gaudium nostrū quod dicit impletū, nisi eius habere consortium? Diligamus ergo inuicē sicut dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Maiorē quippe hac dilectione nemo habet, ut animā suam ponat quis pro amicis suis. Eum quippe imitemur piā obedientiā, ut ei nos cōparare nulla pręsumamus audaciā: Vos, inquit, amici mei estis, magna dignatio, serui esse nō meremus, et amici uocamur: Iam nō dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius, Quoniā itaq̄ dedit nobis potestātē filios Dei fieri, nō serui, sed filij sumus. Qui autē aliquod boni agit & extollit, quasi hoc ipse faciat nō Dominus eius, iste seruus nescit quid faciat Dominus eius. Nos autē omnes, ut amici Domini esse possimus, quicquid dominus noster faciat sciamus. Non solū etiā homines ueritatem iustos ipse facit nos, & nō ipsi nos. Ab ipso quicquid boni est donat, ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino gloriatur.

**D** Vos autē dixi uobis, quia omnia quecumq̄ audiuistis a patre & reli.) Quo igitē pacto hoc intelligendū est? Quis enim audeat affirmare, uel credere ullū hominē scire omnia quecumq̄ a patre audiuit unigenitus filius? Nā sicut immortalitātē carnis, & salutē animarū futuram expectamus, quamuis iam pignore accepto, salui facti esse dicamur, ita omnium notitiā, que cumq̄ unigenitus audiuit a patre, futuram sperare debemus. Quamuis iam se hoc fecisse dixerit Christus, quod facturus est, fecisse dicit, quia ea que futura sunt fecit.

Non uos me elegistis, inquit, sed ego elegi uos.) Hęc est illa ineffabilis gratia, hęc quippe electio gratię est Dei, de qua dicit Apostolus: Sic & in hoc tēpore reliquę per electionē gratię salutē factę sunt. Quid ergo dicturi sumus audiendo: Nō uos me elegistis, nisi quia mali eramus & electi sumus, ut boni per gratiā nos elegētis essemus? Et uidere quēadmodū nō elegat bonos, sed quos elegit facit bonos: Ego, inquit, elegi uos, & posui uos ut eatis et fructū afferatis & fructus uester maneat. Nullū itaq̄ fructū unde nos eligeret habebamus: Ut eatis, inquit, imus ut afferamus, & ipse est uia qua imus, in qua nos posuit ut eamus. Proinde in oibus misericordia eius preuenit nos: Et fructus, inquit, uester maneat. Maneat ergo dilectio ipse fructus noster.

Memento te sermonis mei, quem ego dixi uobis, & reliqua.) Exhortans Dominus uos seruos ad mūdi odia perferēda patienter, nullum magis eis & melius, q̄ de seipso proponit exemplū. Nā quid est aliud: Nō est seruus maior Domino suo, si me persecuti sunt & uos persecuent: Sed hęc, inquit, oīa faciēt uobis propter nomē meū. Que omnia, nisi que dixit odio habebūt, scilicet & persecuent sermonē que contēnent: Si nō uenisset, inquit, & locutus eis fuisset, peccatū non haberēt. De his enim dicit, de quibus dicebat: Si me persecuti sunt, & uos persecuent. Iudę ergo persecuti sunt Christū. Nunquid sine peccato erant Iudę, anteq̄ Christus ad eos in carne uenisset? quis hoc uel stultissimus dixerit? Sed magnū quoddā peccatū, nō omne peccatū, quod sub generali nomine uult itelligi, hoc est enī peccatū quo tenent cuncta peccata, quod uniuersūq̄ si nō habeat, dimittunt ei cuncta peccata. Hoc est autē, quia nō credi dē rūt in Christū, qui propterea uenit ut credat in eū, hoc peccatū si nō uenisset, nō utiq̄ haberēt: Qui me odit, inquit, & patrē meū odit. Quomodo enī diligerent patrē ueritatis, qui habebant odio ueritatē? Si opera nō fecissem in eis, que nemo alius fecit, & reli. Nimirū ergo illa sūt opera, que in eorū ualerudiniibus, tāta miracula salutis ostendit, quāta illis antea nemo donauit. Quia de ipso scriptū est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus. Nemo ergo alius fecit quecumq̄ in eis opera fecit. Quoniā quisquis homo aliquid eorū fecit, ipso faciente fecit, hęc autē ipse nō illis facientibus fecit.

Cum

**A** Cum autem uenerit Paracletus, ille testimonium perhibebit &c.) Tanq̄ diceret: Odio me habuerūt & occiderūt uidentes. Sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non uidentes: Et uos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, perhibebit spiritus sanctus, perhibebitis & uos, dabit enim uobis fiduciam testimonium perhibendi charitas diffusa in cordibus uestris, per spiritum sanctum, quid dabitur in uobis. Ille quippe testimonium perhibens, & testes fortissimos faciens, uobis abstulit Christi amicis timorem, & inimicorū oditū conuertit in amorem. Hęc, inquit, locutus sum uobis, ut nō scandalizemini. Cū enim charitas diffundit in cordibus nostris per spiritum sanctum, fiet pax multa diligentibus legē Dei, ut nō sit scandalū eis. Deinde que passuri essent iam exprimens ait: Extra synagogas facient uos. Quid autē mali erat Apostolis expelli de Iudaicis synagogis, quasi non inde se fuerant separaturi, etiam si nullius eos expelleret. Sed nimirū hoc uoluit denuntiare, quia Iudę Christū nō fuerat recepturi, a quo istū nō fuerant recessuri, & ideo futurum erat, ut foras mitterentur, cum illo ab eis, qui esse nolent in illo, hi quia esse non possent sine illo.

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos arbitretur obsequium, &c.) Hoc est, nō cognouerūt Deū necq̄ filium eius. Quid sibi uult ergo: extra synagogas facient uos? Sed uenit hora tanq̄ hoc dicturus fuisset, sepebant illi quidē uos, sed ego uos colligā, aut separabunt uos, sed uenit hora nostrę lætitię. Iudęorū autē omnis, qui occidit predicatorē Christi fuit, Deo se præstare putauit obsequiū, credens quod desereret Deū Israel, quicumq̄ cōuertentē ad Christū: O execrabilis cęcitas, obsequiū se præstare putabat Deo interficiendo famulos Dei.

Hęc autē, inquit, uobis locutus sum, ut cum uenerit hora eorum, &c.) Hęc scilicet, locutus sum uobis, nō tantum quia passuri estis ista, sed cum uenerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me, ne ista timendo taceatis. Hęc autē uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram, & ego uos consolabar mea pręsentia corporali. Nunc autē uado ad eū, qui me misit, & nemo ex uobis interrogat me, quō uadis? Nubes enim suscepit eum euntem in cœlum, & uerbis non interrogauerunt, sed oculis deduxerūt. Sed quia hęc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrū. Cōstristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabat aspectus.

**B** Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis, ut ego uadam, si enim nō abiero paracletus non ueniet &c.) Tanq̄ diceret, expedit uobis, ut hęc forma serui auferatur a uobis. Caro quidem factum uerbum habito in uobis, sed nolo adhuc me carnaliter diligatis: Vnde & subditur: Si non abiero, Paracletus non ueniet ad uos, ac si diceret: Non potestis capere spiritum, quam diu secundum carnem nosse persistitis: Si autē abiero, inquit, mittam eum ad uos. Christo autem discedente corporaliter, non solum spiritus sanctus, sed & pater & filius illis adsunt spiritaliter. Nam cū ex carnalibus essent spirituales futuri, profecto & patrē & filium & spiritum sanctum capatius fuerant habituri.

Et cū uenerit ille, arguet mundū de peccato, & de iustitia, & de iudicio, de peccato quidem, qui non crediderunt in me, de iustitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me.) Arguitur itaq̄ mundus de peccato incredulitatis, arguitur & de iustitia eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est uituperatio, qua propter mundus de peccato quidem suo, de iustitia uero arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebrę. Incredulum mundum arguet etiam de iudicio, quia Princeps huius mundi iudicatus est, id est, iudicio ignis æterni in reuocabiliter destinatus est, & de hoc itaq̄ iudicio, quo Princeps iudicatus est mundi, arguitur a sancto spiritu mūdus, quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbus atq̄ impius immitatur. Quid est ergo, quod dicit, etiam non uidebitis me, nisi quomodo sum, cum uobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui elurire poterat ac stare, fatigari, atq̄ dormire. Hęc ergo Christum, id est, talem Christum, cum tranisset de hoc mundo ad patrem, non erant iam uisuri: Non uidebitis me, ac si diceret, humilem sed excelsum, nec mortalem, sed sempiternum, nec iudicandum, sed iudicaturum. Si ille magister interior, qui cum discipulis exterius loquebatur, uellet nobis de incorporea Dei natura intrinsecus aliquid dicere, sicut sanctis angelis dicit, qui semper uident faciem patris, nondum ea portare possumus, proinde quod ait: Docēbit uos omnem ueritatem, non arbitror nunc in cuiusq̄ mente posse compleri, sed tunc, cum facie ad facie uiderimus. Quia ergo nō est a semetipso, sed ab illo a quo procedit. Non ergo loquitur a

m 3 semetipso

Psal. 118.  
Quid mali  
extra synago-  
gam fieri

Acto. 1.

Non uult cara-  
naliter diligi.

Omnis ueritas iam non  
potest disci.

Ioan. 1.

Psal. 71.



**S**emetipso, sed quocumque audiet loquet. Ab illo audiet à quo procedit, à quo est, ab illo est, à quo procedit. Quod uero sequitur: Ille me clarificabit, potest intelligi, quia disfundendo in credentium cordibus charitatem declarauit eis, quomodo patri filius esset coequalis. Vel certe, quia per ipsam charitatem fiducia repleti, & timore depulso, adnuntiarent hominibus Christum. Ac sic eius fama diffusa est toto orbe terrarum, ut sic dixerit: ille me clarificauit, tanquam diceret, ille uobis auferet timorem, & dabit amorem, quo me ardentius predicantes gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in spiritu sancto, hoc eundem spiritum dixit esse facturum: Omnia, inquit, quæcumque habet pater mea sunt, propterea dixi uobis, quia de meo accipiet, & continuo hoc explanat: Ergo de patre accipit spiritus sanctus, unde accipit filius, quia in hac trinitate de patre natus est filius, de patre procedit spiritus sanctus, qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat pater, est solus.

**Modicum & iam non uidebitis me, &c.)** Post paululum enim passus est, & non uiderunt eum. Rursus post paululum resurrexit & uiderunt eum. Vnde & cõstituti sunt de morte Domini discipuli, & confestim de resurrectione eius læti, unde & sequitur: Tristitia uestra cor uertetur in gaudium, nam & tristitia, tunc cõuertetur in gaudium, quando manifestauerit se suis secuti est. Quod uero dicit: Mundus gaudebit, malitiæ mundi huius, mundus intelligi potest, quæ lætata est occiso Christo. Quod uero ait: Gaudium uestrum nemo auferet à uobis, quia gaudium ipso riu est ipse Iesus significatus est, quod ait Apostolus: Christus resurgens à mortuis iam non moritur &c. Quid est enim quod ait: Et in illo die non rogabitis quicquam? Hoc uerbum quod est: Rogare non solum petere, uerumetiam interrogare significat. Quod uero dicit: Venit hora cum iam non in Prouerbijs loquar uobis, sed palam. Futurum oportere intelligi secundum, ubi uidebimus faciem ad faciem. Adnuntiabo autem uobis, quia per filium pater uideretur. Quis enim cognoscit patrem, nisi cui uoluerit filius reuelare?

**Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem, &c.)** In quantum homo est interpellat pro nobis patrem, in quantum autem Deus est, nos exaudit cum patre: Ipse enim pater, inquit, amat uos, quia uos me amatis, hinc ergo factum est, ut diligeremur, quia dilecti sumus. Profrus donum Dei est diligere Deum, ipse ut diligeretur dedit, cum dilectus dilexit. Sequitur. Exiit à patre & ueni in hunc mundum, exiit enim à patre, quia de patre est: in mundum uenit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de uirgine assumpsit: reliquit mundum corporali discessione: perrexit ad patrem, hominis ascensione: nec mundum deseruit, presentis gubernatione.

**Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis, &c.)** Postea quam de cõuiuio sancto illo, qui eum traditurus egressus est, hæc enim causam cõmendauit sermonis sui, ut in illo pacem haberent, propter quod totum agitur, quod Christiani sumus, hæc enim pax finem temporis non habebit, & omnis pax nostræ intentionis actio, quæ finis ipsa erat, propter hæc sacramentis eius imbuimur. Propter hæc mirabilibus eius operibus, & sermonibus erudimur: propter hæc spiritus eius pignus accepimus: propter hæc in eum credimus & speramus, & eius amore quantum donat accendimur: hæc pace in pressuris omnibus consolamur: hæc à pressuris omnibus liberamur, propter hæc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus.

**Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis in cœlum, &c.)** Clarificatus à patre filium nonnulli accipiunt in hoc, quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Si passionem clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Humilitas ergo incipit in sermone Apostoli, ab eo loco ubi ait: Semetipsum exinaniiuit usque ad mortem crucis. Claritas uero eius incipit ab eo loco ubi ait: Propter quod & Deus illum exaltauit, & peruenit quod in gloria est Dei patris. Humilitas claritatis est meritum, Claritas humilitatis est præmiu. Sed hoc factum est in forma serui. Informa uero Dei semper est claritas. Sed quid sibi uult, quod sequitur? Vt filius tuus clarificet te, cum sempiterna claritas patris, nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri poterit in sua perfectione diuina. Apud homines autem proculdubio minor erat, quando in Iudæa tantummodo Deus notus erat, nondum à solis ortu usque ad occasum laudabant pueri nomen Domini, hoc autem, quia per Euangelium Christi factum est, ut per filium pater innotesceret Gentibus, profecto patrem clarificauit & filius. Si autem tantummodo mortuus fuisset filius, nec resurrexisset, proculdubio nec à patre clarificatus esset, nec patrem clarificasset. Nunc autem resurrectione clarificatus à patre, resurrectionis sue prædicatione clarificat patrem: Hoc quippe aperit oratio ipse uerborum: Clarifica, inquit, filium tuum, ut filius tuus clarificet te, tanquam diceret, resuscita me ut innotescas toto orbi. Ipse quippe patrem clarificauit super terram, eum gentibus prædicando: pater uero ipsum, apud semetipsum ad suam dexteram collocando. Omnem carnem quidem dixit,

omnem hominem, intelligi uult à parte totum significasse.

**Et nunc clarifica me, ut pater apud semetipsum claritate, &c.)** Hic intelligamus prædeterminationem claritatis humanæ quæ in illo est naturæ ex mortali immortalis apud patrem future. Et hoc iam prædeterminado factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret: Et nunc clarifica me, hoc est, sicut tunc prædeterminatione, ita & nunc perfectione, fac in mundo, quod apud te iam fuerat ante mundum: fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisi, claritate, quæ habui priusquam mundus esset apud te, id est, illam claritatem, quæ habui apud te in prædeterminatione tua. Tempus est, ut apud te habeam etiam uiuens in dextera tua. Manifestaui nomem tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Nomen tuum hoc est, non illud nomen, quo uocaris Deus, quod in Iudæa notum est, et in Israël magnam, et uniuersæ creaturæ notissimum, sed illud, quo uocaris pater meus quod omnino manifestaris sine ipsius filij manifestatione non potest. Nam ideo fecisse se dicit, quod erat sine illa dubitatione facturus, sed de his, qui iam erant discipuli eius non de omnibus, qui in illo erant credituri, dixisse manifestat, in hoc quod subdit: Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis Iudæ significans, qui tradidit eum. Ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus perijt. Quod uero sequitur: Tui erant & mihi eos dedisti, hominem se accepisse hanc potestatem, ut eos haberet ostendit, quoniam qui semper omnipotens fuit, non semper homo fuit. Quæ obrem cum patri potius triuissit uideatur, ut ab illo eos acciperet, quoniam ex ipso est, quicquid est, de quo est etiam ipse sibi eos dedit, hoc est, cum patre Deus Christus homini Christo: Verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, hoc est, intellexerunt atque tenuerunt, & cognouerunt uere, id est, fortiter, stabiliter, incõcussè: Non pro mundo rogo, quod dicit, mundum uult intelligi, qui uiuunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ. Quod uero dicit: Non sum in mundo, ostendens se presentia corporali iam cito à mundo recessurum, illos autem tardius ideo dixit se iam non hinc esse, illos autem hic esse. Cõmēdat ergo patri eos, quos corporali absentia relicturus est, dicens: Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos, sed ait: Vt nobiscum sint unum, ut simus unum ipsi, & nos quos unum sumus nos, sed ait: Vt sint unum, sicut & nos. Ipsi utique in natura sua sint unum, sicut & nos in nostra unum sumus.

**Pater sancte, sanctifica eos in ueritate.)** Quid ergo aliud est: sanctifica eos in ueritate, nisi sanctifica eos in me. Ipse inquit: Ego sum uia & ueritas & uita. Sanctificat itaque pater in ueritate, id est, in uerbo suo, in unigenito suo. Quid est quod ait: & pro eis, ego sanctifico meipsum nisi eos in meipso sanctifico, cum & ipsi sint ego, quoniam de quibus hoc ait, membra sunt eius & unus est Christus caput & corpus? Sequitur. Vt sint & ipsi sanctificati in ueritate, quod quid aliud est in me secundum id quod ueritas est. Tunc ergo sanctificauit se in se, hoc est, hominem se in uerbo se, quia unus Christus, uerbum & homo, sanctificans hominem in uerbo, propter uero sua membra, & pro eis, inquit, ego, id est, quod proficit etiam ipsis, quia & ipsi sunt ego, sicut mihi profuit, quia homo sum sine ipsis, & ego sanctifico meipsum, hoc est, ipsos in me tanquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate. Quid est, & ipsi? nisi quæ ad modum in ueritate ego, quod sum ego. Sequitur. Non pro his autem rogo tantum: hoc est, pro discipulis, qui cum illo tunc erant, sed & pro eis, inquit, qui credituri sunt per uerbum in me. Vbi omnes suos intelligi uoluit, non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant per uerbum Apostolorum in cum sine dubio credi, quotquot postea crediderunt, & donec ueniat credituri sunt. Quod uero dicit. Et ego claritate quæ dedisti mihi dedi eis, quæ claritas? Nisi immortalitatem, quæ natura humana in illo fuerat acceptura, nam nec ipse adhuc acceperat eam, sed more suo propter immortalitatem prædeterminationis præteriti temporis uerbo futura significat.

**Et dilexisti eos sicut & me dilexisti, &c.)** In filio quippe nos pater diligit, quia in ipso nos elegit ante mundi constitutionem. Qui enim diligit unigenitum profecto diligit & membra eius quæ adoptauit in eum per eum. Nec ideo pares sumus unigenito filio, per quæ creati, & re-creati sumus, quia dicitur est. Dillexisti eos sicut & me, nec enim semper equalitatem significat qui dicit, sicut illud, ita & illud, sed aliquando eam, quia est illud, est et illud, aut quia est illud, ut sit et illud. Pater, inquit, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum & illi sint mecum, qui sunt isti quos ait à patre datos sibi, nonne illi de quibus alio loco dicit: Nemo uenit ad me nisi pater qui misit me traxerit eum? Ipse quidem de se dixit, quod ibi iam esset, de nobis autem uelle se dixit, ut essemus ibi cum illo, non inaniter, sed fideliter iam deputat factum, quod futurum esse non dubitat. Non eis satis fatis dicere: Volo, ut ubi ego sum & ipsi sint, sed addidit, mecum. Esse enim cum illo magnum bonum est, & miserii possunt esse, ubi est ille, quoniam quicumque ubi eum fuerint est & ille. Sed beatus

*Nomen Dei quod Christus manifestauit, pater meus.*

*Mat. 15.*

**C** soli sunt cum illo, quia beati esse non poterunt nisi ex illo. Quod uero adiunxit, ut uideant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, ut uideant dixit, non ut credant, fidei merces est ista, non fides, quam claritatem Domini, nisi illam qua Deus est: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Cognoscendus est a mundis corde, solus uerus Deus cum patre & sancto spiritu filius, quia trinitas est solus uerus Deus: Et notum feci eis, inquit, nomen tuum, & notum faciam, hoc est, notum feci per fidem, notum faciam per speciem, notum feci cum sine peregrinantibus, notum faciam sine sine regnantibus: Ut dilectio, inquit, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Quomodo ergo dilectio, qua dilexit pater filium, est & in nobis, nisi quia membra eius sumus? & in illo diligimur, cum ipse diligitur totus, id est, caput & corpus. Ideo subiunxit: Et ego in ipsis, tamquam diceret, quoniam ego sum & ipsi. Aliter, enim est in nobis tanquam in templo suo. Aliter, autem, quia & nos ipse sumus, cum secundum, id est, quod ut caput nostrum esset, homo factus est, corpus eius sumus.

Sed hec cum dixisset, Iesus egressus est, cum discipulis trans torrentem Cedron. Vsq; ad illud: Symon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum & percussit principis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen serui Malchus. Malchus autem interpretatur regnator. Quid ergo auris pro Domino amputata, & a Domino sanata significat: nisi auditum amputata uetustate renouatum: ut sit in nouitate spiritus, & non in uetustate literę. Quod cui prestitum fuerit a Christo, quis dubitet regnatorum esse cum Christo: Quod autem seruus inuentus est, & hoc ad illam pertinet uetustatem, quæ in seruitutem generat, quæ est Agar, sed cum accesserit sanitas figurata est, & libertas.

Quid est, quod ait Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo? Hic est enim regnum eius usq; in finem seculi, sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo. Regno suo quippe dixit de mundo non estis, sed ego de mundo uos elegi. Erant ergo de mundo, quando regnum eius non erant, sed ad mundi principem pertinebant. Sed Deus nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii claritatis sue, de quo regno dicit: Regnum meum non est de hoc mundo.

Quid est ergo, quod Marcus Euangelista dicit: Dominum crucifixum hora tertia, Ioannes autem quasi hora sexta. Nisi quia hora tertia crucifixus est Dominus linguis Iudeorum, hora sexta uero manibus militum.

**D** In eo uero quod dicit: Acceperunt uestimenta eius & fecerunt quattuor partes. Quadripartita uestis Domini nostri Iesu Christi, quadripartitam figurabat eius Ecclesia per quattuor partes mundi diffusam, tunica uero illa sortita & non diuisa, omnium istarum partium significabat unitatem, quæ charitatis uinculo cõtinetur. In sorte autem quid nisi Dei gratia cõmendata est: Quid enim de ipsa cruce dicitur sumus: Recte in ea intelligit, quod ait Apostolus: Quæ sit latitudo & longitudo & altitudo & profundum. Lata est quippe in transuerso ligno, quo extenditur pendens manus & significat opera bona in latitudine claritatis. Longa est a transuerso ligno usq; ad terram, ubi dorsum pedesq; figuntur, & significat perseuerantiam, in longitudine temporis usq; in finem. Alta est in cacumine, quo transuersum lignum sursum uersus excedit, & significat superuenientiam finem, quo cuncta opera referunt, quoniam cunctaq; latitudine & longitudine bene ac perseueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum faciendâ sunt premeriorum: Profunda est in ea parte quæ in terra figit, ibi quippe & occulta est, nec uideri potest, sed cuncta eius apparentia & eminentia inde confurgunt, sic & bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendî ac diiudicari non possunt, uniuersa procedunt.

Cum uidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem &c. Hęc nimirum est illa hora de qua Iesus aquam cõuersurus in uinum, dixerat matri: Quid mihi & tibi est mulier? nondum uenit hora mea. Sic ergo matrem Magistri & Domini sui discipulus & famulus accepit in sua, ut quado distribuebat unicuique pro ut unicuique opus erat. Intelligendum est, sic distributum fuisse huic discipulo, quod opus erat, ut illi etiam beatæ Mariæ tanq; matris eius portio poneret, & ad eius curam, quicquid ei esset necessarium pertineret.

Quid sibi uult, hoc quod acetum &c. Iudei quippe ipsi erat acetum, degenerantes a uero Patriarcharum & Prophetarum, & tanq; de pleno uase de iniquitate mundi huius impletum cor habentes, quasi spogia cauernosis quodammodo, atq; tortuosis latibulis fraudulenter Hypocritarum autem cuiuscuq; posuerunt spongiam acetum plena, quoniam herba est humilis, sed peccus purgat, ipsius Christi humilitate significat, quæ circumdederunt & se circumuenisse putauerunt. Unde scriptum est: Asperges

**A** Asperges me hyssopo & mundabor, Christi namq; humilitate mundamur. Per arundinem uero scriprurę significabatur, quæ implebant hoc factum. Cui ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consumatū est. Quid nisi quod prophetia tanto tempore antea prædixerat: nã antea ille dixerat: Sitio. Tanq; diceret: Hoc minus fecistis, date quod estis, & impletū est: In siti mea potauerit me acetum. Quid significat, quod unus militum lancea latus Domini aperuit: ut illic quodammodo uitę hostium panderetur, unde sacramenta Ecclesię manauerunt. Nam & in monumento nouo positus est Iesus, in quo nundum quisq; positus erat, sicut in Marię uirginis utero, nemo ante illum, nemo post illum cõceptus est. Ita & in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

SABBATO SANCTO. EPISTOLA BEATI PAULI  
Apostoli. Ad Collossenenses. Cap. III.



Insurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit uita uestra,

tunc & uos apparebitis cum Christo in gloria.

**C**ollossenenses & hi, sicut Laodicenses, sunt Asiani, & ipsi præueni erant a pseudoapostolis, nec ad illos accessit ipse Apostolus, sed hoc per epistolam recorrexit. Audierat enim uerbum ab Archippo, qui ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus iam ligatus, scribit eis ab Epheso per Tichicum Diaconum, & Onesimum Acolitum, scripta ex urbe Roma.

Insurrexistis cum Christo. Superius enim dixerat, si mortui estis cum Christo, nec ad illos accessit ipse Apostolus, sed hoc per epistolam recorrexit. Audierat enim uerbum ab Archippo, qui ministerium in eos accepit. Ergo Apostolus iam ligatus, scribit eis ab Epheso per Tichicum Diaconum, & Onesimum Acolitum, scripta ex urbe Roma. Sab elementis mundi. Mundi enim elementa intelligi uoluit, auaritiã & luxuriam & cetera similia, & cõsequenter post uitiorum mortificationem ait: Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, hoc est, non solū terrenis moriemini uitijs, sed etiam celo uiuite, nihil terrenum ambiatis, nihil mortale queratis, coelestem sectamini patriam, &c.

**B** Vbi Christus est ad dexteram Dei sedens. Victori filio & per sanctam incarnationem totius mundi triumphatori post resurrectionis gloriam, honorabilis confessus datus est, in dextera Dei patris. Confessus enim iste, nihil demonstrat aliud, nisi honoris æqualitatem. Nam uerbum hoc illud significat, ut caput nostrum in patris cognosceretur dextera collocatum, in qua parte ponendi sunt, qui per fidem a diuinitatis munere non segregant, propter illud: Pater, uolo ut ubi sum ego, ibi sint & hi mecum. Nam si naturam Deitatis excogites, quem locum potes habere patris sinistre uel dextere: quoniam ubiq; plenissima maiestate complectitur.

Mortui enim estis, & uita uestra abscondita est, &c. Queri potest, quomodo uiuentibus, & adhuc in uita positis dicit, mortui estis cum Christo. Sed quia in alio loco dicit: Quicumq; baptizati estis in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati estis. Et quia uetus homo non ster, simul crucifixus est cum eo, constat ut sicut propter nos Christus crucifixus, mortuus & sepultus est, & resurrexit, nos quoq; ad passionis suę similitudinem, uoluptates & cupiditates nostras crucifigamus, & in baptismate mysterium mortis sepulture, & glorię resurrectionis eius imitemur. Vt si passionem eius socij fuerimus, simul & glorię resurrectionis erimus. Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul & iam uiuemus cum eo. Elaborandum est itaq; ut nihil de fordibus ueteris hominis agnoscat in nobis. Christus autem non ex parte, sed integer est crucifixus, ut nos ex toto moriamur peccato & uiuamus Deo. Ille autem uiuit Deo, qui Christi uerba stigia, humilitate, sanctificatione & pietate sectatur.

Cum enim Christus apparuerit, uita uestra, tunc & uos apparebitis &c.

Vita nostra dicitur Christus, sicut ipse dixit: Ego sum uita, ueritas, & uita. Et quia filij Dei cum simus, nondum apparuit quid erimus. Scimus cum apparuerit, similes ei erimus, non enim hic debemus nostram gloriam querere, ne de nobis dicatur: Repperunt mercedem suam

EVANGELIUM MATTHÆI. CAP. XXVIII.



Esperate autem sabbati quæ lucefcit in prima sabbati, uenit Maria Magdalene & alia Maria uidere sepulchrum. Et ecce terrę motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de celo & accedens

Psal. 68.

Origo sancti rii ecclesie ex latere Christi.

Mundi elementa auaritia &amp; luxuria.

Quomodo uiuentibus dicitur mortui estis.

Viueret Deo.

Ioh. 14.

Matth. 6.

C dēs reuoluit lapidē, & sedebat super eū. Erat autē aspectus eius sicut fulgur, & uestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere uos: Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, queritis. Nō est hic. Surrexit enim sicut dixit. Venite & uidete locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedet uos in Galilæam. Ibi eum uidebitis, sicut prædixit uobis.

August.

Vesperę autem sabbati quę lucefcit in prima sabbati, uenit Maria Magdalenę, & altera Maria uidere sepulchrum.) Vesperę autem sabbati, quod diuersa mulierum tempora in Euangelijs describuntur, non mendacię est signum, sed sedulę ut sitationis officij. Quę lucefcit in prima sabbati, à parte prima noctis, quod est uesper, ipsam noctem uoluit significare, cuius noctis sine uenerunt mulieres. Cur autem noctem appellat uesperę: quia uesperę licebat afferre aromata, transacto utiq; sabbato. Hoc ergo dicit: uesperę sabbati, ac si diceret: Noctę quę sequitur sabbatum uenerunt, quo tempore uoluerant uenire liberum habentes, siue uesperę sabbati, non uesperę noctis, sed uesperę noctis, id est, in fine noctis uenerunt. Ab exordio mundi dies præcedebat noctē, usq; ad Christi passionem. A Christi uero resurrectione, nox præcedit diem. Siue ita legendum, uesperę sabbati, id est, aurora quę noctis initio lucet, ipsa per totam noctem manente manet lucefcit, & ideo forsitan, hæ mulieres à noctis initio usq; mane ibi manserunt. Sed Marcus dicit: & ualde mane, & reliqua. Apparet autem qua hora resurrexit Dominus, id est mane, cum quadragesima horis, iuxta Augustinū, in sepulchro fuisse describitur, id est, quattuor horas, quæ die crucifixus est, remanentes duodecim horę noctis sabbati, duodecim diei sabbati, duodecim noctis diei dominicę, tricesima autem & tres in sepulchro. Pro hac causā quadragesima diebus post resurrectionem Apostolis suis sepe se manifestauit. In nomine autem, quod est uesperę, mlti diuersa putant. In Euangelio enim Gręco ita habetur, ὁ δὲ δὲ σάββατον τῆς ἑπομένης ἡμέρας, id est, uesperę sabbati, quę lucefcit in prima sabbatorum, in quo apparet, ὁ δὲ, quod foeminiū nomen est, τῆς foeminiū pronomen est, unde quidam uolunt, quod uesperę cōmunis, hoc est, masculini & foeminiū sit generis nomen, cuius ablatiuus uesperę, quidam uolunt uespera, non uesperę dici, foeminiū facientes. Quidā subtilius ita legunt. Venit Maria prima sabbati, quę lucefcit uesperę sabbati. Alij ita intelligunt, ut sabbatum requies interpretetur. Vesperę autē quietis, quę lucefcit in prima, & reliqua. In prima: Prima dies dicitur dominica, quę meruit uideri Dominum resurgere, & mundum nasci, atq; reparari per Christum.

Mar. ult.

Sententia Augustini 40. horis Christus fuit in sepulchro.

D sperę sabbati, quę lucefcit in prima sabbatorum, in quo apparet, ὁ δὲ, quod foeminiū nomen est, τῆς foeminiū pronomen est, unde quidam uolunt, quod uesperę cōmunis, hoc est, masculini & foeminiū sit generis nomen, cuius ablatiuus uesperę, quidam uolunt uespera, non uesperę dici, foeminiū facientes. Quidā subtilius ita legunt. Venit Maria prima sabbati, quę lucefcit uesperę sabbati. Alij ita intelligunt, ut sabbatum requies interpretetur. Vesperę autē quietis, quę lucefcit in prima, & reliqua. In prima: Prima dies dicitur dominica, quę meruit uideri Dominum resurgere, & mundum nasci, atq; reparari per Christum.

August.

Non potest dici, uesperę lucefcens in prima sabbati, nisi nomine uesperę nox ipsa intelligatur q̄ lux terminat, & usitatus loquendi modus est diuinę scripturę à parte totum. A uesperę ergo noctem significauit, cuius extremū est diluculum. Diluculo enim uenerunt illę mulieres ad monumentum, ac per hoc ea nocte uenerunt, quę significata est nomine uesperę. Tota enim significata est eo nomine, ut dixi, & ideo quacumq; eius noctis parte uenissent, ea utiq; nocte uenissent. Cum ergo uenerunt parte eius noctis extrema, ea proculdubio nocte uenerunt. Vesperę autem quę lucefcit in prima sabbati, nō potest nisi tota ipsa nox intelligi. Ideo igitur uesperę uenerunt, quę ipsa nocte uenerunt. Ipsa autem nocte uenerunt, quę noctis ipsius quamuis extrema parte uenerunt.

Concordat Mattheū & Ioannem. Vulga.

Vesperę, id est, sero et tarde.

Non est relatio Ioannis contraria, quę refert diluculo ad monumentum uenisse Mariam Magdalenę, Mattheo dicente, uesperę sabbati Mariam Magdalenę cum altera Maria uenisse ad sepulchrum Domini, dum uesperę à Matheo positum sit pro sero & tarditate, tanquam si diceret, tarda hora noctis. Tardę enim dicimus aliquid fieri, quoties multę horę præterunt temporis constituit. Et quoniam magna pars iam fuerat noctis exacta Domino resurgente. Vesperę, hoc est, sero seu tarde dicitur à Matheo, quod & Ioannes significat diluculo. Adhuc tamen tenebrę erant, & iuxta matutinum tempus illa hora possit intelligi.

Hiero.

Præ timore autē eius exterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui, respōdenſq; angelus dixit mulieribus, nolite timere uos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est queritis.) Custodes timore perterriti, instar mortuorum stupefacti iacent, sed tamen angelus, non illos, sed mulieres consolatur: Nolite timere uos, illi inquit, timeant

Angelus mulieres consolatur

A timeant, in his perseveraret pavor, in quibus permanet incredulitas. Ceterum uos, quia Iesum queritis crucifixū, audite quod resurrexerit et promissa perfecit: Venite et uidete ubi positus erat Dominus, ut si meis uerbis nō creditis, uacuo credatis sepulchro. Et gradu cūcito pergite, nunciate discipulis eius, quia surrexit, & præcedet uos in Galilæam, hoc est, in uolubrum gentium, ubi ante error erat & lubricū, & firmo ac stabili pede uestigium non ponebant.

Et exierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius.) Duplex mentes mulierum tenebat affectus, timoris & gaudij. Alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis, & tamen uterq; foemineum concitabat gradum, pergebant ad Apostolos, ut per illos fidei seminariū spargeretur.

DOMINICA SANCTA IN PASCHA. EPISTOLA Beati Pauli Apostoli. Ad Corinthios. Cap. V.



Xpurgatę uetus fermentum ut sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus, itaq; epulemur, non in fermento ueteri, nec in fermento malitię & nequitię, sed in azymis sinceritatis & ueritatis.

EXpurgatę uetus fermentum, ut sitis noua conspersio.) Id est, nihil in uobis remaneat, de ueteris corruptione naturę, sed sinceri estote, candore gratię, nitore iustitię.

Noua conscriptio est candor gratię et nitore iustitię.

Sicut estis azymi.) Hoc est, azymi facti per baptismum, quod nobis Christus sua passione largitus est, non iam in agni specie, sed in ueritate corporis immolatus. Nihil itaq; in uobis conuersationis pristinę relinquatis, quod sinceritatem possit naturę corrumpere.

B

Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.) Ac si diceret, non à nobis in figura agnus, sicut Iudæis, sed in ueritate nobis cotidie occiditur Christus, & Pascha cotidie celebramus, si fermentum malitię & nequitię non habemus. Et Iudęi quidem septem diebus azyma cōmedebant, & quia in septem diebus mundus est factus, qui semper in suo ordine reuoluit. Nos simpliciter Pascha celebramus si in his diebus pure & sinceriter uersamur. Quod est enim aliud fermentum, nisi corruptionaturę, quod & ipsum prius à naturali dulcedine recedens, adulterino acore corruptum est.

Indies pascha celebratur qui pure uiuunt. Alij legunt pro acore cruore

Itaq; epulemur.) Id est, nos qui à fermento malitię & nequitię abstinemus iugiter salutaris actus salutis sollempnia celebremus, & interiori homine simplicitatis & ueritatis azymis repleamur.

EVANGELIUM MARCI. CAP. VLTIMO.



Maria Magdalenę, & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum. Et ualde mane una Sabbatorum ueniunt ad monumentum, orto iam sole. Et dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes uiderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus ualde. Et introeuntes in monumentū, uiderunt iuuenē sedentē à dextris, coopertū stola cādi da, & obstupuerunt. Qui dicit illis: Nolite expauescere, Iesum queritis Nazarenum, crucifixū, surrexit non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum, sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedit uos in Galilæam, ibi eū uidebitis sicut dixit uobis.

Maria Magdalenę & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, ut uenientes ungerent Iesum.) In Euangelio Lucę scriptum est, quod reuenientes à monumento, paruenerunt aromata & ungenta, & sabbato quidem siluerunt propter mandatum. Mandatum ergo legis erat, ut sabbati silentium, à uespera usque ad uesperam seruaretur. Ideo que religiose mulieres sepulto Domino, quā diu licebat operari, id est, usque ad solis occasum,

Luc. 24.

**C**asum, in unguentis preparandis erant occupatae, ut Lucas scribit. Et quod tunc pra angustia temporis opus explere ne quibant, festinauerunt mox, ut transfacto sabbati, id est, occidente sole, ubi operandi licentia remeauerat emere aromata, sicut Marcus refert: ut uenientes mane ungerent corpus eius. Neque enim uespere sabbati preoccupante iam noctis articulo, monumentum adire uoluerunt.

Et ualde mane una sabbatorum ueniunt ad monumentum orto iam sole.)

*Dies dominica.*

Prima sabbatorum, prima dies est, a die sabbatorum, id est, requiescentium, quam nunc diem dominicam, propter resurrectionem Domini saluatoris, mos Ecclesiasticus appellat. Id ipsum autem est, cum una sabbati siue una sabbatorum legimus, id est, una dies a sabbatorum die, hoc est, requiescentium quae in sabbatis custodiebantur. Sanctae autem mulieres, quae Dominum fuerant secute cum aromatis ad monumentum uenerunt, & ei quem uiuentem dilexerant, etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur. Et nos ergo in eis, qui est mortuus credentes, si odore uirtutum ferri, cum opinione bonorum operum Domini uisum, ad monumentum profecto illius cum aromatis uenimus. Quod autem ualde mane mulieres uenerunt ad monumentum, orto iam sole, id est, cum iam caelum ab orientis parte albesceret, quod non sit utique nisi solis orientis uicinitate, iuxta historiam quidem magnam querendi, & inueniendi Domini, num feruor charitatis ostenditur. Iuxta intellectum uero mysticum nobis datur exemplum, in luminata facie decussitque uictorum tenebris, odorem bonorum operum Domino, & orationum suauitatem offerre.

*Ad monumentum Christi mystice uenire cum aromatis. Feruor charitatis in multis.*

Et dicebant adinucem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Respicientes, uiderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus ualde.)

Quomodo lapis per angelum reuolutus sit, Matthaeus sufficienter exponit. Sed reuolutio lapidis, mystice referatorem sacramentorum Christi, quae uelamine littere legis tenebantur insinuat. Lex enim in lapide scripta est: Cuius ablato regimine, gloria resurrectionis ostensa, & abolitio mortis antiquae, ac uita speranda perpetua coepit toto orbe praedicari.

**D** Et introeuntes in monumentum, uiderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida & obstupuerunt.)

Introeuntes ab oriente in domum illam rotundam, quae in petra est excisa, uiderunt angelum sedentem ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat corpus Iesu. Hoc enim erat in dextris: Quia nimirum corpus, quod supinum iacens, caput habebat ad occasum, dextram necesse est haberet ad austrum, scribit enim Matthaeus, quod angelum qui reuoluit lapidem ab ostio monumenti, primo uiderunt super ipsum lapidem sedentem, qui eas intrare in locum ubi Dominus erat positus iusserit, & uidere quod iam resurrexisset a mortuis. Scribit Lucas, quod intrantes in monumentum duos angelos in albis inibi stantes inuenerunt. Ille ergo mulieres angelos uident, quae cum aromatis uenerunt, quia uidelicet illae mentes super nos ciues aspiciunt, quae cum uirtutibus ad Dominum per sancta desideria proficiscuntur. Notandum uero nobis est quid nam sit, quod in dextris sedere angelus cernitur. Quid namque per sinistram, nisi uita praesens: quid uero per dextram, nisi perpetua uita signatur. Vnde scriptum est: Leua eius sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Sinistra namque Dei Ecclesia, prosperitatem uidelicet uita praesentis, quasi sub capite posuit, quam in tensione summi amoris praemit. Dextera uero Dei eam amplectitur, quia sub aeterna eius beatitudine tota deuotione continetur. Quia igitur redemptor noster iam praesentis uita corruptionem transierat, recte angelus qui nuntiare perennem eius gloriam uenerat, in dextra sedebat. Qui stola candida coopertus apparuit, quia festiuitatis nostrae gaudia nuntiavit. Candor etenim uestis, splendore nostrae denuntiat sollemnitatis: Nostrae dicamus an suae, sed ut fateamur uerius, & suae dicamus & nostrae, illa quippe redemptoris nostri resurrectio, & nostra festiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit, & angelum festiuitatis extitit, quia nos reuocando ad coelestia eorum numerum impleuit. In sua ergo ac nostra festiuitate angelis in albis uestibus apparuit, quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, coelestis patriae damna reparantur. Sed iam quid uenientes formam asatur, audiamus.

*Mulieres angelos uident.*

*Angelos sedere in dextris. Cantus.*

Nolite expauescere, Iesum quaeritis Nazarenum, Crucifixum, surrexit non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum.) Nolite, inquit, expauescere, ac si aperte dicat: Pauca illi, qui non amant aduentum supernorum ciuium, pertimescant qui carnalibus desiderijs pressi, ad eorum societatem pertingere posse desperant; Vos autem cur pertimescitis,

**A** mescitis, quae uestros conciuos uidetis: Vnde & Matthaeus angelum apparuisse describens, ait. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & uestimentum eius sicut nix. In fulgore etenim terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris. Quia uero omnipotens Deus, & terribilis est peccatoribus, & blandus iustis. Recte testis resurrectionis eius angelus & in fulgore uultus, & in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie & terreret reprobos, & mulceret pios: Iesum quaeritis Nazarenum, Iesum Latino eloquio salutaris, id est, saluator interpretat. At uero muliere hoc nomine dici poterant. Tunc non tamen substantialiter, sed nuncupatiue, ideo & locus subiungitur, ut de quo Iesu dictum sit manifestetur Nazarenum. Et causam potius subdit: Crucifixum. Atque addidit: Resurrexit, non est hic. Non est hic, dicitur per praesentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per praesentiam maiestatis.

*Testis resurrectionis in fulgore ex candore apparet, quia Deus terribilis est blandus.*

*Iesum, id est, salutaris.*

Sed ite dicitur discipulis eius & Petro, quia praecedet uos in Galileam.)

Quaerendum nobis est, cur nominatis discipulis Petrus designatur ex nomine, sed si hunc angelum nominatum non exprimeret, qui magistrum negauerat uenire inter discipulos non auderet. Vocat ergo ex nomine, ne desperarit ex negatione, qua in re considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum quem cunctae Ecclesiae praefere disposuerat, ancillae uocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum magnae actum pietatis dispensatione cognoscimus, ut si qui futurus erat pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prius itaque ostendit eum sibi, & tunc praeposuit caeteris, ut ex sua infirmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret. Bene autem de redemptore nostro dicitur:

*Petrus uocatus ab angelo.*

*Cur Petrus Ecclesiae praeficiendus negat.*

Praecedet uos in Galileam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis.) Galilaea namque transmigratione facta interpretatur. Jam quippe redemptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad uitam, a poena ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigrauerat, & prius post resurrectionem in Galilaea a discipulis uidetur, quia resurrectionis eius gloriam post laeti uidebimus, si modo a uitae ad uirtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulchro nunciatur, in transmigratione carnis ostenditur, quia is qui in mortificatione carnis agnoscebat, in transmigratione mentis uidetur.

*Galilaea, id est, transmigratione.*

FERIA SECVNDA PASCAE. LECTIO ACTVVM

Apostolorum. Cap. X.

**B**rans Petrus in medio plebis dixit: Viri fratres, Verbum misit Deus filijs Israel, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est Dominus omnium, uos scitis quod factum est uerbum per uniuersam Iudaeam, incipiens enim a Galilaea post baptismum, quod praedicauit Ioannes Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus spiritu sancto & uirtute. Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quae fecit in regione Iudaeorum & Hierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praedeterminatis a Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis, & praecipit nobis praedicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex uiuorum & mortuorum. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Verbum misit Dominus filijs Israel, adnunciās pacem per Iesum Christum.)

Verbum hic missum Euangelium dicit, siue ipsum Dominum Iesum Christum, quia Apostolus ait: Pacem meam do uobis, pacem meam commendo uobis. Qui est omnium Dominus, in hoc apparet, inquit, Deum acceptorem non esse personarum, quia filium suum unigenitum qui & Dominus omnium atque conditor est, cum genere humano pacem facere misit.

Vos scitis quod factum est uerbum per uniuersam Iudaeam.) Quoniam uerbum Dei caro facta uerbum est, id est, quoniam humana natura sine ullis praecedentibus bonorum operum meritis, Dei uerbo est in uero uirginis copulata, ita ut cum illo fieret una perso-

na, ob hoc eum confitemur natum de spiritu sancto & Maria uirgine.

**Regula Ecclē sic.**  
**Ambro.**  
**Christi nomē pater filium & spiritum sanctum complectitur.**  
 Incipiens à Galilæa post baptismum.) Cum Ecclēsiæ regula sit, fideles in nomine sanctę trinitatis baptizari, querit quomodo Lucas per totū huius libelli textum, non aliter q̄ in nomine Iesu Christi baptismum dari testet, quod ita beatus Ambrosius soluit. Quod per unitatem nominis impletum mysteriū sit, quia siue Christum dicas, & Deum patrem, à quo unctus est filius, & ipsum qui unctus est filium, & spiritum quo unctus designasti. Scriptum est enim: Iesum à Nazareth quomodo unxit eum Deus spiritu sancto. Siue patrem dicas & filium eius, & spiritum horum pariter indicasti, si tamen id & corde comprehendas, siue spiritū dicas, & Deum patrem, à quo procedit spiritus, & filium, quia filij quoq; est spiritus, nuncupasti. Vnde ut orationi copuletur autoritas, in spiritu quoq; recte baptizari non posse scriptura indicat, dicente Domino: Vos autem baptizabimini in spiritu sancto, & Apostolus ait: Omnes enim in ipso corpore, in uno spiritu baptizati sumus. Aliter præcipue congruit, nos in nomine Domini Iesu Christi baptizari, quia sicut Apostolus ait: Quicumq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.

**Quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo unxit eum &c.)**

**Rom. 6.**  
**Ioan. 1.**  
 Prædicauit ergo Ioannes Iesum sicut unxit eū Deus spiritu sancto. Tunc utiq; cū dicebat: Ipse uos baptizauit in spiritu sancto. Et iterum: Quia uidi spiritum descendentem quasi columbā super eum. Vinctus est ergo Iesus, non oleo uisibili, sed dono gratiæ, quod uisibili significat unguento, quo baptizatos ungit Ecclēsia. Nec tamē tūc unctus est spiritu sancto, quoniā super eū baptizatū uelut colūba descendit. Tunc enim corpus suū, id est, Ecclēsiā suā præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiūt spiritū sanctū, sed ista mystica & inuisibili unctio.

**Qui pertransiuit benefaciēdo & sanādo omnes oppresos à diabolo &c.)**

Id est, pater cū filio, melius est enim sic intelligere quā diuinitatem filij cum homine quā adsumpsit cohabitantem significari, neq; Christi personā geminare, & in Nestorij dogma cadere.

**Quē occiderūt suspendentes in ligno.)** Christus passus est, mo. (uidetur.

riamur peccato, Christus resurrexit, uiuamus Deo, Christus transijt de hoc mundo ad patrem, non hic hæreat cor nostrum, sed ad superna sequatur caput nostrum, pendit in ligno, concupiscentiam carnis crucifigamus.

**D** **Hunc Deus suscitauit tertia die.)** Quis suscitauit eū nisi inuisibilis Deus: Dormiuit enim & somnum cœpit & exurrexit, quoniā Dominus suscepit eū, cui dixerat: Suscita me & reddam eis. Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationē nostram.

**Rom. 5.**  
 Erit enim & nobis huius seculi nocte translata resurrectio carnis ad regnum, cuius in capite nostro præcessit exemplum. Surrexit & uolauit in altum, & pro nobis unicus interpellat in cælo. Præstat cū patre, q̄ postularat à patre, quia mediator est & creator. Mediator ut poscat, creator ut tribuat. Fidelissimo igitur & si dissimulo affectu ei orationē q̄ docuit allegemus, ut faciendum iussit, ipso adiuuante ualeamus, quod accipiendum promissit ipso dante sumamus.

**Et dedit eū manifestū fieri non omni populo &c.)** Inuenimus itaq; apud quattuor Euangelistas, decies cōmemoratum Dominum uisum esse ab hominibus post resurrectionē. Semel ad monumentum mulieribus. Iterum eiisdē regredientibus à monumento in itinere. Tertio Petro. Quarto duobus euntibus in castellum. Quinto pluribus in Hierusalem, ubi non erat Thomas. Sexto ubi eum uidit Thomas. Septimo ad mare Tyberiadis. Octauo in mōre Galilæe secundum Mattheum. Nono q̄ dicit Marcus. Nouissime recumbentibus, quia iā nō erant in terra cū illo cōuiuaturi. Decimo in ipso die, nō iam in terra, sed eleuātū in nube. Crebra enim erat cum illis eius conuersatio, per dies quadraginta, priusq; ascendisset in cælum. Non tamen eis per omnes continuos apparuerat. Per illos enim quadraginta dies quoties uoluit, quibus uoluit, quemadmodum uoluit apparuit.

**Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, &c.)** Hic beatus Petrus quod in Euangelio recitatur, exponit, post resurrectionem scilicet se bibisse cum Domino, nisi forte illic credamus indicatum, ubi ait: Donec illud bibam uobis uobiscum nouum in regno patris mei.

**Et præcepit nobis prædicari populo, & testificari quia ipse est &c.)** Ipse enim in Euangelio ait: Pater non iudicat quenq; sed omne iudicium dedit filio. Item ipse & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Quis dedit? pater, cui dedit: filio, cui enim

enim dedit uitam habere in semetipso. Iste Christus, & filius Dei & filius hominis est, proinde quia filius hominis est, accepit potestatem & iudicium facere, quod iudicium in sine seculi erit. Ipse enim ascendit in cælos, & sedit ad dexteram patris, inde uenturus iudicare uiuos & mortuos.

*Christus filius Dei & filius hominis.*

**Huic omnes prophetæ testimonium perhibent.)** Quæcunq; propter faciendam fidem temporaliter gesta sunt, aut testimonia missionis huius fuerunt, aut ipsam missionem filij Dei pronunciauerunt.

**Remissionem peccatorum accipere.)** Ipsum enim Dauid exhortans, ait: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Et ipse in Euangelio potencialiter, cui uolebat: Dimittentur tibi peccata tua, dicebat.

*Psal. 50.*

**Per nomen eius omnes qui credunt in eum.)** Nomen eius ab angelo priusquam nasceretur uocatum est Iesus, cuius ethimologiam, idem angelus executus adiunxit, dicens: Ipse enim saluū faciet populum suum à peccatis eorum. In cuius nomine prophetis adrestantibus remissionem peccatorum, non Iudæi tantum, sed omnes qui credunt, accipiunt.

*Ethimologia nominis Iesu.*

## EVANGELIUM LUCÆ. CAP. VLTIMO.



Xeutes duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadorū sexaginta ab Hierusalē nomine Emaus.

Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderāt. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hij sermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondēs unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuenito corpore eius, uenerunt dicentes: se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Et abiierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos. O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus que locuti sunt prophete. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriā suam? Et incipiens à Mose, & omnibus prophetis interpretabat illis in omnibus scripturas quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello, quod ibant, & ipse se finxit longius ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduersascit, & inclinata est iam dies. Et intravit cum illis. Et factum est dum recumberet cū illis, accepit panem & benedixit ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eū. Et ipse euauit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas?



## D. ZMARAGDI COLLECTIONES

**C**pturas? & surgentes eadē hora regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes: Quia surrexit Dominus uere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant, quæ gesta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

**E**Xeuntes duo ex discipulis Iesū, ibant in castellum ipsa die, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emaus, & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Stadium quod Greci, autore ut dicunt Hercule, uiarum spacia mensurant, octaua est pars miliarij, & ideo sexaginta stadia, septem milia passuum & quingentos significant, quod bene spacium itineris congruit eis, qui de morte ac sepultura saluatoris certi, dubij de resurrectione gradiebantur. Nam resurrectionem, quæ post septimam sabbati facta est, octauo numero continere quis ambiget? Discipuli ergo, qui de Domino loquentes, incedebant, & sextum coepti itineris miliarium compleuerunt, quia illum sine quærela uiuentem usque ad mortem, quam sexta sabbati subijt peruenisse dolebant. Compleuerunt & septimum, quia hunc in sepulchro quiescentem non dubitabant. Verum de octauo dimidium tantum peregerunt, quia gloriam celebratam resurrectionis nondum perfecte credebant. Emaus autem ipsa est Nicopolis, ciuitas insignis Palestinæ, quæ post expugnationem Iudææ, sub Marco Aurelio Antonino principe restaurata, cum statu mutauit & nomen.

**E**t factum est, dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesū adpropinquans ibat cum illis. Loquentes de se Dominus adpropinquans cōmītat, ut & fidem suæ resurrectionis eorum mentibus incendat, & occulte præsentia maiestatis semper se quod promissit implerum designet. Vbi enim sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

**O**culi autem illorum tenebantur, ne eū agnoscerent, & ait ad illos: Qui sunt hi sermone quos confertis ad inuicem, ambulantes & estis tristes?

**D** Apparuit quidem discipulis Dominus, sed eis speciem quam agnoscerent non ostendit. Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant. Eis autem Dominus foris & præsens aderat, & quis esset non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se dubitantibus, cognitionis suæ speciem abscondit.

**R**espondens autem unus cuius nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalē, & nō cognouisti, quæ facta sunt in illa his diebus?

Peregrinum putabant eum, cuius uultum non agnoscebant. Sed & re uera peregrinus erat eis, à quorum naturæ fragilitate, percepta iam resurrectionis gloria, longe distabat. Peregrinus erat eis, à quorum adhuc fide utpote resurrectionis eius nescia manebat extraneus.

**Q**uibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesū Nazareno, qui fuit tuus propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo.

Prophetam & magnum fatentur, filium Dei tacent, uel scilicet, nondum perfecte credentes, uel solliciti, ne inciderent in manus Iudæorum persequentium, quia nesciebant quis esset cum quo loquebantur, quod uerum credere celantes.

**E**t quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Merito tristes incedebant, quia & se ipsos quodammodo arguebant, quod in illo redemptionem sperauerint, quem iam mortuum uiderant, nec resurrecturum credebant, & maxime dolebant eum sine culpa occisum, quia nouerant innocentem.

**E**t nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monu-

**A** ad monumentum, & nō inuento corpore eius uenerunt, dicentes, se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Terruisse dicuntur merito eos, quorum mentibus plus de non inuento corpore dominico moestitiam, quia dolebant addere, quàm denuntiata per angelos eius resurrectione gaudium, quo recrearentur uidere potuerunt.

**E**t abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt. Ipsum uero non inuenerunt. Cum ipse Lucas supra Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum, & nunc Cleopas dixisse, ipse retulerit quod quidam eorum ierant ad monumentum, sed Petrum solum primo commemorauit, quia illi primitus Maria nuntiauerit.

**E**t ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Moysē & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Hoc nobis loco nullam scripturam interpretandi, sed gemina nos ipsos humiliandi necessitas incumbit, qui neque in scripturis, quantum oportet, edocui, neque ad implenda, quæ discere sorte potuimus, quantum decer, sumus intenti. Nam si Moyses & omnes Prophetæ Christum locuti sunt, & hunc per angustiam passionis in gloriam suam intraturum, quæ ratione se gloriantur esse Christianos, qui iuxta uirum suarum modulum, neque scripturas, qualiter ad Christum pertineant, inuestigare, neque ad gloriam, quam cum Christo habere cupiunt, per passiones, tribulationū desyderant attingere.

**E**t adpropinquauerunt castello, quo ibant, & ipse se finxit longius ire, & coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, &c. Nihil simplex ueritas, per dupliciter fecit. Sed quod dicitur: Finxit se longius ire, talem se exhibuit discipulis in corpore qualis apud illos in mente erat. Probandi autem erant sibi, qui eū etiam nec dum ut Deū diligenter, saltem ut peregrinū amare potuissent. Sed quia esse extranei à charitate nō poterant, hi cū quibus ueritas gradiebatur, eum ad hospitium, quasi peregrinum uocant. Cur autem dicimus, uocant, cum illic scriptum sit, & coegerunt illum? ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini non solum ad hospitium inuitandi sunt, sed etiam trahendi.

**B** Et factum est dum recumberet cum illis, accepit panē & benedixit, &c. Quem in scripturæ sacræ expositione non cognouerunt, in panis fractione cognoscunt. Audiendo præcepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt. Quia scriptum est: Non audientes legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Quisquis ergo uult audire, intelligere, festinet ea quæ iam intelligere potuit, opere implere.

**E**t ipse auauit ex oculis eorum & dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? Ignem, inquit, ueni mittere in terram. Et quid uolo, nisi ut ardeat? Ignem quippe Dominus in terram misit cum afflatu spiritus sancti cor carnalium incendit, & terra ardet, cum cor carnalium in suis prius uoluptatibus frigidum relinquit, concupiscentias præsentis seculi & incenditur ad amorem Dei. Nonne cor nostrum, inquit, ardens erat in nobis dum loqueret in uia, & aperiret nobis scripturas. Ex audito quippe sermone inardescit animus corporis, frigus recedit, sit mens in superno desyderio anxia, à concupiscentiis terrenis aliena. Amor uerus, qui hanc repleuerit infletibus cruciat. Sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur, audire ei liber præcepta cœlestia. Et quod mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.

**E**t surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem, &c. Iam erat fama, quod surrexerat Iesū ab illis mulieribus facta, & à Symone Petro, cui iam apparuerat, hoc enim isti duo inuenerunt loquentes, ad quos in Hierusalem uenerunt. Fieri itaque potest, ut timore prius in uia noluerint dicere quod eum audierant surrexisse, quando tantummodo angelos dixerunt uisos esse mulieribus. Ignorantes enim cum quo loquerentur, merito possent esse solliciti, ne quid passim de Christi resurrectione iactantes, in manus inciderent Iudæorum. Omnium ergo uirorum primo Dominus apparuisse legitur, intelligitur Petro, ex his dumtaxat omnibus quos Euangelistæ quattuor, & Paulus Apostolus commemorauerunt. Loquitur enim ad Co-

Beda.

Math. 18.

Probandi discipuli ideo fingi se longius ire.

Doctrina peregrinorum.

Ro. 2.

Luc. 21.



**C**inthios de Domino Paulus: Quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas, & quia apparuit Cephae & postea undecim.

**E**ripsi narrabant quae gesta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum, &c.) Praeter hoc quod pro merito mentis eorum, adhuc ignorantes, quod oportebat, Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non ueritate fallente, sed ipsi ueritatem percipere non ualentibus, & aliud quam res est opinantibus, certi etiam mysterij causa factum est, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent. Ne quisque se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiae, cuius unitatem in sacramento panis commendat. Apostolus, dicens: Unus panis, unum corpus multi sumus, ut cum eius benedictum panem porrigeret, apperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. Aperitur utique ad eius cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur, ne agnoscerent. Non autem incongruenter accipiamus hoc impedimentum in oculis eorum a Sarana fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed tamen a Christo facta est, permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci, Amen.

Impedimentum a Sarana ne agnoscerent.

FERIA TERTIA PASCHAE LECTIO ACTVVM

Apostolorum.



**S**urgens Paulus & manu silentium indicens ait: Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in uobis timent Deum, uobis uerbum salutis huius missum est: Qui enim habitabant Hierusalem & principes eius, ignorantes Iesum & uoces Prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt. Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consumassent omnia, quae de eo scripta erant deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento. Deus uero suscitauit eum a mortuis. Qui uisus est per dies multos hijs qui simul ascenderant cum eo de Galilaea in Hierusalem, qui usque nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos uobis annuntiamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs uestris. Resuscitans Iesum Christum Dominum nostrum.

**S**urgens Paulus & manu silentium indicens ait: Viri fratres, filij generis Abraham, &c.) Omnes quibus ista loquebatur Apostolus, secundum carnem filij Abraham erant, sicut & ipsi de se ipsis hoc in loco dixerunt. Semen Abraham sumus, & nulli serui uimus unquam, & item: Pater noster Abraham est, & Dominus illis: Scio quia filij Abraham estis. Immitatione enim non filij Abraham erant illi, quibus Dominus loquebatur: Vos ex parte diaboli estis, unde ergo Iudei filij diaboli: non nascendo sed imitando: Vos, inquit Dominus, ex parte diaboli estis & desideria patris uestri facere uultis. Ecce unde filij diaboli: Quae sunt illius desideria: Ille homicida erat ab initio, & uos queritis me occidere. Ecce quomodo immitatione filij diaboli: Nam & filij erant Abraham propter originem carnis, quibus ista Apostolus loquebatur, & filij immitationis, propter castitatem timoris. Quibus specialiter dicebat: & qui in uobis timent Deum.

Verbum salutis missum est.) Illud utique, de quo Esaias ait: Verbum misit Dominus in Iacob & cecidit in Israel, id est, misit Deus filium suum, de quo Ioannes ait: In principio erat uerbum & uerbum erat apud Deum & Deus erat uerbum, ad Iacob, id est, ad Iudeos, & uenit ad Israel, hoc est, ad gentium populum. Dei autem uerbum ipse est Dei filius. Quapropter cum eum pater uerbo misisset a patre, & in uerbo eius factum est, ut mitteretur. Ergo a patre & filio missus est idem filius, quia uerbum patris est ipse filius, in ipso Dei uerbo, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat, in ipsa scilicet sapientia Dei erat, quo tempore uerbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quae plenitudo temporis cum uenisset, misit Deus filium suum factum ex muliere, ut incarnatum uerbum hominibus appareret.

Hiero. Esai. 2.

Qui

**A** Qui enim habitabant Hierusalem & principes eius, &c.) Hinc in Actibus Apostolorum scriptum est: Moses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum praedicat in synagogis, in his testimonijs manifeste declaratur, quia lectio legis uel Prophetarum a Iudejs sabbato semper in synagogis legebatur.

**C**umque consummassent omnia quae de eo scripta sunt.) Haec uerba & Ioannes hoc modo narrat, dicens: Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaret scriptura dicit: SITIO &c. Peractis omnibus Iesus, quae ante suam mortem peragi oportebat, quando uoluit & sicut uoluit tradidit spiritum.

**D**eponentes eum de ligno.) A Mose in haeremo aereus serpens ligno suspensus est, ut Dominus & in serpente mortuus, & in aere significaretur aeternus, uidelicet, ut indicaretur mortuus per humanitatem, & tamen esset, quasi aeneus per diuinitatem.

**Q**uid respondendum est Iudejs obicientibus testimonij illud: Maledictus omnis qui pender in ligno. Maledictum esse hominem qui in ligno pendeat, sed noxium non innocentem. Neque enim innocentiae potest esse maledicti poena peccati. Etenim si Mardocheus preparato ligno ad penam sententiae regiae crudelitatis explest, nunquid eum dignum hac maledictione iudicarent? Non omnino idcirco Dominus noster pependit in ligno, ut nos a delicto, quod in ligno fuerat perditionis ad nihilum, ligno ad penam absolueret.

**P**osuerunt in monumento.) In monumento nouo positus est Iesus, in quo nondum positus erat, sicut in uirginis utero nemo ante illum, nemo potest illum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

**D**eus uero suscitauit eum a mortuis.) Radix amara crucis euauit, flos uirginitatis fructibus surrexit in gloria. Haec est uirga Aaron, quae post siccitatem floruit. Virga enim post ariditatem uirescens, Christus est post mortem resurgens. Qui est flos uirginum, corona martyrum, gratia continentium.

**Q**ui uisus est per dies multos.) Id est, per dies quadraginta. Non tamen eis per omnes quadraginta illos dies continuo apparuit, sed quoties uoluit, quibus uoluit & quemadmodum uoluit apparuit.

**H**is qui simul ascenderunt cum eo de Galilaea in Hierusalem, &c.) Salua hystoria uideamus intelligentiam, Galilaeae namque transmigratio facta interpretatur. Hierusalem uisio pacis. Illi enim cum Domino de Galilaea ascenderunt in Hierusalem, qui prius hic uitiorum fontem respicientes, ad uirtutum culmina transmigrant. Illi scilicet, cum redemptore nostro a passione ad resurrectionem, a morte ad uitam, a poena ad gloriam, a corruptione ad incorruptionem transmigrabant in Hierusalem: Coelesti quandoque Deum leti uidebunt, qui hic modo uitij derelictis ad uirtutum celsitudinem transierint.

**E**t nos uobis adnuntiamus ea quae ad patres nostros repromissio facta est, &c.) Abraham enim dictum est: In te benedicentur uniuersae cogitationes terrae. Iacob autem: Et benedicentur in te & in semine tuo cunctae tribus terrae. Quod Apostolus exponens ait: Non dixit in feminibus, sed in semine tuo, quod est Christus. Semen quidem Abraham Christus est, in cuius nominis si de omnibus terrae familijs Iudejs uidelicet & gentibus est benedictio repromissa, id est, significat, dabo uobis sancta Dauid fidelia, id est, quaecumque Dauid promissi, eadem uobis fidelis spem implere, Christum scilicet de eius stirpe nasciturum.

EVANGELIUM LUCAE CAP. XXIII.



**T**etit Iesus in medio discipulorum suorum, & ait illis: Pax uobis, ego sum, nolite timere: Conturbati uero & conterriti existimabant se spiritum uidere. Et dixit eis, Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra, uidete manus meas & pedes, quia ego ipse sum, palpate & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cum haec dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus praegaudium dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis

n 4 ass

**C**affi & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportet pati Christum & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes.

**S**tetit Iesus in medio discipulorum suorum & dixit illis: Pax uobis, ego sum, nolite timere.) Hanc ostensione Domini post resurrectionem, & Ioannes commemorat, dicens: Cum esset sero die illo una sabbatorum & fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, uenit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax uobis. Quid mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam in æternum iam uisurus intrauit, qui mortuus ueniens, non aperto utero uirginis exiuit. Quod autem dicit Ioannes, non cum illis fuisset tunc Apostolum Thomam, cum, secundum Lucam, duo illi, quorum erat unus Cleophas regressi Hierusalem inueniunt congregatos undecim, & eos, qui cum ipsis erant. Proculdubio intelligendum est, quod inde Thomas exierit antequam Dominus hæc loquentibus appareret.

**Conturbati uero & contreriti existimabant se spiritum uidere.)** Quod hæretici Manichei de Christo suspicantur & credunt, quia non erat uera caro, sed spiritus erant, hæc prima cogitatio surrexit in cordibus Apostolorum. Et illi quidem Manichei nunquam credunt Iesum fuisse hominem, discipuli autem nouerant hominem, cum quo tantopere fuerant conuersari. Sed postea quàm mortuus est, quod nouerant quando crederent, hoc potuisse resuscitari quod potuit mori. Apparuit ergo oculis ipsorum talis, qualem illum nouerant, & non credentes tertia die potuisse ueram carnem de sepulchro resurgere, putauerunt se spiritum uidere. Error iste Apostolorum facta est Manichæorum. Solent autem quando illis hæc obiciuntur, ita respondere: Quid mali credimus, quia Christum Deum credimus, spiritum fuisse credimus, carnem non credimus. Melior est spiritus quàm caro, quod melius est credimus, quod deterius est credere nolimus. Si nihil mali est in isto sermone, dimittat Iesus discipulos suos in isto errore. Quid mali crediderunt & discipuli? Christum spiritum crediderunt. Non enim esse putauerunt nullum, sed spiritum. Paruo morbo te putas periclitari? Audi sententiam medici.

**Et dixit eis, quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda uestra.)** Quales utique cogitationes, nisi falsæ, morbide, pernitiosæ. Perdidisset enim Christus fructum passionis, si non esset ueritas resurrectionis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra? Tanquam bonus agricola diceret: Quod ibi plantauimus, ibi inueniamus, non spinas, quas non plantauimus in corde uestro. Descendit fides, quia desuper est. Cogitationes autem istæ non desuper descendunt, sed in ipso corde sicut herba mala ascenderunt.

**Videete manus meas & pedes meos, quia ipse ego sum, &c.)** Resurrectionem suam certam & ueram multis & uarijs documentis persuadet, perfidiam omnemque dubitationem de sua resurrectione tollendam. Parum fuit oculis se uidendum præbere, si non præberet etiam manibus contrectandum. Qui dum palpanda discipulis ossa carnemque premonstrat, aperte statum uere resurrectionis, quæ & in se nunc facta & in nobis est futura significat, quia non sicut Euthicius Constantinopolitanæ urbis Episcopus scripsit: Corpus nostrum in illa resurrectione gloria erit inpalpabile, uentis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentie, sed palpabile per ueritatem nature. Neque huic assertioni putetur Apostoli sermo repugnare: Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Hoc enim loco Apostolus carnis & sanguinis nomine, non substantiam ueri corporis, sed corruptionem mortalitatis significat. Sicut ipse consequenter exposuit, dicens: Neque corruptio incorruptelam possidebit. Aliter namque caro in scriptura sacra iuxta naturam, aliter iuxta culpam, aliter iuxta corruptionem mortalitatis, quæ ex culpa contingit appellatur, iuxta naturam quidem, cum dictum est: Hoc nunc ex ossibus meis & caro de carne mea: Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis. Iuxta culpam uero dicitur: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Iuxta corruptibilitatem autem cum scriptum est: Et memorati sunt, quia

**A** quia caro sunt, ideo fragiles & moribundi, hoc enim se carnis nomine designasse manifestat, ipse Psalmista, qui protinus addit: Spiritus uadens & non rediens. Regnum itaque Dei caro non possidebit, id est, caro iuxta culpam uel mortalitatem, & tamen caro possidebit regnum Dei. Ideo caro iuxta naturam, quàm & Dominus post resurrectionem uidendam palpandamque discipulis exhibuit. Et de qua beatus Hiob, cum gloriam resurrectionis describeret, ait: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Lege Epistolam sancti Augustini ad Confessionem, de corpore Domini post resurrectionem.

**Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.)** Non solum manus & pedes, quibus indita clauorum claruere uestigia, sed adstante Ioanne, etiam latus quod lancea foratum fuerat ostendit, ut uidelicet ostensa uulnerum suorum cicatrice, dubitatis atque infidelitatis eorum uulnus sanaret. Verum quomodo post resurrectionem clauorum uel lanceæ loca palpando discipulorum dignatus est fidem, spemque roborare, ita in die iudicii & eadem suæ passionis indicia, & ipsam pariter crucem monstrando uenturus est impietatem superborum infidelitatemque confundere, scilicet ut ipsum se esse, qui ab impijs & pro impijs mortuus est, cunctis palam angelis & hominibus ostendat, uideantque ut scriptum est: In quem punxerunt, & plagam se super eum omnes tribus terræ. Sane notandum quod solent in hoc loco gentiles calumniam struere, & fidem sperantem à nobis resurrectionis stulta garrulitate deridere. Si enim ipse Deus uoster, inquit, nec sibi inflata à Iudeis uulnera curare præualuit, sed cicatricum uestigia celo, secum ut dicitis, iuexit, qua temeritate putatis eum uestra de puluere membra ad integrum esse restauraturum? Quibus respondendum, quia Deus noster, qui suam perpetuam immortalitatem immortalitatem de sepulchro carnem resuscitare quando uoluit, & quomodo uoluit, potuit, etiam qualis uoluit suscitauit. Neque enim consequens est, ut qui maiora fecisse probat, minora facere nequiter, sed certe dispensationis gratia, qui maius fecit, minus facere superedit, hoc est, qui mortis regna destruxit, signa mortis obliterare noluit. Primo uidelicet, ut per hæc discipulis fidem suæ resurrectionis astrueret. Deinde, ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro mortalium uita pertulerit, super ostendat. Tertio, ut sua morte redemptis, quàm misericorditer sint adiuti, propositis semper eiudem mortis innouet indicijs. Ideoque misericordias Domini in æternum cantare non cessent, sed dicant qui redempti sunt à Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Postremo ut etiam perfidis in iudicio quàm iuste damnentur, ostensa inter alia flagitia, etiam uulnerum quæ ab eis suscepit cicatrices denunciaret, ueluti si miles aliquis fortissimus, iubente suo rege, pro rotius gentis salute, singulari certamine defudans, multis quidem uulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, spolia eius diripiat, uictoriam suæ genti reportet, & interrogatus à medico cui curandus committitur, ita ne uelit curari, ut nec uestigia uulnerum ulla resedeant, an magis ita, ut cicatrices eadem remaneant, deformitas uero prorsus hominis & foeditas ablit. Respondeat se potius ita uelle sanari, ut toto salutis decorisque pristini statu recuperato, perpetua secum tanti circumferat signa triumphi. Sic profecto Dominus perpetuis ob signum uictoriæ non excepta pro nobis uulnera passionis, sed ipsorum cicatrices celo secum inferre quàm abolere maluit, nec tamen ex his quippiam fidei nostræ resurrectionis præiudicat. De qua ueraci promissione prædicitur: Et capillus de capite uestro non peribit.

**B** Adhuc autem non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? Ad insinuandam resurrectionis suæ ueritatem, non solum tangi à discipulis, sed etiam conuersi cum illis dignatur, non quasi qui dem post resurrectionem cibo indigens, nec quasi nos in resurrectione quam expectamus, cibis egere significans, sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi non solide, sed imaginatiter apparere. Manducauit potestate, non necessitate. Aliter enim absorberet aqua terra sitiens, aliter solis radius candens, ille indigentia, ille potentia.

**At illi obtulerunt ei partem piscis affi & fauum mellis, & cum manducasset coram eis sumens reliquias dedit eis.)** Quid significare credimus piscem assum, nisi ipsum mediatorum Dei & hominum passum? Ipse enim latere dignatus in aquis generis humani, capi uoluit ille quoque mortis nostre, & quasi tribulatione assatus est, tempore passionis suæ. Sed qui piscis affi fieri dignatus est in passione, fauus mellis nobis extitit in resurrectione. An qui in pisce affi figurari uoluit tribulationem passionis suæ, in fauo mellis utranque naturam exprimere uoluit personam suam. Fauus quippe mel in cera est, mel uero in cera est, diuinitas in humanitate. Sic autem sua redemptor

Ioan. ult.

Manichæorum error.

Euthicij Episcopi Constantinopolitani error. 1. Cori. 15.

Gen. 2. 1041. 1.

1. Cor. 15.

106. 19.

Psal. 117. 155.

Luc. 21.

C dēptor indicat, ut immitationis uiam nobis sequētibz sternat. Ecce enim in cibo suo pisce affo cōiungere fauum uoluit, quia uidelicet illos in suo corpore ad eternam quietem suscipit, qui cū hic tribulationes pro Deo sentiunt, ab amore internæ dulcedinis non recedunt. Cum affo pisce fauus sumitur, quia qui hic afflictionem pro ueritate suscipiunt, illic dulcedine uera faciuntur.

Et dixit ad illos: hęc sunt uerba quę locutus sum ad uos, cum ad huc essem uobiscum. Hoc est, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis & uos. Tunc enim in eadem carne, sed cum illis in eadem mortalitate non erat, & cum illis quidem posteaq̄ resurrexit, fuit quadraginta diebus, ut legitur exhibitione corporalis presentię, sed non cū illis fuit consortio infirmitatis humanę.

Quoniam necesse, ut impleatur omnia quę scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me. Vide quomodo tulit omnes ambages, uisus est, tactus est, manducauit, ipse certe erat. Tamen ne in aliquo sensus humanos ludificasse uideretur, misit manus ad scripturas. Dicant pagani quicquid uolunt, magus fuit, potuit sic se ostendere. Nūquid magus antequam natus, potuit sic se Prophetare? Da scripturas, quia quod uidetis ante prouisum est, quod cernitis ante predictum est: Audi filia & uide, audi predicta, uide cōpleta.

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis die tertia. Prębet se uidentem oculis, prębet manibus contrectandum, parum est leges cōmemorari scripturas, & hoc parum est aperiri sensum, ut quod legis intelligas, deinde per cōmendatam sui corporis ueritatem, commendat Ecclesię unitatem.

Et prædicare in nomine eius, pœnitentiam &c. Non latet prauitas hereticorum, de angulo toto orbe terrarum Ecclesia diffusa est, omnes gentes habent Ecclesiam. Nemo nos fallat, ipsa est uera, ipsa est catholica, cœpit ab Hierusalem, peruenit ad nos, & ibi est, & hic. Non enim ut huc ueniret inde discessit, creuit non migravit. Et merito sic scriptum est, inter cetera dominicę pietatis sacramenta: Et sic oportebat, ut ministri sermonis, qui in nomine Christi crucifixi & resuscitati a mortuis, pœnitentiam erant & remissionem peccatorum in omnes gentes predicaturi: Ab Hierosolymis inciperent, non solum, quia credita sunt illis eloquia Dei, quia eorum adoptatio est filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & obsequium, & promissa, quia eorum patres, & ex his Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Verum etiam ut gentes, quę uarijs erant erroribus, & facinoribus implicatę, hoc maxime diuinę pietatis indicium, ad spem impetrandę uenię prouocaret, quod eis quoq̄ qui filium Dei crucifixi erant, non tantum ueniam reatus a patre, sed & uitę eternę gaudium uiderent esse donatum.

FERIA III. PASCHÆ ACTVVM APOSTOLORVM CAP. III.



Periens Petrus os suum dixit: Viri Israël, et qui timetis Deū, audite, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem uos qui dem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti. Vos autem iustum & sanctum negastis, & petistis uirum homicidā donari uobis, auctorem uero uitę interfecistis, quę Deus suscitauit a mortuis, cuius nos testes sumus. Et nūc fratres scio, quia per ignorantia fecistis, sicut & principes uestri. Deus autem, qui pręnunciavit per os omnium Prophetarum pati Christum suū impleuit sic. Pœnitentini igitur & conuertimini, ut deleantur uestra peccata.

A Periens Petrus os suum dixit. Notandum quod uiros de genere Israël, & timentes Deum ad audiendū Domini prouocat uerbum. Viri enim dicuntur a uiribus, qui nesciunt tolerādo desicere, aut in prosperis aliqua se elatione iactare, sed animo stabili desicere & cœlestium rerum cōtemplatione firmati, manent semper in pauidi: Qui timetis Dominū, inquit,

A Inquit audite, id est, qui reuerentiam habetis nominis eius, quia eius uerba non meretur audire, nisi qui cognoscitur & timere. Timor autem Domini, quia iustus & rectus est. Auditum renouat, amore tribuit, ardorem castitatis inflammat.

Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum. Poterat dicere Deus Abraham, Isaac & Iacob, sed ter nominat Deū Abraham, Deum Isaac, Deū Iacob, ut tu intelligas patrem & filium & spiritū sanctum, & ne tibi scandalū tera Dei nomina tio generare addit: Deus patrum nostrorum, prouident enim personas distinguit & naturā uniuert.

Glorificauit filium suum Iesum. Glorificauit filium suū, quando post resurrectionem nimis mirabile totius mundi credulitate, Deus ei in eo quod homo factus est, habere cōcessit. Glorificauit eū gloria resurrectionis, glorificauit gloria ascensionis, & glorificauit suę dextrę

quem uos quidē tradidistis. Hinc enim respondit Pilatus Dominus. (Sessione. no dicens: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti? subaudit, ut traderis mihi. Tradiderunt enim Domini sacerdotes per inuidiam, tradidit Iudas per cupiditate, tradidit pater pro nostra liberatione, tradit semetipsum filius pro nostra dilectione. De patre enim ait Apostolus: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. De filio autem: Qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis.

Et negastis ante faciem Pilati. Dicentes: Crucifige, crucifige, talem nos nō habemus regem nisi Cæsarem, nos legem habemus, & secundum legem debet mori, qui filium Dei se fecit.

Iudicante illo dimitti. Querebat enim, ait Euangelium, Pilatus oportunitate ut dimitteret Iesum, dicens: Ego non inuenio in eo causam, sed neq̄ Herodes, Pilatus mittit ad Herodem, Herodes remittit ad Pilatum. Inter duas impietates, discurrit pietas, & tamen impietas pietatem non potest condemnare. Præfens est reus, & nō inuenitur reatus. Tradidistis mihi hūc hominem, inquit, quasi auerentem populum, & ecce coram uobis interrogans, nullam causam inuenio in eo, in his in quibus eum accusatis, dicitis, quod præcipiat tributa non solui Cæsari cōmprobauit falsum esse, quod obicitis. Docere hunc contra legem dicitis, probauit eum non destruere legem, sed adimplere, omnia quę obicitis in diuersum inuenta sunt.

B Et petistis uirum homicidam dari uobis. Erat autem, ait Euangelium, qui dicebatur Barrabas, uinctus, qui in seditione fecerat homicidiū. Barrabas enim filius patris interpretatur, significat diabolum, qui multas seditiones in toto concitat orbe, homicidia scilicet & adulteria & omnia crimina. Qui statim ut Iesus crucifixus est, Barrabas iste dimissus, suffocac populum Iudæorum.

Autorem uero uitę interfecistis, &c. Illum qui blasmauit hominem delicto terrę, & inspirauit in faciem eius spiraculum uitę, & factus est homo in animā uisentem. Illū quia dixit: Ego sum uita, ueritas & uita, & de quo Ioannes: Hic est uerus Deus & uita eterna.

Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis. Si enim cognouissent, ait Apostolus, nunq̄ Dominum glorię crucifixissent.

Deus autem qui pręnunciavit per os omnium prophetarū, pati Christū suum impletū sic. Hinc & ipse Dominus Cleophe & alio discipulo ait: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quę locuti sunt prophetę. Nonne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens a Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis de omnibus scripturis, quę de ipso erant. Si enim Moses & omnes prophetę Christum locuti sunt, & hunc per angustiam passionis in gloriam suam intraturum, qua ratione se gloriantur esse Christianos, qui iuxta uirum suarum modulum, neq̄ scripturas, qualiter ad Christum pertineant inuestigare, neq̄ ad gloriam quam, cum Christo habere cupiunt, per passiones tribulationum desyderant adtingere.

EVANGELIUM IOANNIS. CAP. VLTIMVM.



Manifestauit se Iesus iterum discipulis suis ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didimus, & Nathanael, qui erat a Chana Galileę, & filij Zebedei, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon

Trinitatis mysterium.

Iohan. 18.

Uultus faciem tradidit Christi.

Inter duas impietates discurrit pietas.

Barrabas interpretatur Diabolum.

Iohan. 1. ult. ult. ult.

Luce. ultimo.

Beda.

Rom. 3.

**C** Simon Petrus. Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem facto stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt, quia Iesus est. Dixit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo & iam non ualebant illud trahere præ multitudinem piscium. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se. Erat enim nudus, & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio uenerunt. Non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis, trahentes rete piscium. Ut ergo descendere in terram, uiderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit ergo Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite prandere. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu qui es? scientes quia Dominus est. Et uenit Iesus & accepit panem, & dedit eis & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.

**M**anifestauit se Iesus ad mare Tyberiadis, manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didimus, & Nathanael, qui erat à Chana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari: Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil percipiunt. Quæri enim potest cur Petrus, qui piscator ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem redijt, & cum ueritas dicat: Nemo mittens manum suam in araturum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei, cur repetijt quod dereliquit? Sed si uirtus discretionis intenditur citius uidetur, quia nimirum negotium quod ante conuersionem sine peccato exiit, hoc etiam post conuersionem culpa repetere non fuit, nam piscatorem Petrum, Matthæum uero telonarium scimus. Et post conuersionem suam ad piscationem Petrus redijt, Matthæus uero ad telonij negotium non redijt. Quia & aliud est uictum per piscationem querere, aliud telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi, aut uix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conuersionem animus non recurrat.

**M**ane autem iam facto, stetit Iesus in litore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei, non. Quæri potest, cur discipulis in mari laborantibus, post resurrectionem Dominus in litore stetit, qui ante resurrectionem suam, coram discipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio festiue cognoscitur, si ipsa quæ tunc inerat causa pensetur. Quid enim mare, nisi præsens seculum significat, quod se caussarum tumultu & undis uitæ corruptibilis inlidit? Quid per soliditatem litoris, nisi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur, quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis uitæ inerant, in mari laborabant, quia uero redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in litore stabat, ac si ipsum resurrectionis suæ mysterium, re ipsa discipulis loqueretur, dicens: Jam uobis in mari non appereo, quia uobiscum in perturbationis fluctibus non sum. Facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut magistro ueniente fieret admirationis magnæ sublimitas.

Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete & inuenietis. Bis in sancto Euangelio legitur, quia Dominus iussit, ut ad piscandum retia mitterentur. Ante passionem uidelicet,

**A** delictet, & post passionem. Sed priusquam redemptor noster pateretur & resurgeret, mitti quidem re ad piscandum iubet, sed utrum in dextram an in sinistram mitti debuisset non iubet. Post resurrectionem uero discipulis apparens, mitti rete in dextram iubet. In illa piscatione tanti capti sunt, ut retia rumpereur, in ista autem & multi capti sunt, & retia rura non sunt. Quis uero nesciat, bonos dextra & malos sinistra figurari? Illa ergo piscatio in qua specialiter in quam partem mitti rete debeat non iubetur, præsentem Ecclesiam designauit, quæ bonos simul ac malos colligit, nec eligit quos trahat, quia & quos eligere possit ignorat. Hæc autem piscatio post Domini resurrectionem facta in solam dexteram missa est, quia ad uidentiam claritatis eius gloria sola electorum Ecclesia pertingeret, quæ de sinistro opere nil habebit. In illa piscatione præ multitudinem piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem fidei etiam cum electis reprobis tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam heresibus scindant. In ista uero piscatione, & multi pisces & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta electorum Ecclesia, in continua autoris sui pace requiescens, nullis iam dissensionibus dilaniatur.

**M**iserunt ergo retia, & iam non ualebant illud trahere à multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quæ diligebat Iesus Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare, alij autem discipuli nauigio uenerunt, non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium. Ut ergo descendere in terram, uiderunt prunas positas & piscem superpositum & panem.

Ubi non est intelligendum etiam panem fuisse superpositum prunis, sed tantum subaudiendum uiderunt. Ideo uiderunt prunas positas, & piscem superpositum uiderunt, & panem uiderunt. Uel ita potius: Uiderunt prunas positas, & piscem superpositum, uiderunt & panem.

**A**fferre de piscibus quosprehendistis nunc, ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram. Captis autem tam magnis piscibus, ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram. Iam credo quod uestra charitas aduertit, quid est quod Petrus ad terram rete trahit, ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur: Simon Ioannes amas me? **B** pasce oues meas. Quod ergo postmodum aperitur in uoce, hoc nunc signatur in opere. Quia igitur prædicator Ecclesiæ nos à mundi uitæ huius fluctibus separat, nimirum necesse est, ut rete plenum piscibus, Petrus ad terram ducat. Ipse enim pisces ad soliditatem litoris pertrahit, qui sanctæ prædicationis uoce, stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit. Hoc egit uerbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis, quoties per eum ad amorem quietis æternæ conuermur, quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud, quam missi intra rete fidei pisces ad litus trahimus.

**P**lenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus.) A magno mysterio numerus non uacat, sed intentos uos tantum mysterij profunditas expectat. Nec etenim quantitatibus summam solter Euangelista exprimeret, nisi hanc sacramento plenam esse iudicasset. Scitis namque, quod in Testamento Veteri omnis operatio per decalogi mandata præcipitur, in Nouo autem, eiusdem operationis uirtus per septiformem gratiam sancti spiritus multiplicatis fidelibus datur, quem propheta denunciatus, dicit: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini. Sed ille in hoc spiritu operationem percipit, qui fidem trinitatis agnoscit, ut & patrem, & filium, & eundem spiritum sanctum, unius uirtutis credat, unius substantiæ esse fateatur. Quia igitur septem quæ superius diximus, per nouum Testamentum latius data sunt. Decem uero per uetus præcepta, omnis nostra uirtus & operatio, per decem & septem potest plene comprehendere. Ducamus ergo per trigonum decem & septem, & ueniunt quinquaginta & unum, qui profecto numerus à magno mysterio non uacat, quia iam in Testamento Veteri legimus, quod annus quinquagesimus, iubilæus uocari iussus est, in quo uidelicet cunctus populus ab omni opere requiesceret. Sed uera requies in unitate est. Diuidi quippe unum non potest, ubi enim scissura diuisionis est, uera requies non est. Ducamus, per trigonum quinquaginta & unum, & fiunt centum quinquaginta tres. Quia igitur & omnis operatio nostra & uirtus, in fide trinitatis exhibita, ad requiem tendit. Septem & decem ter ducimus, ut ad quinquaginta & unum uenire debeamus, & uera nostra requies tunc est, cum ipsam iam claritatem trinitatis agnoscimus, quam in unitate diuinitatis esse certam tenemus. Quinquaginta & unum ter ducimus, & electorum summam in superna patria, quasi centum quinquaginta quattuor piscium

Concordia du  
plicis piscatio  
nis. Luc. 5. &  
Ioan. ultimo.

Greg.

Mysterium in  
numero. 153.

Esaiæ. 11.

Lucæ. 9.

Quæstio cur  
non apparet  
in fluctibus.

Mane mundus est.

**C** scitū numerum tenemus. Post resurrectionē uero Domini missum rete, dignū fuit, ut tot pisces caperet, quod solūmodo electos superne patrię designarent. Est quoq; alia supputatio huius septenarij & denarij numeri, nam si ab uno omnes numeros cōputes usq; ad decē & septē, hoc modo, unū, duo, tres, sunt, adde tres, sunt sex, his adiunge quatuor, sunt decē, his quinque, & habebis quindecim, & sic crescentibus numeris & multiplicatis usq; ad decē & septem, sit omnium numerorū summa istorum, qui multiplicat ab uno usq; ad decem & septem, centū quinquaginta tres, quę cōputatio superiori significationi, hoc est, legis in denario, & gratia in septenario, satis cōgruenter cōueniet. Sed plura possunt inde considerari admiratione digna, quę huius temporis angustia prōhibet nos omnia dicere.

Et cū tanti essent, nō est scissum rete.) Adiecit Euangelista rem necessariā dicens: Et cū tanti essent, siue tam magni, sicut superius dicit: plenū magnis piscibus, nō est scissum rete, id est, magni erant, sed inter eos heresis nō erat, & ideo magis hereses nō erant, qui magni erant.

Dicit eis Iesus: Venite prandete, & nemo audebat discumbentium interrogare, tu quis es? Sensus ergo hic est: Tanta erat euidētia ueritatis, quā Iesus illis discipulis apparebat, ut eorū non solum negare, sed ne dubitare quidem ullus auderet. Quomiam si quisq; dubitaret, utiq; interrogare deberet. Sic uero dictum est: Nemo audebat interrogare eum: Tu quis es? ac si diceretur, nemo audebat dubitare, quod ipse esset.

Et uenit Iesus, & accepit panem & dabat eis, & piscem similiter.) Notandum quoq; quod ultimū conuiuium Dominus cum septē discipulis habuisse describit, Petrus namq; & Thomas, Nathanael, & filij Zebedę, & alij ex discipulis eius duo in eo fuisse memorantur. Cur cū septem discipulis ultimū conuiuiū celebraret, nisi quia eos tantummodo qui se priformi gratia sancti spiritus pleni sunt, futuros secū in æterna resurrectione denunciat. Septē quoq; diebus omne hoc tempus euoluūt, & sepe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo cōuiuiū de presentia ueritatis epulantur, qui nūc perfectionis studio terrena transcendūt, quos mundi huius amor non ligat, quibus & si utcumq; per tentamenta obstrepiūt, cœpta tamē eorum desideria non retundit. De hoc extremo cōuiuiū, aliās per Ioannem dicitur: Beati qui ad cœnam nuptialem agni uocati sunt. Idcirco enim non ad prandium, sed ad cœnam uocatos narrat, quia nimirum in fine diei conuiuium cœna est. Qui ergo finito presentis uitæ tempore ad resurrectionem supernę contemplationis ueniunt, non ad agni prandium, sed ad cœnam uocantur, quæ uidelicet cœna, hoc ultimo conuiuiū exprimitur, cui septem discipuli adesse memorantur. Quia illos, ut diximus, tunc in æterna resurrectione recipiet, qui pleni nunc septiformis gratiæ in amore spiritus anhelant.

Quid est quod redemptor noster piscem assūm post resurrectionem manducauit, & in alio Euangelio dicitur, cū pisce asso fauū mellis, in isto uero panē cum pisce? Quid enim piscis assus significat, nisi Christum passum, quid in fauo mellis, nisi diuinitatis dulcedinem. Piscis est, quia ipse latere dignatus, in aquis generis humani est, capi uoluit laqueo mortis nostrę, & quasi tribulatione affatus est tempore passionis suę, sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione, fauus mellis nobis exiit in resurrectione. An qui in pisce asso figurari uoluit tribulationē passionis suę, in fauo mellis utranq; naturam exprimere uoluit personę suę. Fauus quippe mel in cera est, mel uero in cera, est diuinitas in humanitate, quod ab hac quoq; lectione non discrepat, nam piscem cōedit & panem, qui enim assari ut piscis ponit ex humanitate, pane nos resicit ex diuinitate, qui ait: Ego sum panis uitæ qui de cœlo descendi. Assum uero piscem cōedit & panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet, quia & passionē ex nostra humanitate pertulit, & resurrectionem nostram ex sua diuinitate procurauit.

Hoc iam tertio manifestauit se Iesus discipulis suis cum resurrexisset, &c.) Hoc non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus, hoc est primo die, cū resurrexerit, & post dies octo, quando discipulus Thomas uidit, & credidit, & hoc die quando hoc de piscibus fecit, post quot autem dies hoc fecerit, hic dictum non est, nam ipso primo die non semel uisus est, sicut Euangelistarum omnium testimonia conlata demonstrant, sed sicut dictum est, secundum dies numerandę sunt manifestationes eius, ut ista sit tertia.

ITEM AVGVSTINVS IN HOMELIA PASCHAE.

**L**iberatoris nostri prædicatio nostra est liberatio. Duas autē aduertimus in sancto Euangelio piscationes, id est, quando ad uerbū ipsius missa sunt retia, unam prius, quando discipulos elegit, & hanc alterā, quando a mortuis resurrexit. Illa piscatio significauit Ecclesiam qualis est modo,

**A** modo ista uero post resurrectionē Domini significauit Ecclesiam, qualis futura est in fine seculi. Deniq; in illa iussit mitti retia, & nō dixit, in quam partē, non dixit in dextram aut in sinistram, pisces enim homines significabant. Si ergo diceretur in dextram, soli boni futuri erant. Si diceret in sinistram, soli mali. Quia uero promixti fuerant futuri in Ecclesia boni ac mali, sine differentia missa sunt retia, ut caperentur pisces, significantes mixturam bonorum ac malorum.

Tria ergo in illa piscatione prima significata sunt. Mixtura bonorum & malorum, pressura turbarum, separationes hereticorum. Mixtura bonorum & malorum, quia nec in dextra, nec in sinistram missa sunt retia. Pressura turbarum, quia tantū captū est, ut nauiculam premerent. Tunc separationes hereticorum, quia tanta fuerat multitudo, ut retia rumpent. Respicite nūc ad istam piscationem, quæ hodie recitata est, facta est enim post resurrectionem Domini, ut significaret, talem futuram Ecclesiam post nostram resurrectionem: Mittite, inquit, retia in dextrā partem. Discretus est ergo numerus eorum, qui ad dextram stabāt. Ques enim ponet ad dextrā, hedos ad sinistram: Mittite, inquit, in dextram, tanq; diceret: Et iam resurrexi, Ecclesiam uolo significare, quæ ut erit in resurrectione mortuorum. Ibi dicta est, multitudo, id est, in prima piscatione, sed non certus numerus. In secunda autem & multitudo & magnitudo, & certus dicitur est numerus. Modo anteq; ueniat resurrectio & separentur boni à malis, illud implet quod ait Propheta: Adnunciaui & locutus sum. Quid est, adnunciaui? retia misi. Et quid multiplicati sunt super numerum? Numeros ad sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerum modo in Ecclesiam intrare possunt, in regnum cœlorum non possunt.

**Petrus retraxit retia ad litus.)** Modo cū Euangelij legit audistis. Vbi audis litus, intellige finem maris: ubi audis finē maris, intellige finē seculi. In illa piscatione, nō ad litus adtraeta sunt retia, sed ipsi pisces, qui capti sunt, in nauiculas fusi sunt, hic autem traxerunt ad litus. Spera finem seculi, uenturus est finis, bono dextrorum, malo sinistrorum. Quid? pisces adtraxerunt, inquit, retia habentia pisces centum quinquaginta tres. Et adiecit Euangelista rem necessariam: Et cū tam magni essent, non est scissum rete. Magni erunt, sed hereses non erunt, & ideo magis hereses non erunt, quia magni erunt. Quid sunt magni? Lege uerba ipsius Domini in Euangelio, & inuenies magnos, ait enim quodam loco: Non ueni legem soluere, sed adimplere: Amen amen dico uobis, quoniam qui cuiuscunq; soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic, id est, soluerit male uiuendo, & docuerit bona docēdo, minimus uocabitur in regno cœlorum, id est in Ecclesia, quæ modo est. Quia & ipsa uocatur regnum cœlorum, habet pisces simul natantes, & bonos & malos. In isto regno cœlorum, id est, in Ecclesia huius temporis, minimus uocatur ille, qui docet bona & agit mala, quia ibi est & ipse. Non enim talis ibi est in regno cœlorum, in est in Ecclesia, qualis est in illo tēpore. Docet bona, agit mala, necessarius est mercenarius est: Amen dico uobis, ait: per ceperunt mercedē suam. Qui autē fecerit & sic docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum. Ecce sunt illi pisces magni ad dexteram capti, qui secerit & sic docuerit, bona docuerit, non sibi loquenti, male uiuendo contradixerit, cum malæ uitæ testem habeat linguam bonam. Qui ergo fecerit & sic docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum.

**Dico autem uobis, quia nisi abundauerit iustitia uestra, super scribarū & pharisæorum, non intrabitis &c.)** Modo quomodo intelligis regnum cœlorum? illud unde dicitur quæritis: Venite benedicti patris mei percipite regnum? Nisi habundauerit iustitia uestra plus quam scribarum & pharisæorum. Quid est, plus quam scribarum & pharisæorum? Respicite scribas illos & pharisæos, qui in cathedra Moysi sedent. De quibus dictum est: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt. Ergo iustitia pharisæorum est, dicere & non facere. Abundet iustitia uestra super scribarum & pharisæorum, ut & bona dicatis, & bene uiuatis. Iam ergo de numero centum quinquaginta trium piscium, quid opus est eadem retexere? nostis illa. A decem & septem nascitur numerus crescens, incipit ab uno, peruenit ad decem & septem, ut omnes addas, id est, unum addas & duos, & fiant tres, addas tres, & fiant sex, addas quatuor & fiant decem, sic omnes adde usq; ad decē & septem, & peruenis ad centū quinquaginta tres. Tota ergo intentio nostra esse non debet, nisi quid sibi uolunt decem & septem, ibi est enim fundamentum centum quinquaginta trium. Quid sibi uolunt decem & septem, in lege agnosce decem, decem præcepta data sunt. Primo decalogus dicitur, scriptus in tabulis digito Dei, in decem agnosce legem, in septem agnosce spiritum sanctum. Septenario enim numero cōmendat spiritus sanctus. Ideo nominat in lege sanctificationis: Septimo die fecit Deus lucem, non dictum est, sanctificauit eum, Fecit firmamentum, non dictum est, sanctificauit

August.  
Supputatio  
denarij &  
septenarij.

Apoc. 19.

Luc. ultimo.  
Ioan. ultimo.

Ioan. 6.

Psal. 39.

Matth. 5.

Matth. 23.



etificauit firmamentum. Discreuit mare à terra, iussit germinare terram, non dictū est, sanctificauit: Fecit lunam & sydera, non dictum est sanctificauit: Iussit animalia procedere de aquis, natantia, & uolatilia, non dictum est sanctificauit: Iussit de terra exire animalia, quadrupedia, & omnia reptantia, non dictum est, sanctificauit: Fecit ipsum hominem, non dixit, sanctificauit. Ventum est ad septimum diem, ubi requieuit, & ipsum sanctificauit. Per requiem suam Deus significauit requiem nostram. Ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, ubi cū illo sine fine requiescimus. Nam quare Deus requiesceret, non enim operādo fatigatus est, tu si uerbo facias, nō fatigaris, si iubeas & continuo fiat, stas, integer manes. Pauca uerba dixit, unde totū fecit, & subito lassatus est, ergo legem agnosce in decem, spiritum sanctū agnosce in septē. Iungatur spiritus legi, quia si acceperis legē & deseruit tibi adiutorij spiritus, nō implet quod legis, nō implet quod tibi iubet. Sed homo sub lege, in super preuaricator tenetur. Accedat spiritus, adiuuet, & sit quod iubetur. Si desit spiritus, litera occidit te, quare litera occidit te, quia preuaricatore te faciet, non potes excusari de ignorantia, quia legem accepisti, iam quod faceres didicisti, ignorantia te nō excusat, spiritus te non adiuuat, ergo peristi. Sed quid ait Apostolus Paulus: Litera occidit, spiritus autē uiuificat. Vnde spiritus uiuificat: quia facit impleri literā, ne occidat. Isti sunt facti, qui faciūt legē Dei ex dono Dei. Lex iubere potest, iuuare non potest. Accedit adiutor spiritus, & sit iustum Dei cū gaudio cū dilectione. Nam multi faciūt à timore, sed qui faciunt legē tē mendo poenā, mallent nō esse quod timebant. Qui autē faciunt legē amando iustitiā, gaudent & tibi quia nō habent inimicā. Ideo dicit Dominus: Cōcorda cū aduersario tuo cito, cū es cum illo in uia. Quis est aduersarius tuus? sermo legis. Quē est uia? uita ista. Quomodo est illa aduersarius? dicit: Nō mox habebis, & tu uis mox haberi. Dicit: Nō cōcupiscas rē proximi tui, et tu uis rapere res alienas. Dicit: Honora patrē & matrem, & tu cōtumeliosus es in parentibus. Dicit: Lex: Noli diligere falsum testimonium, tu à mendatio nō recedis. Quando uides, quia ille sermo aliud iubet, & tu aliud facis, nō est aduersarius tuus, aduersarium habes malū, nō te cū intrat in secretariū, compone cū es cum illo in uia, adest Dominus qui uos cōcordet. Quomodo uos cōcordat Dominus? donādo peccata, & inspirando iustitiā, ut fiant opera bona. Cū ergo cōcordaberis cum aduersario tuo, id est, cum decalogo legis, per spiritum sanctum pertinebis ad decem & septem, iam exinde excreset numerus ad centum quinquaginta tres, eris ad dexteram coronandus, ne remeneas ad sinistram damnandus.

## FERIA V. LECTIO ACTVVM APOST. CAP. VIII.

**A**ngelus Domini locutus est ad Philippū dicens: Surge & uade contra Meridianum ad uia quę descendit ab Hierusalē in Gazā, hęc ē deserta. Et surgēs abiit, et ecce uir Aethiops Eunuchus, portēs, Cādacis reginę Aethiopiū, qui erat super oēs gazas eius, uenerat adorare in Hierusalē, & reuertebat sedēs super currū suū, legens quę Esaiam Prophetā. Dixit autē spiritus Philippo: Accede adiungere te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit illū legentem Esaiam prophetam & dixit: Putās ne intelligis quę legis? Qui ait: Et quomodo possum intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum ut ascenderet & sederet secum. Locus autem scripturę hic erat, quam legebat: Tancū ouis ad occisionē ductus est, & sicut agnus coram tōdente se, sine uoce, sic non aperuit os suū. In humilitate iudicium eius sublatū est, generatio nem eius quis enarrabit? quoniā tolletur de terra uita eius. Respondens autē Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc, de se, an de aliquo alio? Aperiens autē Philippus os suū, & incipiens à scriptura ista, Euangelizauit illi Iesum. Et dū irent per uia, uenerunt ad quandā aquā. Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Dixit autē Philippus: Si credis in toto corde, licet. Et respondēs ait: Credo filiū Dei esse Iesum Christū. Et iussit stare currum, & descenderūt uterque in aquā, Philippus et Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendisset de aqua, spiritus Domini

2. Cor. 3.

Math. 5.

**A**rapuit Philippum, & amplius non uidit eum Eunuchus. Ibat autē per uia suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens Euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Cesaream, nomen Domini nostri Iesu Christi.

**A**ngelus Domini locutus est ad Philippū, dicens: Surge & uade, &c.) Beda. Bene in meridie queritur & inuenitur, & abluitur ille qui deuotione pectoris ardens, uelut quędam gentium primitiæ, Deo meruit consecrari, in quo spiritualiter illud Psalmistę com pletū est: Aethiopia preueniet manus eius Deo. Psal. 67.

**A**d uiam quę descendit ab Hierusalē in Gazam, hęc est deserta, &c.) Non uia, sed Gaza deserta dicitur. Verus enim illa Gaza, quę terminus quondam erat Chananeorum iuxta Aegyptū ad solum usque destructa, & alia pro illa alio loco constructa est, quę allegorice gentium plebem designat, olim à Dei cultura desertam, neque ullius Prophetarum predicationibus excusam. Via uero quę ad eandem ab Hierosolymis descendens, fontem salutis aperuit Dominus Iesus Christus est qui ait: Ego sum uia ueritas & uita, quia superna Hierusalē ad nostra infirma descendit. Ioh. 14.

**E**t ecce uir Aethiops Eunuchus potens.) Pro uirtute & integritate mētis, uir ap pellatur. Nec immerito, qui tantum studiū in scripturis habebat, ut eas etiam in uia legere, non cessabat. Tantiūq; amoris in religione gerebat, ut aula regia derelicta, de ultimis mundi partibus ueniret ad templum Domini. Vnde iusta mercede, dum querit interpretem lectionis Christum, quem querebat inue. nit, plusq; ut Hieronymus ait, in deserto fonte Ecclesię, quā in aurato synagoge templo reperit. Ibi enim quod Hieremias admirando proloquitur: Murauit Aethiops pellē suā, id est, forde peccatorū abluta de lauacro Iesu dealbatus ascendit. Hier. 13.

**C**andacis reginę Aethiopum.) Et in Regum libro legimus, quia Regina Austri uenit à finibus terrę audire sapientiam Salomonis. Moris quippe fuit illi nationi semper à sociis regi, eaq; Candaces appellari.

**Q**ui erat super omnes Gazas eius, &c.) Regina Aethiopum thesaurariū premitrens in Hierusalē, gentium designat Ecclesiam, uirtutum fideiq; Domino donaturam. Sed & nominis etimologia cōuenit. Potest enim Candacis ex Hebręo cōmutata interpretari. Ipsa quippe est, cui in Platino pro his qui cōmutabuntur in scriptura dicitur: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuū & domum patris tui.

**D**ixit autem spiritus Philippo: Accede & adiungere ad currū istū, &c.) In corde spiritus Philippo loquebatur. Spiritui enim Dei, quasi quędam nobis uerba facere est, occultā uis, & quę agenda sunt intimare.

**T**ancū ouis ad occisionem ductus est.) Sicut ouis cum ducitur ad uictimā non repugnat, sic ille propria passus est uoluntate, uel altiori intellectu, sicut agnus in pascha immolari solebat, sic pascha nostrum immolatus est Christus.

**E**t sicut agnus corā tōdente se sine uoce.) Non solum enim nos sanguine redemit, sed & lanis operuit, ut argentes in infidelitate, sua ueste calefaceret, & audiremus Apostolum nobis loquentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Ro. 6.

**S**ic non aperuit os suū.) Cum in passione sua Pilato & pontificibus pauca, Herodi nulla respondere uolebat.

**I**n humilitate iudicium eius sublatū est.) Quia Iudex omnium iudicij non reperit ueritatē, sed absq; ulla culpa seditione Iudæorum & Pilati uoce damnatus est.

**G**enerationem illius quis enarrabit?) Aut de diuinitate eius accipiendum est, Beda. quod impossibile sit diuine natiuitatis nosse mysteria, de qua pater loquitur. Ante Luciferum genuit te, aut de partu uirginis, quod difficulter possit exponi, cuius rationem Marię querenti per angulum dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, ut uel ab angelo uel Euangelista tantum natiuitatis eius sacramenta dicantur, cuius narrator rarissimus est.

**Q**uoniam tolletur de terra uita eius.) Vt nequaq; in terra, sed in cœlo uiueret. Hiero. Hoc testimonio cum in Actibus Apostolorum Reginę Candacis Eunuchus redargueretur, Psal. 110. & legens nō intelligeret, interpretante Philippo super passione, & nomine saluatoris, intellexit. Lucę. 11.

**C** & statim baptizatus in agni sanguine, quem legebat, uir meruit appellari. Et Apostolus Genti Aethiopum missus est. Qui igitur oblatu est Pilato, quia ipse uoluit, & non respondit, ut p[er]turbulū pro nobis damnatus ascenderet, ipse sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondeute obmutuit. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: Quem Ioannes baptista monstrabat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Qui & in Apocalypsi Ioannis Euangelistæ, agnus occisus sæpe monstratur, qui de seipso loquitur in Hieremia: Ego autem sicut agnus innocens, & ductus ad uictimam, nesciebam. Cum enim nesciret peccatum, pro nobis peccatum factus est, & sicut agnus cum ducitur ad uictimam non repugnat, sic ille propria passus est uoluntate, ut destrueret eum, qui habebat mortis imperiū, humilians se usq[ue] ad mortem, & mortem crucis. Hic agnus est, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor litus in postibus, exterminatorem fugabat Aegypti, qui nō solum sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit, ut argentes infidelitate sua ueste calefaceret. Et audirem Apostolum loquentem nobis: Quotquot in Christo baptizati estis, Christū induistis. Et in alio loco: Induemini Christū Iesum. Quod uero sequitur: De angustia & de iudicio sublatus est, siue ut septuaginta translulerunt, *ἐν τῇ ταπεινώσει καὶ ἐν τῷ θανάτῳ ἠγάπησεν*, id est, in humilitate iudicium eius sublatus est, illud significat, quod de tribulatione atq[ue] iudicio ad patrem uictor ascenderet, siue quod Iudex omnium iudicij non repperit ueritatem, sed absq[ue] ulla culpa seditione Iudæorum, & Pilati uoce damnatus sit, ita ut admiraretur Propheta, quod omnium Deus se tradiderit passioni. De quo Paulus loquitur: Si enim credidissent, nunq[ue] Dominum glorię crucifixissent. Sequitur: Generationem illius quis enarrabit? quod dupliciter intelligit, aut enim de diuinitate eius accipiendum est, quod impossibile sit diuine natiuitatis nosse mysteria. De qua ipse loquitur in Prouerbis: Ante omnes colles genuit me. Iuxta illud quod alibi legitur: Quis cognouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit, id est, nullus, aut de partu uirginis quod difficulter possit exponi, deniq[ue] cum Mariæ diceretur ab angelo: Concipies & paries filium, illa respondit: Vnde mihi hoc, quia uirum non cognoui, cui rursus angelus: Spiritus, inquit, sanctus ueniet super te, & uirtus altissimi obumbrabit te, ut uel angelo uel angelis tantum natiuitatis huius sacramenta dicantur, cuius narrator rarissimus est.

Aperiens autem Philippus os suum & incipiens ab scriptura ista, &c.)

Philippus interpretatur os lampadis, pulcherq[ue] est sensus, quod os lampadis suum aperiret os, dum obscura Prophetię, in scientiæ lucem profert. Quamuis & iuxta historias possit ista circumlocutio designare aliquanto longiorem futurum tunc esse eius feruorem.

**D** Et dum irent per uiam uenerunt ad quandam aquam. Est hodie Bethsur siue Bethsora uicus in tribu Iuda, siue Benjamin euitibus ab Helia Chebron uicesimo militario iuxta quem fons ad radicem montis ebulliens, ab eadem qua gignitur, forbetur humo. Apostolorum Acta referunt in huius uiculi fonte, Eunuchum à Philippo fuisse baptizatum. Nam est & alia Bethsur in tribu Iuda, mille passus distans ab Eleutheropoli.

Et ait Eunuchus, Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? & iussit stare currum, & descendunt utriq[ue] in aquam, Philippus & Eunuchus & baptizauit eum. O quam mira doctoris uirtus erat in uehiculo. Eunuchus sacras literas legebat, sed de quo legeret ignorabat, sed tamen eum quem in libro nesciens legebat, pia mente scire cupiebat. Venit Philippus Philosophus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera. Et secundo aliam traditionem, dixit Philippus Eunuchus: Si credis ex toto corde, saluus eris. Et respondit Eunuchus: Credo in Christum filium Dei, & ea hora baptizatus est, fidelis factus & sanctus est, & de discipulo Magister effectus est, & deinceps prædicator, & Gentis suæ Apostolus effectus est.

Cum autē ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippū, &c.)

Sunt quidam, qui hęc angelum in spiritu sancto fecisse testantur, ut Hieronymus prodit. Nam & similiter factum legitur de Abacuc portante prandium Danieli.

Philippus autē inuentus est in Azato. Azotus oppidum est insigne Palestinæ, quod hebraicę uocatur, *אֲזוֹט*, Asdod in sorte tribus Iudę, & est una de quinque olim ciuitatibus Allophylorū, cui decreta fuit, sed non retenta ab ea, quia nequaquam ueteres accolat potuit expellere.

Et per

Et pertransiens Euāgelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Cæsareā.

**A** Cæsarea Palestinæ dicitur, ubi infra domum habuisse describitur Philippus, quæ usq[ue] hodie demonstratur, nec non & cubiculum quattuor filiarum eius uirginum Prophetantium. Cæsareæ ciuitates duę sunt in terra repromissionis. Vna Cæsarea Palestinæ in litore maris magni, itaq[ue] quondam pyrgos, id est, turris stratonis dicta est, sed ab Herode rege Iudææ nobiliss & pulchrius, & contra uim maris multo utilius extructa, in honorem Cæsaris Augusti Cæsarea cognominata est. Qui etiam templum in ea marmore albo construxit, in qua nepos eius Herodes ab angelo percussus, Cornelius Ceterio baptizatus, & Agapus Propheta zona Pauli ligatus est. Altera uero Cæsarea Philippi, cuius Euangelium meminit esse Thethrarchiā, ad radices montis Libani facta, & in honore Cæsaris cognominata est. Sed & tertia Cæsarea Cappadocię metropolis est, cuius Lucas ita meminit: Descendens Cæsarem & salutauit Ecclesiam.

EGREDITUR HIC ZMARAGDVSA

mentione ciuitatis Cæsareæ in nomina regionum & locorum quę sunt in Actis Apostolicis, eadem habentur in Hieronymo.

**S**ed quia in hoc loco de ciuitatibus mentio facta est, necessariū duximus, ut de pluribus istius libri ciuitatibus locis, prouincijs siue mentionem in hoc loco faciamus. Acheldemach est in Helia, ad Australem plagam montis Syon, quæ hactenus iuxta Iudæorum consiliū mortuos ignobiles terra tegit, alios sub diuo putrefacit. Asia regio quæ minor cognominatur, undiq[ue] circumdata est mari, cuius prouincię sunt, Phrygia, Pamphilia, Cilicia, Licæonia, Galatia, & alię multę. Arabia regio inter sinum maris rubri, qui Persicus, & eum, qui Arabicus uocatur, habet Gentes multas, Moabitæ, Ammonitæ, Idumeos, Sarracenos, aliaq[ue] quam plures: Hęc sacra interpretari dicunt, eo quod odores creet odoriferos. Græci, *ἡδαιμωπ* nostri beata, uocauerunt. Antiochia ciuitas est Syrię, in qua Barnabas & Paulus Apostoli sunt ordinati. Est & alia in Asia, in qua idem prædicantes Iudęis dixerunt: Vobis oportebat primitio qui uerbum Dei. Sed quoniam repulstis illud, ecce conuertimur ad Gentes. Alexandria ciuitas est Aegypti, in qua beati Marci Euangelistę tumulus hodie in Ecclesia ueneratur. Amphipolis est ciuitas Macedonię. Est & altera eiusdem nominis in Syria. Apollonia ciuitas est Macedonię. Est & altera in Africa, quæ dicitur Pentapolis. Athenę ciuitas est Achaicę philosophię studijs dedita, cuius Pyreus portus, septemplex quondam muro cõmunita fuisse describitur. Ariopagus Athenarum curia, quæ interpretatur uilla Martis, quod ipse ibi quondam, cum ducentis duodecim Dñs iudicatus est. Appij suorum nomen fori Romę ab Appio quondam consule tractum, à quo & uia Appia uocata est. Babylon metropolis regni Chaldæorum est, ubi eorum qui ædificabant turrim liguę diuise sunt, unde & Babilonia uocatur. Quæ per quadrum sita, ab angulo usq[ue] ad angulū muri, sedecim milia passuum tenuisse, id est, simul per circuitum sexaginta quattuor milia refert Herodotus & multi alij, qui Gręcas historias scriperunt. Bythinia prouincia Asię minoris est, ipsa est & maior Phrygia. Beroea ciuitas in Macedonia est, quæ uerbum Domini nobiliter accepit. Cappadocia regio in capite Syrię est, ad septentrionis plagam. Cyrene ciuitas est in Lybia, cuius regio Pentapolitana uocatur, eo quod quinque urbibus maxime fulgeat. Creta Gręca insula, centum quondam urbibus nobilis. Vnde Eccentropolis dicta est. Cyprus Insula mari Pamphylio, quindecim quondam oppidis insignis, famosaq[ue] diuitijs, & maximæ æris. Cilicia prouincia Asię est, quam Cydnus amnis intersecat. Charra ciuitas Mesopotamię est, ubi fuit Abraham Patriarchę hospitium. Corinthus ciuitas Achaicę maritima. Cenchrę portus Corinthiorū ciuitatis. Chio insula ante Bythiniā, in cuius nomen Syria lingua masticem designat, eo quod ibi mastix gignatur. Damascus nobilis urbs Phœnicis, quæ quondam in omni Syria tenuit principatum, & nunc Sarracenorū Metropolis est, unde & Rex eorum Nauuias famosam in ea sibi suę genti Basilicam dedicauit, Christianis in circuitu ciuium beatę Baptistę Ioannis Ecclesiam frequentantibus. Derben ciuitas est Lychaonię prouincię, Elamitę principis Persidis ab Elam filio Sem uocati. Ephesus Amazonū opus ciuitas Asię est, ubi requiescit Euāgelista Ioanēs, Phœnicia prouincia est Syrię cuius partes sunt Samaria & Galilæa & alię plurimę. Galilæa duę sunt, una genti uicina fini bus Tyriorū in tribu Neptalim, altera circa Tyberiadē & stagnum Genesareth in tribu Zabulon. Gaza ciuitas insignis est Palestinę, quę apud ueteres erat terra Chananeorū, Galatia prouincia

**C** **A**się, à Gallis uocabulū trahens, qui in auxiliū à Rege Bithinię uocati, regnū eū eo acta uictoria diuiserunt, sicq; deinde Gręcis admixti, primo Gallogręci, postea Galatę sunt appellati. Hadrumetus ciuitas est in Bizātia regione Africę. Hadria nomen ciuitatis cōtra Rauennam, quę eidem mari, in cuius ripa sita est, nomen etiam Hadriatici dedit. Ioppe oppidum Palestinę est maritimū in tribu Dan. Iconiū ciuitas est Licaonię, est & altera in Cilicia. Lybię prouincię duę sunt, una Cyrenaica, de qua dictū est, partes Lybię, quę est circa Cyrenen. Est & alia Aethi opum. Lydda ciuitas Palestinę est, in maris magni litorē sita, quę nunc Diopolis appellatur. Lychaonia prouincia Asię est. Est & alia eiusdem nominis in Phrygia minore. Lystra ciuitas est Lychaonię. Licia prouincia est Asię. Mediā à Madai filio Iapheth appellata. Sunt autē inter flumen Indum Regiones istę, Aracusia, Parthia, Assyria, quas scriptura sacra uniuersas sępe Medię nomine uocat. Macedonia prouincia Gręcorum est, uirtutibus Alexandri Magni nobilior facta. Miletus ciuitas in Asia est, ubi Paulus maiores Ephesiorū alloquitur. Nazareth uiculus est in Galilęa, iuxta montem Thabor. Vnde & Dominus Iesus Nazareus est uocatus. Habet Ecclesiā in loco, quo angelus ad beatam Mariam Euangelizaturus intrauit, habet & aliam, ubi Dominus est nutritus. Neapolis ciuitas est Carię, quę est prouincia Asię. Pontus regio est multarū Gentium iuxta mare Ponticum, quod Asia & Europa determinat, & propter plurimam ostiorum Danubij infusionem, dulcius cęteris esse cognoscitur. Pamphilia prouincia est Asię. Pamphus ciuitas est in Cypro Insula. Pergen ciuitas est Pamphilię prouincię. Philippis ciuitas est in prima parte Macedonia. Ptolomaias, ciuitas est Iudę, iuxta montem Carmelum. Est & altera in Pentapoli prouincię Africę. Puteolis ciuitas Colonia Campanię, eadem dicitur Ceadicta. Rodus Cicladum Insularum nobilissima, distat autem à portu Asię uiginti milibus passuum. Regium est ciuitas Siciliae maritima. Sichem ciuitas est Jacob, nunc Neapolis dicta, iuxta sepulchrum Ioseph, ubi nunc est Ecclesia fabricata ex latere mōtis Garizim. Sina mons in regione Madian super Arabiā, qui alio nomine Horeb appellat. Vnde dicit: Et fecerūt uisulū in Horeb, cum hoc Moses in Syna factū scripserit. Saronas, q; interpretatur campestris, regio est, quę Petro predicāte fidei cōtinuo fructus germinauit. Sydon urbs Phœnicis est, insignis artifex uitri. Seleucia ciuitas Syrię nobilis, in promuntorio Syrię Antiochię sita. Salamis ciuitas est in Cypro insula, nūc cōstantia dicta. Samotracia insula est in pacatice sinu. Syria quę Hebraicę dicitur שׁוּרָא regio est inter flumen Euphraten & mare magnū usq; ad Aegyptū pertingēs. Habet maximas prouincias, in quibus Gentes sunt duodecim. Samos insula est in mari Aegęo, in qua reperta prius scitilia uasa traditū, unde & uasa Samiā appellata sunt.

**D** Smyrna ciuitas est in Asia Licię prouincię, cuius Lucas meminit, dicens: Nauigantes uenimus in Smyrnam Licię. Syrtis dicitur arenosa loca in mari magno, multū terribilia & metuenda. Syracusa metropolis Sicilię sub promuntorio Pachino. Tarsus ciuitas metropolis Cilicię, Paulo Apostolo gloriosa. Tyrus metropolis Phœnicis in tribu Neptalim, cuius maxime nobilitas conchylio & purpura constat. Troas ciuitas Asię maritime. Thyatira ciuitas Lybię, quę est prouincia Asię. Thessalonica ciuitas Macedonia.

E V A N G E L I V M I O A N N I S C A P. XX.



**M**aria stabat ad monumentū foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se & respexit in monumentū, & uidit duos angelos in albis sedentes, unū ad caput & unū ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. Dicit ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tu lerunt Dominū meū, & nescio ubi posuerūt eū. Hęc cū dixisset, cōuersa est retrorsū. Et uidit Iesum stantē, & nesciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quę queris? Illa existimās, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eū dicito mihi. Vbi posuisti eū, & ego eū tollā? Dicit ei Iesus. Maria, conuersa illa dicit: Rabboni, q; dicitur magister: Dicit ei Iesus. Noli me tangere, non dum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrē meum, & patrē uestrum, Deum meum & Deum uestrum. Venit Maria Magdalene, annuncians discipulis, quia uidit Dominum. Et hęc dixit mihi.

Maria

**A** **M**aria autem stabat ad monumentum foris plorans. Penlandū est huius August. mulieris mentem, quāra uis amoris accenderat, quę à monumento Domini etiam discipulis recedentibus, nō recedebat, exquirebat quę non inuenerat. Flebat inquirentē, & amoris sui igne succensa, eius quem ablatum credidit ardebat desyderio, & oculi qui Dominū quęsierunt, & nō inuenerunt, lachrymis iam exundabat, amplius dolentes quod fuerat ablatum de monumento, quam quod fuerat occisus in ligno, quoniam magistrū tantū, cuius eis uita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. Vnde contigit ut eū sola tunc uideret quę remansit, quia nimirum uirtus boni operis perseverantia est, ut uoce ueritatis dicitur: Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.

Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes &c.)

Ista itaq; quę sic amabat, quę se ad monumentū, quod prospexerat, iterum inclinat, uideamus quo fructu uis amoris in ea ingeminat opus inquisitionis. Sequitur.

Uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unū ad pedes, ubi positū fuerat corpus Iesu. Quid est, quod in loco Domini corporis duo angeli uident, unus ad caput, atq; alius ad pedes sedēs: nisi quod Latina lingua, ἀγγελος nuncius dicit, & ille ex passione sua nuntiā dus erat, qui & Deus est ante secula, & homo in fine seculorū, quasi ad caput sedet angelus, cum per Apostolum prædicatur: Quia in principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, & quasi ad pedes, sed angelus cum dicitur: Et uerbum caro factum est.

Possumus etiam & duos angelos, duo Testamenta cognoscere, unum prius, & aliud sequens, qui uidelicet angeli per locum Domini corporis sibi met ipsis sunt coniuncti, quia nimirum utraq; Testamenta, dum pari sensu incarnatum, & mortuum, ac resurrexisse Dominum nuntiant, quasi Testamentum prius ad caput, & testamentum posterius ad pedes sedet.

Dicit ei: Mulier, quid ploras? Quasi dixissent, non est opus mortuum plorare, quem uiuentem credere debes.

**B** Dicit ei: Quia tulerunt Dominum meum, &c.) Dominum suum uocans, Domini sui corpus exanime, à parte totum significans, sicut omnes confitemur Iesum Christū filiū Dei unicei Dominum nostrum, quod utiq; simul est, & uerbum & anima & caro. Crucifixum tamen & sepultum, cum sola eius sepulta sit caro: Et nescio, inquit, ubi posuerunt eum. Hęc erat causa maior doloris, quod nesciebat quōd iret ad consolandum dolorem, sed prope erat hora, qua tristitia eius uerteretur in gaudium.

Hęc cum dixisset conuersa est retrorsum, & uidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est.) Notandum, quod Maria quę adhuc de Domini resurrectione dubitabat, retrorsum conuersa est ut uideret Iesum, quia uidelicet per eandem dubitationem suam, quasi terga in domini faciem miserat, quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat & dubitabat, uidebat & non cognoscebat eum, quem illi amor ostenderat. Dubitetas abscondebatur, cuius adhuc ignorantia exprimitur, cum inferitur: Et nesciebat quia Iesus esset.

Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? &c.) Interrogatur doloris causa, ut augeatur desyderium, quatinus cum nominaret quem quæreret, in ardore eius ardentius æstuarer.

Illa estimās, quia hortulanus esset. Dicit ei: Domine, si tu sustulisti eū, &c.)

Forisitan nec errando hęc mulier errauit, quę Iesum hortulanum credidit. An non ei spiritaliter hortulanus erat, qui in eius pectore, per amoris sui, femina uirtutū uirentia plātauit fata. Sed quid est, q; uiso eo, quę hortulanum credidit, cui necdum dixerat quę quærerebat: At ei: Domine, si tu sustulisti eū dicito mihi. Nemo calumnię mulierē, q; hortulanū dixerit Dominū & Iesum magistrū, ibi enim rogabat, hic agnoscebat, ibi honorabat hominē à quo beneficium postulabat, hic recolebat doctorem, à quo discernere humana & diuina, discerebat, appellabat Dominū, cuius ancilla non erat, ut perueniret ad Dominū, cuius erat. Aliter ergo dixit: Sustulisti Dominū meum, aliter aut: Domine si tu sustulisti eū. Ibi ex ueritate, hic ex honore. Quærerebat itaq; & nō dicebat. Quę cū dixisset: Domine si tu sustulisti eum. Hoc habet uis amoris, hoc age re solet in animo, ut quem semper ipse cogitat, nullum alium credat ignorare. Recte & hęc mulier, quem quærere non dicit, & tamen dicit: Si tu sustulisti eū, quia alteri non putat esse incognitum quem ipsa continuo plangit desyderio.

Dicit ei: Maria: Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicit, magister.)

Postq;

Lucę, 21

Grego.

10m. 11

Greg.

Vis amoris.

**C** Postquam eam communi uocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est, uocat ex nomine, ac si aperte dicat ei: *Recognosce eum, a quo recognosceris. Perfecto quoque uiro dicitur. Noui te ex nomine. Quia homo commune omnium nostrum uocabulum est. Mose uero proprium, cui recte dicitur: Quia ex nomine scitur, ac si aperte Dominus dicat: Non te generaliter ut ceteros, sed specialiter prae ceteris scio. Maria ergo, quia uocatur ex nomine, recognoscit auctorem, atque eum protinus Rabboni, id est, magistrum uocat, quia & ipse erat qui querebatur exterius, & ipse qui eam exterius, ut querebat, docebat.*

August.

**Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum.)** Sic enim dictum est: *Noli me tangere, ut in illa femina figuraretur Ecclesia de gentibus, quae in Christo non credidit, nisi eum ascendisset ad patrem. Aut certe sic se credi uoluit Iesus, hoc est, sic se specialiter tangi, quod ipse est & pater unum sint. Aliter, non recte tangitur, id est, non recte creditur.*

Gregor.

**Iam uero ab Euangelista non subditur, quid mulier fecerit, sed ex eo innuitur, quod audiuit, cui dicitur: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. In his namque uerbis ostenditur, quod Maria amplecti uoluit eius uestigia, quem recognouit, sed ei magister dicitur: Noli me tangere. Non quia post resurrectionem Dominus tactum renouit formam, cum de duabus ad sepulchrum eius scriptum sit: *Accesserunt & tenuerunt pedes eius. Sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur cum subinfertur: Nondum enim ascendi ad patrem meum. In corde etenim nostro, tunc Iesus ascendit ad patrem, cum equalis creditur patri. Nam quisquis eum equallem patri non credit, adhuc in eius pectore ad patrem non ascendit. Ille ergo Iesum ueraciter tangit, qui patri filium coeternum credit.***

**Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & reliqua.)** Non ait patrem nostrum, aliter ergo meum, aliter uestrum. Natura meum, gratia uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Neque hic dixit: Deum nostrum. Ergo & hic, aliter meum, aliter uestrum. Deum meum, sub quo & ego homo sum; Deum uestrum, inter quos & ipse mediator sum. **D** Cum eum dicat & uestrum, cur non communiter dicit nostrum, sed distincte loquens indicat, quia eundem patrem, & Deum dissimiliter habet ipse quam nos: Ascendo ad patrem meum, uide licet per naturam, & patrem uestrum per gratiam: Ad Deum meum, quia descendit, Ad Deum uestrum, quia ascendit: Quia enim & ego homo. Deus mihi est, quia uos ab errore liberati, Deus est uobis. Distincte ergo mihi pater & Deus est, quia quem ante secula Deum genuit, hominem in fine seculorum mecum creauit.

**Uenit Maria Magdalene adnuntians discipulis, &c.)** Ecce humani generis culpa sibi abscedit unde processit. Quia enim in Paradyso mulier uiro propinquitate mori, a sepulchro mulier uiris adnuntiat uitam, & dicta sui uiuificatoris narrat, quae mortiferi serpentis uerba narrauerat, ac si humano generi, non uerbis Dominus, sed rebus dicat, de qua manu uobis inlatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum uitae.

**CONCORDIA.** In hoc istarum duarum sit concordia lectionum, quia locutus est angelus Mariae, locutus est Philippo. Euangelizauit Iesum Philippus Eunuchus, nunciauit Maria Apostolis Iesum.

FERIA VI. EPIST. PETRI APOSTOLI. I. PETRI CAP. III.



**Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. In quo & his qui in carcere erant, spiritualiter ueniens predicauit. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur archa, in qua pauci, id est, octo anime saluae factae sunt per aquam. Quod & uos nunc similis formae saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei.**

Beda.

**Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, &c.)** Qui ergo iustus patitur, Christum imitatur. Qui in flagellis corrigitur, Latronem, qui in cruce Christum cognouit, & post crucem paradysum cum Christo intrauit. Qui nec inter flagella desistit a culpis, sinistram imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, & post crucem ruit in tartarum. Ideo autem Christum semel mortuum esse commemorat, ut nobis quoque in memoriam reuocet, quia temporaneis nostris passionibus merces redetur aeterna.

**A** **Vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne &c.)** De hac mortificatione carnis, & uiuificatione spiritus, quae habet huius, qui pro Domino per patientiam laborant. Dicit & Apostolus Paulus: *Et si exterior homo noster corrumpitur, sed tamen is qui intus est renouatur die in die. Offerret ergo nos Deo patri Christus, cum post mortificationem carnis pro illo immolari gaudemus, id est, uitam nostram laudabilem in conspectu patris ostendit. Vel certe offerret nos Deo, cum absolutos carnis, in eternum nos regnum introducit. Sane hoc quod dicitur: *Uiuificatos autem spiritu, Sanctus Athanasius Alexandriensis pontifex, non ad hominis spiritum, qui mortificata carne melius uiuificat, dicente Propheta de Domino: Ut uiuificet spiritum humilium, & uiuificet cor contritum, sed ad gratiam potius refert spiritus sancti, qui mortificantibus carnem suam, uitam tribuit sempiternam. Vt utitur enim & hoc testimonio contra Arrianos, qui equalitati sanctae Trinitatis contradicunt, astringensque indiuiduam diuinae operationis unitatem. Viuificet pater, uiuificet filius, uiuificet spiritus sanctus. Proinde licet & filius, quia scriptum est: Sicut enim suscitauit patrem mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat, spiritus uero sanctus & hoc testimonio declarat, quod dicitur de filio, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. Ideoque quorum una operatio est, horum esse dispar essentia uel substantia non possit.**

**In quo & his qui in carcere erant, spiritualiter ueniens predicauit, &c.)**

Qui nostris temporibus carne ueniens, iter uitae mundo predicauit, ipse etiam ante diluuium eius, qui tunc increduli erant, & carnaliter uixerant, spiritu ueniens predicauit. Ipse enim per spiritum sanctum erat in Noe, ceterisque, qui tunc fuere, sanctis, & per eorum bonam conuersationem, prauis illius qui hominibus, ut ad meliora conuerterent, predicauit. Conclusos namque in carne dicit, carnalibus desiderijs adgrauatos. Vnde de illis scriptura ait: *quod omnis caro corruperat uitam suam.* Quod autem dicit, in quo, significat in eo, quod praemiserat, ut nos offerret Deo, quod & tunc, si qui ad praedicationem Domini, quae per uitam fidelium praetendebat, credere uoluissent, eos offerre Deo patri gaudebat. Si qui autem detrahebant de bonis, tanquam de malis factoribus, huius ueniens te diluuium confundebantur. Nam & de utroque potest intelligi, quod ait: *In quo, id est, in quo & his qui in carne coelusi erant, spiritu, id est, spiritualiter ueniens predicauit, ut post eandem praedicationem suam & credentibus corona laudis, & his qui in infidelitate persistenter, confusio nascere.*

**B** **Quidam codices habent: In quo & his qui in carne erant, spiritu ueniens predicauit, quod ad eam dempra uerum atque incredulorum intentionem respicit, qui cordis tenebris obcurati habent sensum, merito etiam in hac uita in carcere coelusi esse dicunt, in quo uidelicet carcere, in iterioribus ad huc tenebris, hoc est, caecitate mentis, & operibus iniustus grauantur, donec carne soluti, in tenebras exteriores etiam in carcerem projiciant aeternae damnationis, de quo Dominus in Euangelio: *Et iudex, inquit, tradet te ministro, & in carcerem mitteris. Quamuis etiam sancti in hac uita, se in carcere positos, cum gaudium supernae patrie sentiunt, merito proclamant, iuxta illud Psalmi, scilicet: Educ de carcere animam, ad consulendum nomini tuo. Distat namque multum inter utrumque carcerem. Siquidem reprobi in carcere sunt peccatorum & ignorantiae. Iusti uero in carcere licet tribulationum positi, huc semper iustitiae, dilatato in Deum corde fruuntur, quod significauerunt Apostoli, Paulus & Silas, cum media nocte in initio carceris horrore, uincti licet & flagellati, hymnum Deo laudis laetissima uoce canebant. Quidam hunc locum ita interpretatus est, quod consolationem illam de qua dicit Apostolus Dominus: *Multi prophetae & iusti cupierunt uidere quae uos uidetis & non uiderunt, & audire quae uos auditis, & non audierunt, de qua & Psalmista: Desiderant, inquit, oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me? Sancti qui quiescentes in inferno desiderauerunt, quod descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerunt in diebus Noe, consolatio uel exhortatio predicata fuerit. Hec ille dixerit. Sed catholica fides habet, quod descendens ad inferna Dominus, non incredulos inde, sed fideles solummodo suos educens, ad caelestia secum regna perduxerit, neque ex utroque corpore animabus, & in infero carceris damnatis, salutem quam ante mortem dilexerant, predicauerit, sed carceris scelera inlatus in hac uita, uel per se ipsum, uel per suorum exempla, siue uerba fidelium quorundam uitam uitae demonstrat, de quibus dicit:****

**Qui increduli fuerant aliquando, expectabant Dei patientiam.)** In diebus Noe cum fabricaretur Archa, nam & ipsa Dei patientia praeditatio eius erat, cum Noe centum annos Archa operibus insistentis, quid mundo futurum esset, quotidiani operis executione monstrabat, quia Paulus ait: *An ignoras, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit, &c.* Alia Romae, translatio hunc locum ita habet: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustus, ut nos adducat ad Deum, mortificatos corpore, sed uiuificatos in spiritu, in quo spiritu & eis qui*

2. Cor. 4.

Athanas. exponit, uiuificatos spiritu.

Esa. 57.

Gen. 6.

Math. 5.

Psalm. 141.

Iusti &amp; reprobi in carcere sunt diuersi modo.

Math. 12.

Psalm. 118.

Math. 24.

Gen. 6.

Alia Romae.

1. Pet. 3.

C qui in carne erant predicauit, qui quondam non crediderant in diebus illis, cum expectaret patiens. In diebus Noe, cum fabricaretur Archa, in qua pauci, id est, octo animae saluae factae sunt per aquam, quod & uos nunc similis formae saluos facit baptisima.) Formam baptisimi assimilata dicit archae, & aquis diluuij, & recte omnino, quod & ipsa fabricatio archae de lignis leuigatis, constructionem signat Ecclesiae, quae sit de collectione animarum fidelium per Architectos uerbi. Et quod pereunte orbe toto, pauci, id est, octo animae saluae factae sunt per aquam, significat quod ad conuersionem peruentum gentilium, Iudaeorum, hereticorum, & falsorum fidelium, multo breuior est numerus electorum. Vnde de angusta porta & arcta uia, quae ducit ad uitam, dicitur. Et pauci sunt qui inueniunt eam. Et iterum Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri uestro, dare uobis regnum.

Matth. 7.

Luce. 12.

Non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in

Deum.) Vbi est enim conscientia bona, nisi ubi est & fides non ficta. Docet namque Apostolus Paulus, quod finis precepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod ergo aqua diluuij non saluauit extra Archam positos, sed occidit sine dubio, praefigurabat omnem hereticum, licet habentem baptismatis sacramentum in alijs, sed ipsis aquis ad inferna mergendum, quibus Archa subleuatur ad caelum. Ipse quoque octonarius numerus animarum, quae saluae factae sunt per aquam, significat, quia sancta Ecclesia in sacramentum dominicae resurrectionis baptismi Lauacrum percipit, ut sicut ipse resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos expurgati à peccatis per aquam regenerationis, in nouitate uitae ambulemus. Octaua namque dies, hoc est, post septimam sabbati Dominus à mortuis resurgens, & exemplum nobis futurae resurrectionis, & mysterium nouae conuersionis, quae in terris positi, caelestem uitam ageremus ostendit, quam etiam ipse Petrus exponendo subiungit, dicens:

1. Tim. 1.

Rom. 6.

D Per resurrectionem Domini Iesu Christi, qui est in dextra Dei.) Deglutens mortem, ut uitae aeternae participes efficeremur, profectus in caelum. Sicut enim ipse resurgens à mortuis, ascendens in caelum, & sedet à dextris Dei, sic etiam nobis per baptismam uitam salutis, ac regni caelestis introitum patere signauit. Bene autem ait, deglutens mortem. Quod enim deglutimus, agimus ut uirtute nostri corporis assumptum nusquam pareat. Et deglutit mortem Dominus, quam resurgens à mortuis ita funditus consumpsit, ut nihil contra se ultra pertractum alicui corruptionis ualeret, ac manente specie ueri corporis, abesse prorsus labes omnis praeque fragilitatis. Quod ipsum & nobis in fine promittitur futurum. Dicente Apostolo: Cum de nostra resurrectione loqueretur: Tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in uictoria. Bene absorpta, quia cum & nos uitae aeternae participes fuerimus effecti, ita nimirum uirtus corporalis immortalitatis, omne praeteritae corruptionis neuum tollet, quomodo solet flamma ignis inmissam sibi aquae guttam, ardoris sui consummere uirtute.

1. Cor. 15.

ITEM ALIA EXPOSITIO.

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. Semel autem dixit, quia Christus surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur.

Psal. 118.

Iustus.) Illi enim Psalmista dicit: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Et Daniel ait: Et tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei.

Dan. 9.

Pro iniustis.) De nobis enim Daniel ait: Peccauimus, iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu.) Mortificatos carne dicit: id est, desideria carnalia non habentes, ad quam mortificationem, nos Paulus adhorretur dicens. Mortificate membra uestra, quae sunt super terram, fornicatione & omnia uitia. Et illud: Si spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Nisi enim prius peccato moriamur, non possumus per iustitiam uiuere Deo. Quod autem dicit uiuificatos spiritu, intelligitur uiuificatos in anima, anima enim spiritus intelligitur. Siue mortificatio carnis, & uiuificatio spiritus, in baptismo fieri intelligitur. Morte enim Christi baptizamus. In illa sine dubio morte, qua peccato mortuus est semel, ut & nos separemur à peccato, & uiuamus Deo.

Aug. Col. 2.

Rom. 8.

Cassiod.

Aliter mortificatos carne, ne literam legis carnaliter intelligamus. Viuificatos autem spiritu, id est, spiritualiter sensum legis intelligentes uiuamus. Non enim idcirco nos Christus abstraxit à lege

A à lege peccati, ut uetustati literae seruiamus, id est, ut circumcisionem recipiamus, & sabbata, uel cetera, quae uetusta legis litera continet. Sed ut legi Dei in spiritu nouitate seruiamus, id est, ex omnibus quae in ea scripta sunt, spiritalem sensum, spiritu donante, capiamus.

Augustinus legi, mortificatus, & sic habet Graecum; Quotomodo de leg. & uerba de leg.

De Christo dictum est: Mortificatus carne, uiuificatus spiritu. Sic de homine dici potest: Tactus carne, iustificatus, uiuificatus spiritu.

In quo.) Subaudit, in quo spiritu, in illo scilicet de quo superius dicit: Viuificatos autem Et his qui in carcere erant.) Id est, in archa, uel in corporis carcere clausi. (Spiritu.

Spiritualiter ueniens praedicauit.) Iisdem scilicet, qui incarnatus de spiritu sancto & Maria uirgine, nobis postea ueniens uisibilis, praedicauit. Ipse tunc illis spirando spiritualiter praedicabat. Dicebat enim ad Noe: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est. Et illud: Delebo hominem quem creauit à facie terrae, ab homine usque ad animantia, à re ipsa usque ad uolucres caeli, poenitet enim me fecisse eos. Item dixit Dominus ad Noe: Finis uerbae carnis uenit coram me. Repleta est terra iniquitate, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi Archam de lignis leuigatis, &c.

Gen. 6.

Qui increduli fuerant aliquando, expectabant Domini patientiam.)

Id est, qui ante increduli erant, audientes Noe praedicantem, ea quae à Domino audiens, acceperat, & uidentes archae subricam, per centum annorum, protendere tempus crediderunt, expectantes Domini patientiam, & salui facti sunt in archa.

In qua pauci, id est, octo animae saluae factae sunt per aquam.) Id est quatuor uiri, Noe, Sem, Cham, & Iapheth, & quattuor uxores eorum, id est, Puarfara, parfa, Cataflua, Flua.

Quattuor uiri & mulieres seruate.

Noe uero, qui requies interpretatur, Christum significat, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Solus inuenitur iustus Noe in illa gente, cui septem homines donantur propter iustitiam suam. Solus iustus est Christus, cui septem Ecclesiae, propter septem spirituum illuminantem, in unam Ecclesiam, quasi in unam archam condantur. Quod archam instruxit Noe de lignis non putrescentibus, Ecclesiam significat, quae construitur à Christo de hominibus in aeternum uiuentibus. Archa enim Ecclesiam demonstrat, quae natus in fluctibus mundi huius. Sicut enim tunc Noe cum suis per aquam & lignum saluatus est, sic et nunc familia Christi per baptismum & crucis passionem saluantur. Vnde & hic subditur:

B

Isid. Nomina uxorum Biblia non habet. Matth. 11. Archa typus Ecclesiae

Quod & uos nunc similis formae saluos facit baptisima.) Quia sicut tunc aqua eos qui in archa erant saluauit, ita & nunc eos, qui in Ecclesiae unitate permanent, delendo peccata baptismus conseruat. Et sicut tunc qui extra archam erant perierunt, ita & nunc, qui extra Ecclesiam sunt peribunt.

Non carnis depositio sordium.) Id est, non baptisima, quod sordes deponit carnis, sed quod maculas lauat mentis. Baptisima enim, ablutio interpretatur uel tinctio.

Sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.) Interrogatio enim sacerdotis est: Credis in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius, & in spiritum sanctum? Responso autem bonae & simplicis conscientiae est: Credo, quae responso hominem saluat, & ab aeterno interitui liberat.

Interrogatio bonae conscientiae.

Per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qui est in dextera Dei.) Ut illud: Resurrexit à mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dextram Dei, quae sessio, equalitatem potestatis eius cum patre significat.

EVANGELIUM MATTHAEI. CAP. VLTIMO.

Vndecim discipuli abierunt in Galilaeam in montem ubi constituerat illis Iesus. Et uidentes eum, adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et accessit Iesus, locutus est illis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruire omnia quae uerba mandauit uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.





Hier.

**C** Vndecim discipuli abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Iesus.) Post resurrectionem enim Iesus in Galilæa monte conspicitur, ibique adoratur, licet quidam dubitent, sed dubitatio eorum nostram auget fidem, dum manifestus ostenditur Thomæ, & latus lancea uulneratum, & manus fixas demonstrat clauis.

Et accedens Iesus, locutus est dicens: Data est mihi omnis potestas &c.)

Data est ei, qui paulo ante crucifixus est, qui sepultus in tumulo, qui mortuus iacuerat, qui postea resurrexerat. In cælo autem & in terra potestas data est, ut qui antea regnabat in cælo, per fidem credentium regnet in terris.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij & spiritus sancti.) Primum docet omnes gentes, deinde doctos intingunt aqua, non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit ueritatem. Baptizantur autem, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, ut quorum est una diuinitas, sit una largitio, nomenque trinitatis unus Deus est.

Docentes eos seruare omnia quęcunq; mandati uobis.) Ordo precipuus. Iuber Apostolis, ut primum docerent uniuersas gentes, deinde fidei tingerent sacramentum, & post fidem ac baptismum, quę essent obseruanda præciperent. Ac ne putemus leuia esse quę ius ferunt, & pauca addit: Omnia quęcunq; mandauit uobis, ut qui crediderint, qui in trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quę præcepta sunt.

Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.)

Qui usq; ad consummationem seculi cum discipulis suis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse uicturos, & se nunquam a credentibus recessurum. Qui autem usq; ad consummationem mundi sui presentiam pollicetur, non ignorat eum diem, in qua die se scit futurum cum Apostolis.

Quomodo dixit: Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Et iterum: Hęc sunt, inquit, uerba mea, cum adhuc essem uobiscum, hoc est, cum adhuc mortalis essem, sicut & uos. Cum illis enim erat presentia corporis, non cum illis erat conditio mortalitatis, & modo nobiscum est per presentiam maiestatis, & nobiscum non est presentia corporis.

CONCORDIA. Istarum duarum in sacro sancto baptisimo sit concordia lectionum. Apostolus enim dicit: Et uos similis formę saluare facit baptismum. Euangelium ait: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

## SABBATO IN OCTAUA PASCHAE, EPIST.

beati Petri Apost. Cap. II.

**D** Eponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes et inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem uiuum, ab hominibus reprobatur, a Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides uiui superedificamini in domos spirituales, hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum. Propter quod continet scriptura: Ecce ponam in Sion lapidem summum, angularem, electum, preciosum, et omnis qui crediderit in eum non confundet. Vobis igitur honor creditibus, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt uerbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen suum, qui aliter quando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

Deponentes

**A** Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles;

sine dolo, lac concupiscite, &c.) Qui renati estis, inquit, nuper, & filij Dei per bap-

isma facti, tales modo estote per studium bonę conuersationis, quales sunt recens editi infantes, per naturam innoxie ætatis, ignari malitię & omnis doli, simulare, inuidere, detrahere, alijsque huiusmodi uitijs mancipari omnimodis ignorantes. Qui sicut lac in æternum naturaliter desiderant, ut ad salutem crescere, atq; ad panem comedendum peruenire ualeant. Ita & uos simplicitate rudimenta fidei, primo de Ecclesię matris uberibus quaerite, hoc est, de utriusque Testamenti doctoribus, qui diuina eloquia, uel scripsere, uel etiam uiua uoce uobis prædicant, ut bene discendo, perueniatis ad refectionem panis uiui, qui de cælo descendit, hoc est, per sacramenta Domini in carnationis, quibus renati estis, & quibus nutrimini, perueniatis ad contemplationem diuinę maiestatis: Rationabiles, inquit, & sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Præcepto concupiscendi lac uerbi, tangit eos, qui ad audiendas lectiones sacras, inuiti & fastidiosi adueniunt, ignari illius sitis & esurie, de qua Dominus ait: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Ideoque tardius ad perfectum salutis incrementum peruenientes, quo possint solidi uerbi cibo refici, id est, archana cognoscere diuina, uel maiore facere bona.

Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.) Hoc, inquit, pacto, dimissa atq; emundata cordis uestri malitia & spurcitia, spiritalem Christi alimentam concupiscite, si diuinę dulcedinis quanta sit multitudo sapitis. Nam qui nihil de superna suauitate gustat animo, non est mirum, si hunc terrestribus inlecebris sordidare non cuitat. Bene autem Psal-

mistis gustare monet, quam dulcis sit Dominus, quia sunt nonnulli, qui non id de Deo sentiunt, quod dulce in terris sapiat, sed quod excussum exterius sonet. Qui & si secreta quaedam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt. Et si nouerunt, quomodo sunt ignorant, ut dixi, quomodo sapiunt. Et quoniam in ipso Psalmo, de quo hunc uersiculum ad-

sumpsit præmissum est: Accedite ad eum, & illuminamini, recte beatus Petrus subdit, dicens:

**B** Ad quem accedentes lapidem uiuum, ab hominibus quidem reprobatur, a Deo autem electum & honorificatum.)

Et hoc de lapide testimonium sumit ex Psalmo, ubi scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Quod ne quis Iudaico sensu putaret de materiali lapide a propheta cantatum, qui in ædificatione terrenę cuiuslibet domus, contra hominum dispositionem diuino iudicio non poneretur, consulte addit, uiuum: Ad quem accedentes, inquit, lapidem uiuum, ut de Christo significet, qui recte lapis appellatus est, qui in carne ueniens, ædificationi sanctę Ecclesię, quo hanc confirmaret, sese inferere dignatus est. Viuus autem, qui dicere potuit: Ego sum, uia, ueritas & uita. Qui ab hominibus reprobatus est, cum dicerent: Nos non habemus regem, nisi Cæsarem, a Deo autem electus, cum ipse ait: Ego autem constitutus sum rex ab eo, &c. Et honorificatus est, quoniam post mortem crucis Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.

Et ipsi tanquam lapides uiui superedificamini in domos spirituales.) Super-

edificamini, illos dicit, quia sine Domino Iesu Christo, lapide scilicet uiuo, nulla spiritalis ædificatio stare potest. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter ipsum, cuius participatione, fideles, lapides uiui efficiuntur, qui per infidelitatem lapides mortui fuerant, duri scilicet, & insensibiles, quibus merito diceretur: Auferam a uobis cor lapideum, & dabo uobis cor carneum. Sed tanquam lapides uiui, ad spirituale ædificium aptantur, qui per discretionem eruditi doctoris, amputatis cogitationibus superfluis, uelur ictu quadrantur securis. Et sicut ordines lapidum in pariete portantur alij ab alijs, ita portantur fideles quicquid præcedentibus in Ecclesia iustis. Portant & ipsi sequentes per doctrinam & tolerantiam, usq; ad ultimum iustum. Qui cum a prioribus porteretur, quem portare debeat ipse sequentem non habebit. Qui autem omne ædificium portat, & ipse a nemine portatur, Dominus est Christus, unde & lapis a propheta preciosus uocatur, in fundamento fundatus: Superedificamini, inquit, domos spirituales. Ita illos fieri domos spirituales dicit, cum sit una domus Christi in angelis electis & hominibus collecta, quomodo, cum sit una Ecclesia catholica, toto orbe diffusa, sæpe pluraliter appellantur Ecclesię, propter multifaria scilicet fidelium conuenticula, uarijs tribubus, populis, & linguis di-

seretā: una dicitur, sicut in Apocalypsi Ioannis dicitur: Ipse ego Iesus misi angelum meum, testifi-  
cari uobis in Ecclesijs. Nec prætereundum, quod quidam codices habent numero singulari: Su-  
per ædificamini domus spiritalis. Alij rursum: Aedificamini in domū spiritalē, in quo nimi-  
rum unitas ipsa totius sanctæ Ecclesiæ aptius commendatur. Cum autem dixisset, super ædifi-  
camini domos spiritalē, siue domus spiritalis, addit:

**Sacerdotium sanctum.)** Id est, sacerdotium sanctum uos ipsi, existentes super fun-  
damentum Christi. Omnem ergo Ecclesiam, sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus  
Aaron in lege nomen & officium habuit. Quia nimirum omnes summi sacerdotis membra su-  
mus, cuncti oleo scititæ signamur, uniuersis congruit, quod subdit.

**Offerre spiritalē hostias per Iesum Christum.)** Spiritalē autem hostias o-  
pera nostra, elemosinæ & preces dicunt, ad distinctionem carnaliū, intelligi uisimur. Quod  
autem in conclusione dicitur, per Iesum Christum, ad cuncta quæ præmiserat pertinet. Quoni-  
am per ipsius gratiam, & super ædificamur in illo super architectos sapientes, hoc est, ministros  
Noui Testamenti, & domus spiritalis efficiuntur per spiritum eius, contra pluuies, uentos, flu-  
mina tentationum muniti, & sacerdotio sancto participare, & boni aliquid, acceptabile Deo ge-  
rere, non nisi per ipsum ualeamus. Sicut enim palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi  
manserit in uite, sic nec uos, inquit, nisi in me manseritis.

**Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidē sum-  
mum, angularem, &c.)** Hoc testimonium de Esaia ponit, ad confirmandum hoc quod  
promiserat, ad quem accedentes lapidē uiuum, astruens & adfirmans Dominum saluatorem  
propter firmitatem suam, lapidē à prophetis uocari, & quod addidit:

**Et omnis qui credit in eum, &c.)** Propter hoc quod dixerat: Et uos tanq̄ lapides  
uiui super ædificamini. Pulchre autē conuenit huic prophetiæ Apostoli sermo, quo dicit: Acce-  
dentes ad lapidē uiuū, uel credentes in eo nō confundi, illius psalmi uersiculo, in quo cū dictū  
esset: Accedite ad eū, & illuminamini, continuo subiunctum est: Et uultus uestri nō erubescant.  
Cui simile est, quod Ioannes ait: Et nunc filiioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fidu-  
tiam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.

**Vobis igitur honor credentibus.)** Ille nimirum honor, ut non confunda-  
mini ab eo in aduentu eius, sed sicut ipse ait: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater  
meus.

**Non credentibus autē, lapis quem reprobauerūt ædificantes.)** Ut sicut  
illum reprobauerunt cū ædificarent ædificantes, nolentes eum in fundamento cordis sui ponere,  
ita & ipsi reprobentur ab eo in aduentu eius, nolente illo tunc, eos qui se reprobauerunt in ædifi-  
catione accipere domus suæ, quæ est in cœlis. Et hæc distinctio honoris credentium, non creden-  
tium autem reprobatio hucusq̄ pertingit, hinc item de credentibus infert:

**Hic factus est in caput anguli.)** Quia uidelicet, sicut lapis angularis duos parte-  
res coniungit, ita Dominus Iudeorum plebem in una sibi societate fidei, & gentium copulauit,  
ac mox de infidelibus addit:

**Et lapis offensionis, & petra scandali.)** Hinc & Paulus: Nos, inquit prædicau-  
imus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.

**His qui offendunt in uerbo, nec credunt, in quo & positi sunt.)** Offen-  
dunt ergo qui eo ipso quod uerbum Dei audire eos contingit, offendunt animo dum nolunt  
credere quod audiunt, quorum stultitiam exaggerando subiecit, nec credunt in quo & po-  
siti sunt. Qui in hoc positi, id est, in hoc per naturam homines facti sunt, ut credant Deo, & eius  
obtemperant uoluntati, Salomone adtestante, qui ait: Deum time & mandata eius obser-  
ua, hoc est enim, omnis homo in hoc naturaliter factus est homo, ut Deum timens, eius  
mandatis obsecundet. Quidam codices habent: In quo & positi sunt, quod intelligitur  
iuxta.

**A** iuxta hoc quod Paulus de Domino loquens ait: In ipso enim uiuimus & mouemur & sumus,  
Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus

adquisitionis.) Hoc est laudis testimonium quodā antiquo Dei populo per Moysen datū,  
quod nunc recte gentibus dat Apostolus Petrus, qui uidelicet in Christum crediderūt, qui ue-  
lut lapis angularis eam, quā Israel in se habuerat, salutem gentes adunauit, quos Genus electū  
uocat propter fidem, ut distinguat ab eis, qui lapidē uiuum reprobando, facti sunt ipsi repro-  
bi. Regale autem sacerdotiū, qui illius corpori sunt uniti, qui Rex summus & sacerdos uerus est,  
regnum suis tribuens, ut Rex & Pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans. Rega-  
le sacerdotium eos nominat, & ut regnum sperare perpetuum, & hostias immaculatæ conuer-  
sationis Deo semper offerre meminerint. Gens quoq̄ sancta & populus adquisitionis uocantur,  
iuxta id quod Apostolus Paulus Prophetiæ exponens sententiā, dicens: Iustus autem  
meus ex fide uiuit. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Nos autem, inquit, non  
sumus subtractionis in perditionem, sed fidei, in adquisitione animæ, & in Actibus Apostolo-  
rum. Vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiā Domini, quam adquisiuit sangui-  
ne suo, Populus ergo adquisitionis facti sumus in sanguine nostri redemptoris, quod erat quon-  
dam populus Israel redemptionis sanguine agni de Aegypto. Vnde & in sequenti quoq̄ uersicu-  
lo mysticæ ueteris recordatur historiæ, & hanc nouo Dei populo spiritaliter docet implendū  
dicens:

**Ut uirtutes adnuntiatis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile  
lumen suum.)** Sicut enim hi qui de Aegyptiaca seruitute liberati sunt per Moysen, carmē tri-  
umphale post transitum maris Rubri, & demersum Pharaonis exercitum Domino cantantur,  
ita ei nos oportet post acceptam in baptismo remissionem peccatorū, dignas beneficijs cœlesti-  
bus rependere gratias. Nam quod Aegyptij, nō solum, quia populum Dei affligebant, uerum  
etiam, quia tenebræ uel tribulationes interpretantur, aperte persequentia nos peccata, sed in bap-  
tismate significant delicta. Liberatio quoq̄ filiorum Israel, & ad promissam olim patriam per-  
ductio, congruit mysterio nostræ redemptionis, per quā ad lucem supernæ mansionis illustrā-  
te nos, ac ducente Christi gratia tendimus, cuius lucem gratiæ, etiam illa nubes & ignis colum-  
na monstrauit, quæ eos in toto itinere illo à tenebris defendit noctium, & ad promissas patriæ  
sedes incenarrabili calle perduxit.

**B** Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non con-  
secuti misericordiā, nunc autē misericordiā cōsecuti.) Indicat aperte per hos uer-  
ficulos, quod his qui de gentibus ad fidem uenerūt, hanc scripsit Epistolam, qui quondam ali-  
enati à conuersatione populi Dei, tunc per gratiam fidei populo sunt eius uniti, & misericordiā  
quam sperando non nouerant adepti. Assumit autem eos de Propheta Osæ, qui de uocatione  
gentium præcens ait: Vocabo, inquit, non plebem meam, plebem meam, & non misericor-  
diam consecutam, sed misericordiam consecutam, & erit in loco, ubi dictum est eis: Non plebs  
mea uos, ibi uocabuntur filij Dei uiui.

ALIA EXPOSITIO

**Deponentes omnē malitiam.)** Dicendo omnem malitiam, cunctorum crimi-  
num matrem uno uerbo conclusit.

**Et omnem dolum.)** Quamuis dolum maxime ad decipiendum pertineat proximi,  
ille tamen omne à se dolum deponit, qui se ueraciter peccatorem cognoscit, & quod retinet cor-  
de, hoc confitetur & ore.

**Et simulationem.)** Simulatio, quæ alio nomine uocat fictio, est in homine, quan-  
do aliud tegit in corde, aliud monstrat in opere, bona ostendit superficie, & mala tenet in pectore.

**Et inuidiam.)** Inuidia diaboli mors in orbem terrarum introiuit.  
& sic per inuidiam diaboli mors in orbem terrarum introiuit.

**Et omnes detractiones.)** Detractio & blasphemia est, & suspiciosa reprehensio, &  
malorum operum existimatio, & omnis omnino uenenata & absens de fratre locutio. Aliter:  
Malicia hoc in loco intelligitur Gentium Paganorum: Dolus Gentis Iudeorum: Simulationes  
hereticorum: Inuidia principum Iudeorum: Detractiones scribarum & Phariseorum.

Acto. 17.

Abac. 1.  
Heb. 10.  
Act. 20.

Osæ. 2.

Esa. 28.

1. Ioan. 1.

Ioan. 13.

1. Corin. 1.

Pro. 24.



**C** Et Ioannes de illo: Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundū. **Ioan. 8.**  
**Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.)** De populo dicit gentium, qui antea sine lege & Prophetis & sermone uix erat Domini. De quo & in Psalmi ipse Dominus dicit: Populus quem non cognoui, id est, ad quem non ueni, Prophetas non misi, seruiuit, id est, credidit mihi. Qui cuncti enim credit & seruit, quod factum est à gentibus, quæ non fuerant à Christo carnaliter inquisitæ.

**Qui consecuti misericordiam.)** Id est, ante uocationem & baptismum.

**Nunc autem misericordiam consecuti.)** Subauditur, estis misericordiam fide baptismi & peccatorum ueniam consecuti, in super & illum cui Psalmista ait: Deus meus misericordia mea. **Psal. 58.**

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XX.



**Na sabbati Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, & uidit lapidem sublatum à monumento. Cucurrit ergo & uenit ad Simonem Petrum & ad alium discipulum quem diligebat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum. Exiuit ergo Petrus & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentum, Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & uenit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, uidit lintheamina posita, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & uidit lintheamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum lintheaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui uenerat primus ad monumentum, & uidit & credidit. Non dum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.**

**V** Na sabbati Maria Magdalene uenit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, & uidit lapidem sublatum à monumento, & reli.) **August.** Sicut in principio mulier auctor culpæ uiro fuit, uir executor erroris, ita nunc, quæ prius mortem gustauerat, resurrectionem prior uidit. Et ne perpetui reatus apud uiros obprobrium sustineret, quæ culpam uiro trinsuderat, transudit & gratiam. Vna sabbati dicit, quam iam diem dominicam propter Domini resurrectionem mos Christianus appellat, quem Mattheus solus in Euangelistis primum sabbati nominauit.

**Cucurrit ergo, & uenit ad Simonem Petrum & ad alium discipulum, quem diligebat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominum meum de monumento, & nescio ubi posuerunt eum.)** Amore nimio turbata, dum quæ quæsiuit, non inuenit. Cucurrit discipulis nuntiare, ut aut secum quærerent, aut secum dolerent ablatum Dominum, quem Dominum nominare non metuit, dum corpus illius tantummodo quæreret in sepulchro.

**Exiuit ergo Petrus & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ecce alius discipulus præcucurrit citius Petro & uenit primus ad monumentum.)** Aduertenda hic & commendanda recapitulatio, quomodo reditum est, ad id quod fuerat prætermisum, & tanquam si hoc sequeretur adiunctum est. Cum enim iam dixissent, uenerunt ad monumentum, regressus est, ut narraret quomodo uenerunt, atque ait: Currebant autem duo simul, &c. Vbi ostendit, quod præcurrens ad monumentum prior uenerit ille alius discipulus, quem seipsum significat, sed tanquam de alio more sanctæ scripturæ cuncta narrat.

**Et cum se inclinasset, uidit lintheamina posita, non tamen introiuit.)**

Quod

**A** Quod uero Maria Magdalene uenit ad monumentum cum adhuc tenebræ essent, iuxta historiam narratur hora, iuxta intellectum uero mysticum, requirentis signatur intelligentia. Maria enim autorem omnium, quem carne uiderat mortuum, quærebatur in monumento, & quia hunc minime inuenit, furatum credidit. Adhuc ergo erant tenebræ, cum uenit ad monumentum. Cucurrit, citius discipulis nuntiavit, sed illi præ ceteris cucurrerunt, qui præ ceteris amauerunt, uidelicet, Petrus & Iohannes. Currebant autem duo simul, sed Iohannes præcucurrit Petro citius. Venit prior ad monumentum, & ingredi non præsumpsit.

**Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum.)**

Iste uero cursus duorum discipulorum magnum habet mysterium. Quid enim per Iohannem, qui prior uenit ad monumentum & non intrauit, nisi synagoga significatur? Quid per Petrum, nisi Ecclesia ex gentibus congregata demonstratur, quæ posterius uocata & prior intrauit? Cucurrerunt enim pariter, gentilitas & synagoga, per huius seculi successiones, sed non pari intelligentia ueniebant. Venit synagoga prior ad monumentum, sed minime intrauit, quia legis quædam mandata per cepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominica audiuit, sed credere in mortuum noluit. Vidit enim Iohannes posita lintheamina, non tamen intrauit, quia uidelicet synagoga & scripturæ sacræ sacramenta cognouit, & tamen fidem Dominicæ passionis credendo intrare distulit, quem diu longè prophetauit, præsentem uidit & reuinit, hominem esse despectit, Deum carne mortalem factum, credere noluit. Quid ergo est, nisi quia & citius cucurrit, & tamen ante monumentum uacua stetit. Venit autem Simon Petrus subsequens eum, & introiuit in monumentum, quia secuta posterior Ecclesia gentium, mediator Dei & hominum, hominem Christum Iesum, & cognouit carne mortuum, & uiuentem credidit Deum. Sequitur.

**Et uidit lintheamina posita, & sudarium quod fuerat super caput Iesu, non cum lintheaminibus positum, &c.)** Quid est, quod sudarium capitis Domini cum lintheaminibus non inuenit in monumento, nisi quia adstante Paulo, caput Christi Deus est, & diuinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostræ cognitione distincta sunt, eiusque potentia creaturæ transcendit naturam. Et notandum quod non solum separatim, sed etiam in uoluntate inueniri dicitur. Lintheum quippe quod inuoluitur, eius nec initium nec finis aspicitur. Recte ergo sudarium capitis inuolutum inuentum est, quia celsitudo Diuinitatis, nec coepit esse, ne desit. Bene autem dicitur: In unum locum, quia in scissura mentium Deus non est, Deus quippe in unitate est, & illi eius habere gratiam merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Potest quoque per sudarium, passio Christi Domini nostri designari, cuius passionis sacramenta infidelibus sunt inuoluta, quia quæ uidebant carne mortalem, Deum esse immortalē non credunt. Sudarium ergo, quod super caput eius fuerat, seorsum inuenit, quia ipsa passio redemptionis nostri longe à passione nostra se iuncta est, quæ ipse sine culpa pertulit. Quod nos culpa toleramus, ipse sponte morti succumbere uoluit, ad quam nos uenimus inuiti. Sequitur.

**Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui uenerat prius ad monumentum.)**

Postquam intrauit Petrus, ingressus est & Iohannes, posterior intrauit qui prior uenerat. Notum est, quod in fine mundi ad redemptionis fidem etiam Iudæa colligitur, Paulo adstante qui ait: Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.

**Et uidit & credidit.)** Quid ergo uidit, & quid ore credidit? Vidit lintheamina posita & credidit quod mulier dixerat de monumento Dominum fuisse sublatum. Adhuc tenebræ erant in monumento, id est, in mentibus illorum, ideo sequitur. **Rom. 11.**

**Et dixit: Nondum enim sciebant scripturas, quia oporteret eum à mortuis resurgere.)** Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, id est, ubi habitabant, & unde ad monumentum cucurrerant:

**CONCORDIA.** Et in lapidis nomine, & in duorum significatione populorum, istarum duarum congrua sit concordia lectionum. Et in angulari lapide secundum Apostolum uterque populus copulatur, & in duobus Apostolis, secundum Euangelium utriusque populi designantur. Iohannes enim Iudæorum, Petrus populorum gentium figurabat.

Dominicæ



**M**ne quod natum est ex Deo, uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum fides nostra. Quis est autem qui uincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei. Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Christus Iesus. Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est ueritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater, uerbum, & spiritus sanctus, & hi tres unum sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, hij & tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.

**M**ne quod natum est ex Deo, uincit mundum.) Ideo namque mandata diuina non sunt graui, quia omnes qui uera deuotione his mancipantur, & aduersa mundi huius & blandimenta pari mente contemnunt, ipsam quoque mortem, uelut ingressum patriæ celestis amant. Et ne quis sua uirtute mundi uel luxus uel labores se superare posse confideret, consulte subiungit:

Et hæc est uictoria quæ uincit mundum, fides nostra.) Illa nimirum fides, quæ per dilectionem operatur. Illa fides, qua eius humiliter auxilium flagitamus, qui ait: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum.

**Q**uis est autem qui uincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? Vincit mundum, qui Iesum esse filium Dei credens, digna eidem fidei opera iungit. Sed nunc quid sola diuinitatis eius fides, & confessio ualeat ad salutem sufficere? uide sequentia.

Hic est qui uenit per aquam & sanguinem, Iesus Christus.) Qui ergo erat uerus Dei filius, factus est homo in tempore, ut quos per diuinitatis sue potentiam creauerat, per humanitatis suæ infirmitatem recrearet. Qui uenit per aquam & sanguinem, aquam uel dicitur lauacri, & sanguinem suæ passionis.

Non in aqua solum, sed in aqua & sanguine.) Non in aqua solum baptizari propter nostram abluitionem dignatus est, ut nobis baptismi sacramentum consecraret ac traderet, uerum etiam sanguinem suum dedit pro nobis, sua nos passione redemit, cuius sacramentis semper relecti, nutrimur ad salutem.

Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est ueritas.) Baptizato in Iordane Domino, descendit spiritus sanctus in specie columbæ super eum, testimonium illi perhibens, quia ueritas est, hoc est, uerus Dei filius, uerus mediator Dei & hominum, uerus humani generis redemptor ac reconciliator. Vere ipse mundus ab omni labe peccati, uere sufficiens tollere peccata mundi. Quod etiam ipse baptista uiso eiusdem spiritus aduentu intelligens ait: Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, & ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Quod ergo spiritus Iesum Christum esse ueritatem testatur, ipse se ueritatem cognominat. Baptista illum ueritatem predicat, filius ueritatis Euangelizat. Taceant blasphemii, qui hunc fantasma esse dogmatizant. Pereat de terra memoria eorum, qui cum Deum uel hominem esse uerum denegant.

Quia tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, aqua & sanguis.) Spiritus dedit testimonium, quoniam Iesus est ueritas, qui super baptizatum descendit. Si enim uerus filius Dei non esset, nequaquam in eum tanta manifestatione spiritus sanctus ueniret. Aqua etiam & sanguis dedit testimonium, quoniam Iesus est ueritas, quoniam de latere eius in cruce mortui manarunt. Quod nullatenus fieri posset, si ueram carnis naturam non haberet.

Sed

**A** Sed & hoc quod ante passionem, cum oraret, factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram, ueritati carnis adsumptæ testimonium dat. Nec reticendum, quod in hoc quoque sanguis & aqua testimonium illi dederunt, quod de latere mortui uiuaciter effluerunt, quod erat contra naturam corporis, atque ob id mysterijs aptum, & testimonio ueritatis fuit congruum. Videlicet, insinuans, quod & ipsum Domini corpus, melius post mortem esset uiuentium, resuscitatum in gloria, & ipsa mors ipsius nobis uitam donaret. Hoc quoque quod sudor eius instar guttarum sanguinis decurrebat in terram, testimonium perhibebat illis, sacro sancto mysterio, quod Ecclesiam totam, per orbem suo sanguine lauaret.

Et tres unum sunt.) Indiuia namque hæc manent, nihilque eorum à sui connexionem se iungitur, quia nec sine diuinitate uera humanitas, nec sine uera credenda est humanitate diuinitas. Sed hæc in nobis unum sunt, non natura eiusdem subsistentis, sed eiusdem operatione mysterij. Nam sicut beatus Ambrosius ait: Spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis expectat ad precium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis uelut da nos abluit. Sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum uisibile, testimonium sacramento consequitur spiritali.

Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, &c.) Magnum est testimonium hominum, quod perhibet de filio Dei dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et ex persona illius filij Dei: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Itemque ex persona patris loquentis de filio: Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus es tu, & susceptor salutis meæ. Pater meus, quia ego filius Dei. Deus meus, quia ego homo, susceptor salutis meæ, quia ego passurus & à morte saluandus sum. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ. Magnum hoc testimonium, uerax & omni acceptione dignum. Hoc testimonium Dei est de filio, sed multo maius est testimonium Dei, quod testificatus est ipse de filio suo, cum de cælo illud adloquens, ait: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Magnum est testimonium precursoris, quod Dei filio perhibens ait: Ego baptizauis uos in aqua, ille uero baptizabit uos spiritu sancto. Maius est patris, quod spiritum sanctum in eum, quo semper erat plenus, etiam uisibiliter misit.

**Q**ui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.) Qui ita credit in filium Dei ut exerceat operando quod credit, habet testimonium Dei in se. Illud utique quod ipse quoque in filiorum Dei numero iure computetur. Ipso unico Dei filio, sic suis fidelibus pollicente: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Quod si Dei testimonium habere merueris, si Deum testem tuæ fidei intemerate possideris, quid te hominum infamia, aut persecutio ledat? Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?

## ALIA EXPOSITIO.

**M**ne quod natum est, ex Deo, id est, genus electum & spirituale, in fide, qua credit, quoniam Iesus est filius Dei, uincit mundum. Illum utique, qui in maligno positus est, de quo ait saluator: Confidite, quia ego uici mundum. Hic est, qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Per aquam baptismi, & sanguinem martyrij, dans nobis in his duabus rebus exemplum, ut sequamur uestigia eius. Spiritus est qui testificatur, quoniam Iesus ueritas est. Spiritus utique sanctus, qui super eum in specie descendit columbæ. Nam & ipse de se Dominus ait: Ego sum uia, ueritas & uita. Siue hic dicendus spiritus est, qui testificatur, quia Iesus est ueritas, id est, uerus homo, cui utrunque, id est aqua & sanguis, testimonium uere perhibet carnis. Et non solum hæc, sed & spiritus hominis, qui in eo est, de quo in Euangelio dicit: Inclinato capite, emisit spiritum. Testificatur, id est, demonstrat, quod Iesus ueritas est, id est, uerus homo, ex anima constans & corpore. Vtrunque enim suscepit, ut utrunque redimeret.

Quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis.) Id est, spiritus sanctus, & pater qui dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ: & sanguis, id est, Christus, uerus Deus & homo. Sanguis enim, intelligitur homo: Et hij tres, inquit, unum sunt, id est, pater & filius & spiritus sanctus. Non enim humanitas Domini nostri Iesu Christi in trinitate facta est quaternitas, sed semper permanet indiuia trinitas. Alter.

Testimonium perhibet salutis humanæ, aqua baptismi, sanguis martyrij, & acceptio spiritus sancti, quo operante, eo humano generi mysterium salutis conficitur unum.

Euangelij





**C**um vero esset die illa uno sabbatorum, & fores essent clausę, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudęorum. Venit Iesus & stetit in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax uobis. Sicut misit me pater, & ego mitto uos. Hoc cum dixisset, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didimus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli. Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomę: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & asser manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus. Quia uidisti me Thomas credidisti, beati qui non uiderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quę non sunt scripta in libro hoc. Hęc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei. Et ut credentes uis tam habeatis in nomine eius.

**C**um esset sero die illo una sabbatorum, & fores essent clausę, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudęorum. Venit Iesus & stetit in medio eorum, & rel.) Quid mirum sic clausis ianuis post resurrectionem suam, in eternum iam uicturus intravit, qui moriturus ueniens, non aperto utero uirginis exiuit? Sed quia ad illud corpus quod uideri poterat fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus & latus. Palpandam carnem prębuit, quam clausis ianuis introduxit. Clauis enim manus fixerat, lancea latus eius aperuerat. Ibi ad dubitantium corda sananda uulnere sunt serua uestigia, qua in re duo mira, & iuxta humanam rationem sibi ualde contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum & incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit, nam & corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest, quod non corrumpitur, sed miro modo atq; inestimabili redeptor noster, & incorruptibile post resurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monstrando incorruptibile, inuitaret ad premium, prębendo palpabile, formaret ad fidem. Et incorruptibile se ergo & palpabilem demonstrauit, ut profecto esse post resurrectionem ostenderet corpus suum, & eiusdem naturę & alterius glorię.

Dicit ei: Pax uobis.) Pacem offerrebat, qui propter pacem uenit, & quibus ante dixit: Pacem meam relinquo uobis, pacem meam do uobis, modo dicit: Pax uobis. Quam pacem nascente Christo angeli prędicauerunt mundo.

**Beda.** Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino.) Parum fuit oculis se uidentem prębere, si non pręberet etiā manibus contręctandum. Qui dum palpanda discipulis ossa carnemq; pręmonstrat, aperte statum uerę resurrectionis, quę & in se facta, & in nobis est futura significat, quia non sicut Euarichius Constantinopolitanę urbis Episcopus scripsit: Corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit in palpabile, uentis aereq; subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentię, sed & palpabile per ueritatem naturę. Nec

**A** Nec huic assertioni putetur Apostoli sermo repugnare, quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Hoc enim loco Apostolus carnis & sanguinis nomine, non substantiam ueri corporis, sed corruptionem mortalitatis significat, sicut ipse consequenter exposuit, dicens: Nec corruptio incorruptelam possidebit.

Dicit ergo eis iterum: Pax uobis.) Iteratio sermonis, cōfirmatio est. Quod autē dicit secundo: Pax uobis, ostendit pacificata esse quę in cœlis sunt et quę in terris per sanguinē suū.

Sicut misit me pater & ego mitto uos.) Pater filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. Quem uidelicet, in mundo uenire ad passionē uoluit, sed tamen amauit filium quem ad passionem misit. Electos uero Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est ad passiones, in mundum mittit. Sicut ergo & filius amat a patre, & tamen ad passionem mittitur, ita & discipuli amantur a Domino, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum. Itaq; dicitur: Sicut misit me pater, et ego mitto uos, id est, ea charitate uos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem uenire ad tollerandas passiones fecit.

Hoc cum dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum.)

Querendum nobis est, quid est, quod spiritum sanctum Dominus noster, & semel dedit in terra consistens, & semel cœlo præsiciens. Nec enim alio in loco datus spiritus sanctus aperte monstratur, nisi tunc, cum per insufflationem percipitur, & postmodum de cœlo ueniens in linguis uarijs demonstratur. Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodum de cœlo mitit, nisi quod duo sunt pręcepta charitatis, dilectio uidelicet Dei & proximi. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus, cœlo datur, ut diligatur Deus. Sicut ergo una est charitas, & duo pręcepta, ita unus spiritus, & duo data. Prius a consistente Domino in terra, postmodum in cœlo, quia in proximi amore dicitur, qualiter perueniri debeat ad amorem Dei. Insufflando significauit spiritum sanctum, non patris solius esse spiritum, sed & suum.

Quorum remiseritis peccata, remittunt eis, & quorum retinueritis &c.)

Eccę charitas quę per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit. Eorum autē, qui nō sunt eius participes tenet. Ideo posteaq; dixit: Accipite spiritum sanctum, hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subiecit. Sciendum uero est, quod hi qui primum spiritum sanctum habuerunt, ut & ipsi innocenter uiuerent, & in predicatione quibusdam prodesse, Idcirco hunc post resurrectionem Domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis sed pluribus possent.

**B** Thomas autē unus de duodecim, qui dicitur Didimus nō erat &c.) Ille unus discipulus desuit, reuersus, quod gestum est, audiuit, audita credere renuit. Venit iterum Dominus, & non credenti discipulo, latus palpandum prębuit, manus ostendit, & ostensa suorum uulnere cicatrice, infidelitatis illius uulnus sanauit. Quid fratres charissimi, quid inter hęc animaduertitis, nunquid casu gestum credis, ut electus ille discipulus tunc deesset, post hęc ueniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuina dispensatione gestum est. Egredere nancq; miro modo superna clementia, ut discipulus dubitans, dum magistri sui uulnera palparet carnis, in nobis uulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomę infidelitas ad fidem, quā fides credentium discipulorum profuit. Quia dum illo ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postposita, in fide solida uir.

Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autē dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum &c.)

Quod autem dicit Iohannes, nō cum illis fuisse tunc Apostolum Thomam, cum secundum Lucam, duo illi, quorum erat unus Cleophas, regressi in Hierusalem, inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, proculdubio, intelligendum est, quod inde Thomas exierat, anteq; eis Dominus hęc loquentibus appareret.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis, uenit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum & dixit eis: Pax uobis. Deinde dicit Thomę: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, &c.)

Sic quippe discipulum post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione desierit, sicut ante natiuitatem suam habere Mariam sponsum uoluit, qui tamen ad eius nu-

tias non peruenit. Nā ita factus est discipulus dubitans & palpan, testis ueræ resurrectionis, sicut sponsus matris fuerat custos integerrimæ uirginitatis.

Beda.

Non solum manus & pedes, quibus iditā clauorum claruere uestigia, sed adstante Ioanne etiam latus quod lancea foratum fuerat ostendit. Vt uidelicet, ostensa uulnerum suorum cicatrice, dubietatis atq; infidelitatis eorum uulnus sanaret. Verum quomodo post resurrectionē clauorū, uel lanceę loca pandendo, discipulorum dignatus est fidem spemq; roborare, ita in die iudicię & eadem suę passionis indicia, & ipsam pariter crucem monstrando, uenturus est, impietatem superbiorū, infidelitatemq; confundere. Scilicet ut ipsum se esse, qui ab impijs, & pro impijs mortuus est, cunctis palam angelis & hominibus ostendat, uideantq; ut scriptū est: in quē cōpunxerunt, & plangent se super eum omnes tribus terrę. Sane notandū, quod solent in hoc loco gentiles calumniam struere, & fidem speratā a nobis resurrectionis, stulta garrulitate deridere: Si enim ipse Deus uerter, inquit, nec sibi inflicta à Iudæis uulnera curare præuoluit, sed cicatricum uestigia, cœlum secum, ut dicitis, inuexit, qua temeritate putatis eum uestra de puluere membra, ad integrum esse restauraturum? Quibus respondendum: Quia Deus noster, qui suam perpetuam iam mortalitate glorificatam de sepulchro carnem resuscitauit, quando uoluit, & quomodo uoluit, potuit, etiam qualem uoluit, suscitauit. Neq; enim consequens est, ut qui maiora fecisse probatur, minora facere nequiuerit, sed certe dispensationis gratia, qui maius fecit, minus facere superfedidit, hoc est, qui mortis regna destruxit, signa mortis obliterare noluit. Primo uidelicet, ut per hæc discipulis fidem suę resurrectionis astrueret, deinde ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis, pro mortalium uita pertulerit, superostendat. Tertio ut sua morte redemptis, quā misericorditer sint adiuti, propositis semper eiusdem mortis in nouet indicijs, ideoq; misericordias Domini in æternum cantare non cessent: Sed dicant qui redempti sunt à Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Postremo ut etiam perfidis in iudicio, quā iuste damnentur, ostensa inter alia flagitia, etiam uulnerum, quæ ab eis suscepti cicatrice denunciet, ueluti si miles aliquis fortissimus iubente suo rege pro totius suę gentis salute, singulari certamine desudans, multis quidem uulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, spolia eius diripiat, uictoriam suę genti reportet, & interrogatus à medico cui curandus committitur, ita ne uelit curari, ut nec uestigia uulnerum ulla residueant, an magis ita, ut cicatrices quidem remaneant, deformitas uero proflus omnis & foeditas absit, respondeat, se potius ita se uelle sanari, ut toto salutis decorisq; pristini statu recuperato, perpetuam secum tanti circumferat signa triumphi. Sic profecto Dominus, per petris ob signum uictorię, non excepta pro nobis uulnera passionis, sed ipsorum cicatrices cœlo, inferre quā abolere maluit. Nec tamen ab his quippiam fidei nostrę resurrectionis præiudicet, de qua ueraci promissione prædicatur, & capillus de capite uestro non peribit.

Num. 9. Zacha. 12.

Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus & Deus meus: Dicit ei Iesus: Quia uidisti me & credidisti. Dū ergo uidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur: Quia uidisti me credidisti, sed aliud uidit, aliud credidit. A mortali quippe homine, diuinitas uideri non potuit, hominem igitur uidit, & Deum confessus est dicens: Dominus meus & Deus meus. Videndo ergo credidit, qui considerando hominem, uerum hunc Deum, quem uidere non poterat exclamauit.

Luce. 24.

Beati qui non uiderunt & crediderunt. In hac nimirum sententia nos specialiter signati sumus, qui eum quem carne non uidimus mente, retinemus. Nos signati sumus, sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille enim uere credit, qui exercet operando quod credit. Quod autem ait: Beati qui me non uiderunt & crediderunt. Præteritū temporis usus est uerbis, tanq; ille, qui quod erat futurum in sua nouerat prædestinatione iam factum, sed his uerbis proprie gentium, ut diximus, fides designatur.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorū, quæ non sunt scripta in libro hoc. Significat Euangelista plurima fecisse Iesum signa & miracula salutis & prædicationis, quæ non scripta essent, propter multitudinem illarū rerū quæ gesta fuerunt ab eo.

Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei & ut credentes uitam æternam habeatis in nomine eius. Ille enim qui credit, quia Iesus est Christus filius Dei, credendo ipsum filium in se habet, habendo filium, & uitam habet

habet. Quia ipse dixit: Ego sum, uia, ueritas & uita. Insuper & uitā cum sanctis possidebit eter nam, ubi erit certa securitas, sempiterna felicitas, inenarrabile gaudium, ibi implebit illud: Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, id est, ero unde fatientur, ero eorū uita & salus & uirtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona, & sit implebitur illud Apostoli: Vt sit Deus omnia in omnibus, ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

10. 1. 4. Hier. 31.

Deus finis desideriorum nostrorum.

CONCORDIA. Quanc; & in pluribus uerbis & sensibus, tamen in hoc quod dicit, quia Iesus est filius Dei, istarum duarum aptissima fit concordia lectionum.

DOMINICA POST OCT. PASCHAE. EPIST. beati Petri Apost. I. Petri. II.



Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Qui peccatum non fecit nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniuste, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitię uiuamus, cuius liuore sanati estis. Eratis enī aliquādo sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum uestrarum.

Beda.

Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia eius, qui peccatum non fecit, &c.) Audis autem, Christus passus est pro nobis, & gaudes, quia pro te mortuus est Christus. Attende quod sequit: Relinquens nobis exemplum, ut sequamini uestigia eius. Exemplū tribulationum non delictarū, contumeliarū, flagitiorum, dolorum, opprobriorū, spinarum, crucis, uulnerū mortis. In Palmo scriptum est: Propter uerba labiorum tuorum, ego custodiui uias duras. Propter quæ uerba labiorum Dei, nisi quibus promittit uitam æternam.

Psal. 61.

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, &c.) Cum supra ad seruos specialiter faceret sermonem, nunc generaliter admonet, ut etiā domini sui memoriam reuocet, quid pro illis Deus Dominus sustinuerit, Imo totam Ecclesiam instruat, quid pro eius liberatione suus autor pertulerit. Non enim ait: peccata uestra, sed etiam se addito, qui peccata, inquit nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.

Eratis enim sicut oues errantes.) Quomodo & oues dicit, & errantes, cum hi qui in errore uitam ducunt hoc eorum potius quam ouium nomine censeantur, nisi quia nouit Dominus qui sunt eius, qui & multos diu male conuersantes sustinet, quos tamen in ouium suarum numero saluandos esse præuidit.

Sed conuersi estis nunc ad pastorem, &c.) Tangit Euangelicam parabolam, ubi pius pastor, relicta nonaginta nouē ouibus in deserto, uisitare uenit unā quę errauerat. Nā quod ibi dictū est, quod hanc inuentā imposuerit in humeros suos gaudens, hoc isti beatus Petrus promisit, dicens: Qui peccata nostra ipse portauit in corpore suo super lignū, quia nimirū ita nos redimere uoluit, ut lignum in quo peccata nostra tolleret, pendens in humeris haberet. Ad pastore ergo, inquit: Et uisitatorem animarū uestrarū, pastorem uidelicet, quia pasua nobis uitę donat eterne, pasua in præsentī temporalīū præstat gratiarum. Uisitatorem uero animarū uestrarum, quia uisitauit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Uisitator cotidie ipsam in nobis, quia donauit lucem, ne deficiat seruando, imo ut accrescat & crescat iuando. Quidam codices ipsum Græcum habent, ἀλλὰ ἐπισημασθέντες ὑμῶν ἐπὶ τὸν ποιμένα καὶ ἐπὶ τὸν κτηνοτρόφον ὑμῶν, ad pastorem & ad Episcopum animarum uestrarum. Episcopus autem Latine superintendens dicit, quia nimirum oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, ut ex omnibus tribulationibus eorum liberet eos.



EVANGELIUM IOANNIS. CAP. X. Igo sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autē, & qui non est pastor, cuius non

**C** sunt oues proprie, uidet lupum uenientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meae. Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis, & alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor.

**E**go sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.) Dum Dominus boni pastoris opus ostendere uoluit, se ipsum proposuit in exemplo dicens: Bonus pastor, animam suam dat pro ouibus suis.

Grego.

Ostensa est nobis de contemptu mortis uia quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere. Postremum uero si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ouibus ministrare. Qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando daturus est animam suam? Expoluimus uel magis Domino docente intelleximus, quis sit pastor, quis ostiarius, quis etiam et oues, nec non qui sint fures & latrones cognouimus. Sed modo de mercenario & lupo, consideremus, de quibus ipse Dominus dixit.

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae uidet lupum uenientem, & dimittit oues & fugit.)

Non pastor, sed mercenarius uocatur, quia non pro amore intimo oues Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit. Terrenis commodis inhiat, honore praerelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia letatur. Iste sunt enim mercedes mercenarij, ut pro eo ipso quo in regimine laborat, hic quod quaerit inueniat, & ab hereditate gregis, in posterum alienus excitar.

**D** Et lupus rapit & dispergit oues.) Lupus rapit & dispergit oues cum alium ad luxuriam pertrahit, alium in auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit. Hunc inuidia stimulat, illum in fallacia supplantat. Quasi ergo gregem lupus dissipat, cum fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra haec, mercenarius, nullo zelo accenditur, nullo seruore dilectionis excitatur. Quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, &c.) Sola ergo causa est ut mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si aperte diceretur: Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus praestit non oues diligit, sed lucrum terrenum quaerit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis letatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat. Item lupus super oues uenit, cum quilibet iniustus & rapitor, fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse uidebatur & non erat, relinquit oues & fugit, quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiae non praesumit. Fugit autem, non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Fugit quia iniustitiam uidit & tacuit. Fugit, qui se sub silentio abscondit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione, quotidie non corpora, sed mentes dilaniat. Malignus uidelicet spiritus, qui caulas fidelium insidians, circuit, & mortes animarum quaerit.

Ego sum pastor bonus.) Quia superius redemptor noster culpas sancti pastoris innotuit. Iterum formam cui debeamus imprimi ostendit dicens: Ego sum pastor bonus. Atque subiungit: Et cognosco meas, hoc est, diligo, & cognoscunt me meae, id est obsequuntur diligentes.

Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis.) Ac si aperte dicat: In hoc constat, quia & cognosco patrem, & cognoscor a patre, quia animam meam pono pro ouibus meis. Id est, ea charitate qua pro ouibus morior, quantum patrem diligam ostendo. Quia uero non solum Iudaeam, sed etiam gentilitatem redimere uenerat, adiungit.

Et alias

**A** Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor.) Redemptionem nostram, qui ex gentili populo uenimus, Dominus aspexerat, cum se adducere, & alias oues dicebat. Hoc cotidie fieri fratres aspiciatis, hoc reconciliatis gentibus factum hodie uideris, quasi ex duobus gregibus unum ouile efficit, quia Iudaicum & gentilem populum in sua fide coniungit. Paulo attestante qui ait: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Dum enim ad gentem uitam ex utraque natione simplices elegit ad ouile proprium oues deducit.

CONCORDIA. Istarum duarum & in ouibus & in pastore fit conueniens concordia lectionum.  
DOMINICA SECVNDA POST OCT. PASCHAE

Epistola beati Petri Apostoli. I. Petri. Cap. II.



**B**secro uos tanquam aduenas & peregrinos abstinere uos a carnalibus desiderijs, quae militant aduersus animam. Conuersationem uestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrahunt de uobis, tanquam de malefactoribus ex bonis operibus, uos considerantes glorificent Deum in tempore uisitationis. Subiecti estote omni creaturae humanae propter Deum, siue regni, quasi praecellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uero honorum. Quia sic est uoluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quasi liberi, & non quasi uelamen habentes malitiae libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timeate, Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tamen bonis & modestis, sed etiam discolis. Haec est enim gratia in Christo Iesu Domino nostro.

**B**secro uos tanquam aduenas & peregrinos.) Aduenae Latine, Graece dicuntur, Beda. *αποστολοι*. Quo nomine appellabant Iudaei eos, qui de gentibus nati, in Deum crediderunt, eiusque circumcissione accepta Iudaico more, iuxta Dei legem, uitam ducere uoluerunt. De quorum numero fuere quidam eorum, qui in die sancto Pentecostes, quae Apostoli spiritum sanctum in ignis uisione perceperunt, ad praedicationem eorum Christo crediderunt, dicente scriptura, quod Iudaei quoque & proseliti adessent. Sed & nos si ueraciter cum Propheta, Deo dicere possumus, quoniam incola nos sumus apud te in terra, & peregrini, sicut omnes patres nostri, ad nos quoque Epistolas beati Petri scriptas credere, & quasi nobis missas legere debemus.

Act. 2.

Abstinere uos a carnalibus desiderijs, quae militant aduersus animam.) Dum concupiscentijs blandientibus caro eneruatur, subiugatur, iam uitiorum exercitus firmiter aduersus animam armatur. Quos competenter aduenas uocat & peregrinos, ut eo minus terrenis rebus animum subponant, quo se patriam in caelis habere meminerint, namque hoc distare, in hac uita inter electos solet & reprobos, quod electi peregrini, nunc & exules patriam expectant in futuro. Tantoque minus in presenti gaudijs delectantur caducis, quanto futura sine sine gaudia se sperant accipere, & in aeternum regnare cum Christo. At uero reprobi hinc habent patriam, cuius solum uitae desiderijs norunt inhare. Ideoque post hanc uitam in exilium religantur perpetuum. Vbi cunctis carentes uoluptatibus sola, in cor mentis patiantur aduersa.

Vt in eo, quod detrahunt de uobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus uos considerantes glorificent Deum in die uisitationis.) Plerumque contingit, ut pagani qui fidem Christianorum uituperabant, quare Deos suos dereliquissent, postmodum considerantes castam eorum conuersationem, & inuictum in Christo animum, cessarent eis detrahere, magisque Deum glorificare, ac laudare inciperent, qui bonitate ac iustitia cultorum suorum bonus esse probaretur & iustus: Glorificant, inquit, Deum in die uisitationis, hoc est, in tempore retributionis, quanta uobis sit gloria per Deum donanda. Iam nunc cognoscant in creduli cum uos instanter per obstantia pericula illum sequi perspexerint.

q 3 Subiecti

**C** Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.) Omnia humanæ creaturæ dicit, omni dignitati hominum, omni personæ, omni principatui, cui uos diuina dispositio subditi uoluerit. Hoc est enim quod ait, propter Deum. Quia non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Quam creaturam subsequenter exponit adiungens:

Siue regi quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis.) Ideo regi tantum ac ducibus, non autem & Dominis dicit, quia hoc in loco illos specialiter, ut præfati sumus, instruit qui sunt Domini seruum. Subsequenter uero, & seruos quomodo Dominis famulentur admonet. Docet ergo fideles, famulos uidelicet æterni regis, etiam mundi potestatis subditi, ne uel in hoc seculi, & religioni Christianæ possit detrahi, quod per eam humanæ conditionis iura turbentur. Nam & ita potest recte intelligi, quod dictum est: omni humanæ creaturæ, ut significetur & fidelibus & incredulis rerum Dominis.

Ad uindictam malefactorum, laudem uero honorum.) Non quod omnes qui à regibus missi duces sunt, uel malefactores punire uel laudare bonos nouerint, sed quæ esse debeat actio boni ducis, simpliciter narrat, hoc est, ut malefacientes coherceret, & beneagentes remuneret. Qui etiam si iniuste agit, si bonos damnat, nihilominus ad laudem eorum perit, nec quæ facit, si patienter eius improbitatem tolerant, & sapienter eius stultitiæ resistunt. Unde & Paulus: Vis non timere potestatem, bonum fac & habebis laudem ex illa, non dicit, ab illa sed ex illa. Quia & si potestas te mundana non laudat, immo si etiam persequitur, si occidit gladio, ut Paulum, si crucifigit, ut Petrum, habebis ex illa laudem, dum ex eo, quod illa malefecit, in te iustum & innoxium tuæ uirtutis patientia coronam laudis meretur. Nam & hoc intendit beatus Petrus in hac sententia, uerba sequentia docent, quibus dicitur:

Quia sic est uoluntas Domini, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.) Hæc est ergo laus honorum, ad quam duces à Rege dicit missos, dum ignorantia Ducum imprudentium, boni ad laudem suam perpetuam benefecendo utuntur.

**D** Quasi liberi & non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem.) Quasi liberi bona faciunt, qui quo maiore apud homines libertate utuntur, eo arctius, immo libertus diuino famulatu subiugantur. Sed & illi quasi liberi benefaciunt, qui in exemplum Ioseph Patriarchæ, tamen si seruitio deprimuntur hominum, serui esse uitorum nulla arte compelluntur. At uero libertatem suam in uelamen malitiæ uertunt, cum quo minus humani famulatus iugo cohibentur, eo latius peccatorum dominio mancipantur. Et cum uicibus impunguntur, libertatem uocant. Hoc prætexunt nomine culpam. Potest autem iuxta illud Apostoli Pauli generaliter accipi, uos in libertate uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasione carnis detis. Liberi enim recte uocamur, quia per baptismum à peccatorum sumus nexibus absoluti, quia à dæmoniaca seruitute redempti, quia filij Dei effecti. Non tamē dono libertatis potiorē peccandi facultatē uel licentiam accepimus, quin immo, si peccamus, mox libertate perditam serui efficiamur peccati. Et quisque se ab hoc liberatum à Domino putat, ut licentius peccet, talis suam libertatem in uelamen malitiæ mutat. Uult autem nos beatus Petrus liberos esse à seruitio culpæ, ut serui creatoris nostri boni & fideles permanere possimus, unde subsequenter adiungit.

Sed sicut serui Dei: Omnes honorate, fraternitatē diligite, Deū timete, Regem honorificate.) Monet ergo congruum cunctis impendere honorem, & iuxta imperium Domini, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo reddere quæ Dei sunt. Et bene inter alia fraternitatem diligere iubet liberos, ut eos quoque, qui sibi temporali conditione subiecti sunt, fratres sibi in Christo esse factos recolant, una cum ipsis patre inuocantes eum, qui sine accepti one personarum iudicat.

Serui subditi estote in omni timore Domini, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.) *Δύσκολοι* sunt difficiles, sine scholari doctrina. Discipulos in disciplinatos dicit, nomine ducto à Græco eloquio. Quia Græcæ scola uocat locus, in quo adulescentes liberalibus studiis operam dare, & ad audiendos magistros uacare solent, unde *σχολή*, uacatio interpretatur. Denique in Psalmo ubi canimus: Vacate & uidete, quoniam ego sum Dominus,

**A** mius pro eo quod nos dicimus uacate, in Græco habetur, *σχολάζετε*. Scholastici sunt ergo eruditi, discipuli indocti & agrestes, sed utrisque uult obedire subditos, explicans apertius quomodo nos supra omni creaturæ iusserit esse subiectos. Alia editio pro discipulis difficiles habet, & sanctus antistes Fulgentius in opusculis suis sic ponit: Seruientes cum amore, non tantum bonis & modestis, sed etiam difficilioribus.

Sed si benefacientes & patientes sustinetis, hæc est enim gratia in Christo Iesu.) Hæc est enim gratia apud Deum, in hoc enim uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum &c. Notandum attentius quam summe conditionem seruorum glorificet, quos benefacientes, & absque ulla culpa uapulantes à Dominis crudelibus & improbis imitatores esse Domini passionis adfirmat.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XVI.

**M**odicum & iam non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis modicum, & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis, modicum. Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia uolebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc queritis inter uos, quia dixi modicum & non uidebitis me, & iterum modicum, & uidebitis me, quia uado ad patrem. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Mulier cum parit tristitiam habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem uidebo uos & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

**M**odicum & iam non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me.) Ad illos specialiter hæc que dicta sunt pertinet, qui eius discipulatu prædicantis in carne adherere, & post tristitiam passionis suæ, uisa resurrectione & ascensione eius, lætificari meruerunt. Modicum etiam fuit ab illa hora, illius noctis qua traditus est in hora passionis suæ, quod eum discipuli carnaliter uidebant. Et iterum modicum fuit, quod clausus in sepulchro tertio die resurrecturus iacuit, & illorum aspectibus uideri non potuit, hoc est quod ait: Modicum & non uidebitis me. Quod uero ait: Iterum modicum & uidebitis me, significat tempus post resurrectionem, quo cum discipulis conuersatus est, & illis multimoda ostensione apparuit, usque dum ascendit in cœlum illis uidentibus, ut in Euangelio & in Actibus Apostolorum legitur. Et hoc est, quod ait: Quia uado ad patrem, ac si patenter dicat: Quia post modicum à uestris aspectibus, in monumenti claustra abscondor, & iterum post modicum, destructo mortis imperio, uobis intuendus apparo, quia tempus est, ut expleta dispensatione assumptæ mortalitatis, cum resurrectionis triumpho iam reuertar ad patrem. Hæc uero uerba Domini, ut dixi, illis speciatim, qui eius resurrectionem uidere potuerunt conueniunt, quæ Apostoli tunc temporis non potuerunt intelligere. Et hanc illorum ignorantiam pius Magister intelligens, subsequenter secundum animæ illorum dubitationem respondit, quasi expositurus quid esset, quod dixit: Modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me.

Cognouit ergo Iesus, quia uolebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc queritis inter uos, quia dixi, modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit, uos autem contristabimini, &c.)

**C** Hoc & ipsorum & totius Ecclesie statui congruit. Plorabant quippe & flebant amatores Christi, cum illum comprehendi, ab hostibus ligari, ad concilium duci, damnari, crucifigi, mori & sepeliri uiderentur. Gaudebant mundi amatores, quos ob infimas cogitationes mundum uocauit Dominus, cum morte turpissima condemnarent illum, qui grauis erat eis etiam ad uidentum. Contristabantur discipuli posito in morte, sed agnita etiam eius resurrectione, tristitia illorum uersa est in gaudium. Visa ascensionis potentia, iam maiore gaudio subleuati, laudabant & benedicebant Dominum, ut Lucas Euangelista testatur. Sed & cunctis fidelibus, hic Domini sermo conuenit, qui per lachrymas pressuraturis presentem an gaudia aeterna peruenire contentunt: Qui seminant in lachrymis, ut in gaudio metant: Euntes ibant & flebant, quatenus in eterne beatitudinis laboris sui mercedem recipiant. Mundus autem, id est, mundi amatores gaudebunt, qui ad aeterna gaudia se preparare per lachrymas & afflictiones despiciunt. Vos autem contristabimini per labores & pressuras, sed tristitia uestra uertetur in eterne beatitudinis letitia.

Mulier cum parurit, tristitiam habet, quia uenit hora eius.) Mulierem dicit sanctam Ecclesiam, propter fecunditatem honorum operum. Et quia spirituales Deo filios gignere nuncq̄ desinit, haec mulier cum parurit, tristitiam habet, quia uenit hora eius.

Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in hoc mundo.) Quia nimirum sancta Ecclesia, quam diu in mundo spirituali uirtutum profectibus inuisit, nuncq̄ mundi tentationibus exerceri desinit. At cū deuicto laborum certamine ad palmam peruenerit, iam nō meminit, inquit, pressuræ præcedentis, propter gaudium præcepti retributionis, quia nō sunt condignæ passionibus huius temporis adsuperuenturæ gloriae, quæ reuelabit in nobis: Nō meminit, inquit, pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia nato in uita futuræ fidelium populo, digna exultatione replet, pro qua eius natiuitate multum laborans & gemens in præsentia, quasi parturiens dolet. Nec nouum debet cuiq̄ uideri, si natus dicitur, qui ex hac uita migrauerit. Quomodo enim consuevit nasci dicitur, cū quis de utero matris procedens hanc in lucem egreditur, ita etiam rectissime potest natus appellari, qui solutus à uinculis carnis ad lucem sublimatur aeternam, unde mos obtinuit Ecclesiasticus, ut dies beatorum martyrum siue confessorum Christi, quibus de seculo transierunt, natales uocentur, eorumq̄ sollempnia non fnebria, sed natalitia dicantur. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Quod de ipsis quidem discipulis facile intelligitur, quia tristitiam habuerunt, passo ac sepulcro Domino, sed perfecta resurrectionis gloria, gauisi sunt uiso Domino. Et gaudium eorum nemo tulit ab eis, licet pressuras ac persecutiones passi essent in hoc mundo, semper in spe gaudebant futuræ retributionis, pro eo quod digni essent, pro nomine Iesu contumelias pati: Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Videt itaq̄ electos post tristitiam Dominus, cum eorum patientiam damnato impugnatore remunerat: Uidebo uos, id est, cum assumpsero uos ad me ipsum. Ut ubi sum ego & uos sitis, & in illa uisione perpetuæ gloriæ gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis, quia ibi nullus aduersarius, nullus persecutor, nemo qui tristitiam ingerat animis uestris, dum uidebitur Deus deorum in Sion, & cum apparuerit Christus, tunc & uos apparebitis, ut Apostolus ait, cū illo in gloria.

## DOMINICA TERTIA POST OCT. PASCHÆ

Epistola beati Iacobi Apostoli. Cap. I.



**Q** Mne datū optimū, & omne donū perfectū defursum est, descendens à patre luminū, apud quem non est transmutatio nec uicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creature eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus autē ad loquendum, & tardus ad irā. Ira enim uiri iustitiā Dei non operatur. Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite inuitum uerbum, quod potest saluare animas uestras.

Omne

**A** **O**Mne datum optimum, & omne donum perfectum defursum est descendens à patre luminum.) Postq̄ docuit uicia, quibus tentamur non à Deo nobis, sed à nobis ipsis inesse ostendit, contra, quicquid boni agimus, hoc à Deo donante percipimus. Inde etenim patrem luminum appellat, quia autorem noui spiritualium charismatum, Cui consonat illud Apostoli Pauli: Quid enim habes quod non accepisti? 1. Corin. 1.

Apud quem non est transmutatio, nec uicissitudinis obumbratio.)

Quia in Dei natura mutabilitas non est, neq̄ lumen eius sicut lumen huius mundi aliqua uicissitudinis umbra intercidit. Liqueat utiq̄ quia sola nobis dona lucis, & non etiam tenebras mittit errorum.

Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis.) Et Dominus in Euangelio: Nō uos me elegisti, sed ego elegi uos. Et in Osee propheta: Diligam eos spontaneæ. Quia ergo dixerat: Omne datum optimum, & omne donum perfectum à Deo descendere, consequenter adstruit, addendo: quia non nostris meritis, sed suæ beneficio uoluntatis, per aquam regenerationis de filiis tenebrarum, nos in filios lucis mutauerit. Ioan. 14. Of. 14.

Ut simus initium aliquod creature eius.) Ne in eo quod ait, genuit, hoc nos si eri putarem quod ipse est. Ideo principarum quendam, in creatura nobis hac adoptione concessum ostendit. Hunc etenim uersiculum, quidam ita transulit. Volens genuit nos uerbo ueritatis, ut simus primitiæ creaturarum eius, id est, ut cæteris quos cernimus creaturis, simus meliores. Primitias namq̄ frugum uel animalium, Domino consecrari lex præcipit. Primitias auri & argenti ad opus tabernaculi iussit conferri, id est, optima queq̄ in metallis. Et de antiquo Dei populo dixit propheta Hieremias: Sanctus Israel Domino primitiæ frugum eius. Exod. 22. 23. Hier. 4.

Scitis autem fratres mei dilectissimi.) Notissimum inquit, uobis est, quod à uobis ipsis habuistis, ad uita labi, à Domino autem uos illustrari, non uestra prouisione, sed superna gratia uos proueniente, contigit.

**B** Sit autē omnis homo uelox ad audiendum, &c.) Hinc auditorem moralibus instituit præceptis, & recte primo admonet, aurem quenq̄ citius accommodare docenti, sero autem os ad docendum aperire, quod stultum est, quemlibet que ipse nō didicerat, alijs uelle predicare. Qui ergo sapientia diligit, primo ut supra ammonuit, hanc à Deo postulet. Dehinc magistrum ueritatis humilis auditor inquirat, & inter agendum suam cautissime linguam, non solū ab odiosis sermonibus coherceat, uerum & ab ipsa, quam nuper didicit ueritate predicanda cōtineat. Hinc Salomon de distantia temporū scribens, ait: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccle. 3. Hinc Pitagorici, naturalis scientiæ magisterio præditi, auditores suos per quinquennium iubebat silere, & sic demum predicare permittunt.

Et tardus ad iram.) Quia maturitas sapientiæ, non nisi tranquilla mente percipitur Scriptum est enim, quia ira in sinu stulti requiescit. Non autem ita uelocitatem iræ uetat, ut huius tarditatem adprobet, sed hoc potius admonet, ut & hora perturbationis ac litium, ne nobis ira subrepat caueamus. Aut si forte subreperit, intra oris septa, eius cohibeamus impetum, ut exacta hora discriminis liberius eam ad integrum à corde nostro per tempus expurgemus. Vel certe tardos ad iram nos esse præcipit, ut non quaslibet ob causas serenitatem nostri uultus in austeritatem uertamus, sed certa existente ratione, uerbi gratia, si aliter corrigi proximos maxime qui nobis commissi sunt, nō posse cernamus, securitatem erga eos uerbi, uel etiam iudicium distributionis exhibeamus, manente tamen quantum natura humana patitur statu nostræ mentis sereno. Credo, Phinees, Samuel, Helias, & Petrus, tardi fuerunt ad iram, & tamen peccantes, uel uerbo, uel gladio peremerunt. Sed & Moses, cum esset uir mitissimus, exiuit à Pharaone, quem incorrigibilem uidit, iratus nimis, comminatus ei poenam quam & opere parauit. Eccle. 47.

Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur.) Facilis est sensus, quia qui iracundiæ uitio, se incautus subiugat, & si hominibus iustus apparet, in diuino examine nondum perfecte iustus est. Verum alius potest intelligi, quod à Domino dictum est: Tu autem Domine uirtutum, cum tranquillitate iudicas, qualiscunque iudex homo, amissa mentis tranquillitate, delinquentem iudicat, etiam si iuste iudicat, iustitiam tamen diuini examinis, in quam perturbatio cadere nescit, imitari non potest.

propter



**C** Propter quod abicientes omnem immundiciam & abundantiam malitia, in mansuetudine suscipite insitum uerbum.) Primo & corpus & mentem à uicijs iubet expurgare, ut digni existere possint, qui uerbum salutis percipiant. Qui enim nō declinat prius à malo, nō potest facere bonum. Omnem quippe immundiciam, & carnis & animæ nuncupat. Malitia autem propriæ ad interioris hominis prauitatem respicit: Suscipite, inquit, insitum uerbum, id est, uerbum Dei, quod uestris cordibus, prædicando inponimus, uos discendo suscipite, uel certe ita sentiendum. Verbum quod nobis in die redemptionis insitum est, quo uoluntarie genuit nos Deus, iam nunc perfectius suscipite, etiam operibus implendo, quod iam in mysterio tenetis.

Quod potest saluare animas uestras.) Et iam si in corpore tentationes patiamini, uel aperdisis morte consummaminini.

ALIA EXPOSITIO.

**O** mne datum optimum & omne donum perfectum defursum est, & generaliter de omnibus, & specialiter de unaquaque à Deo data uirtute intelligi potest.

Potest autem & specialiter datum optimum de continentia matrimonij, & donum perfectum de uirginitate intelligi. Nam & in baptisimi gratia datum optimum, & in datione spiritus sancti, donum perfectum nihil obstat intelligi.

**D** escendens à patre luminum.) Pater luminum dicitur Deus, quia ab ipso siue inuisibilem luminum, ut sunt angeli, de quibus in principio dixit Deus: Fiat lux, siue animarum illarum quibus ait Iesus: Vos estis lux mundi. Seu uisibilem solis & lunæ & stellarum, generaliter omnia facta sunt lumina.

**E** xod. 3. Apud quem non est transmutatio.) Non enim mutabitur qui dixit: Ego sum qui sum. Motus & tempus incrementum & defectus, omnino diuina non accipit natura.

**N** ec uicissitudinis obumbratio.) Non enim dies sicut dies, post lucem obumbratur à tenebris, qui semper lux lucis, creator omnis & origo est luminis.

**I** ohan. 1. Voluntariæ genuit nos.) Per gratiam utiq; non naturam, solum enim uerbum est, quod substantialiter & propriæ dicitur filius Dei. Cæteri autem potestate ab illo accepta uocantur filij, quorum quosdam receperunt eum ait Apostolus, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

**V** erbo ueritatis.) Veritas Deus, pater uerbum filius eius est, si ueritas Christus, uerbum ueritatis Euangelium eius est: Per Euangelium, inquit, Paulus: Ego uos genui.

**M** ath. 16. Ut simus initium aliquot creaturæ eius.) Initium creaturæ, rationabiles angeli in celo, in terra Adam, in Ecclesia Veteris Testamenti Patriarchæ, in Ecclesia sanguine Christi redempta, Apostoli sunt, nam uni eorum dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quam Ecclesiam Paulus Apostolus nouam creaturam appellat.

**S** it autem omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.) Sciebat enim Apostolus eos, ad quos Epistolas mittebat. Primum uerbi uoluisse tenere & docere plusquam doceri, ideo admonet eos humilitatem seruare.

**V** elocitas enim audiendi facit hominem docibilem. Tarditas uero loquendi mansuetum.

**R** om. 5. Tardus ad iram.) Quod naturaliter accidit, penitus uitare non potuit, tarditatem interdixit, quia ira dilata decreuit. Aliter. Tardus ad iram, id est, secundum legis Veteris Testamenti ad uindictam: Lex enim, inquit, Apostolus iram operatur, id est, oculus pro oculo, dentem pro dente.

**M** ath. 5. Ira enim uiri iustitiam Dei non operatur.) Ira uiri dicit iram hominis, quæ secundum Testamenti Veteris usum semper cupit exercere uindictam, et ideo Noui Testamenti, ubi scriptum est: Noli resistere malo, non operatur iustitiam. Aliter. Ira uiri iustitiam non operatur sub intelligitur. Ira Dei, quæ humano dicitur affectu, iustitiam operatur, ut in Sodomis in Pharaone, in Aegypto, in mari rubro, & in ipso Israël populo in deserto, unde Psalmo graphus canit: Iratus est furore Dominus in populum suum. Et multis in locis legimus, ubi ira Domini, quæ semper iustissimo sit examine rectissimam operatur iustitiam.

Propter quod abicientes omnem immundiciam.) Alij hoc in loco immundiciam

**A** ctiam specialiter idololatriam intelligere uoluerunt. Alij fornicationis immundiciam, quæ fit cum mulieribus, cum masculis & pecudibus, & his similia. Postremo, ut generaliter de omni intelligeres malitia, addidit & abundantiam malitiæ. Sicut enim radix uirens in terra uirgulta germinat, sic malitia latens in corde, uitia generat.

**I** n mansuetudine suscipite insitum uerbum, quod potest saluare animas uestras.) In mansuetudine, hoc est, sine ira & disceptatione. Suscipite per fidem rectam in mente pura insitum uerbum, à Deo missum, & in mentibus nostris susceptum, ut ubi abundauit peccatum, superabundet gratia: Verbum, inquit, hoc est, uerbum credulitatis, uerbum Euangelij. Postremo, uerbum illud de quo Ioannes ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, qui & saluator dicitur, quia potest saluare animas nostras.

Ioan. 1.

EVANGELIUM IOANNIS. CAP. XVI.



**V**ado ad eum qui me misit, & nemo ex uobis interrogat me, quod uadis. Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos, & cum uenerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. De iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est. Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ uentura sunt annuntiabit uobis. Ille me clarificabit, quia de me accipiet, & annuntiabit uobis.

B

**V**ado ad eum qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me quod uadis.)

Significat sic futurum ad eum qui misit illum, ut nullus interroget, quod palam fieri uisu corporis cernerent. Nubes enim suscepit eum, quando ascendit ab eis, & euntem in celum non uerbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt.

August. Ado. 1.

Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum.)

Uidebat utiq; quid illa sua uerba in eorum cordibus agerent. Spiritalem quippe nondum habentes interiorum consolationem, quam per spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo uidebant amittere metuebant.

Sed ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam.) Expedit ut forma serui uestris subtrahatur aspectibus, quatenus amor diuinitatis aptius uestris insigatur mentibus. Expedit, ut notam uobis formam celo inferam, quatinus per hoc maiori desiderio illuc suspiretis.

Si enim non abiero, paracletus non ueniet ad uos. Si autem abiero mittam eum ad uos.) Non quia non poterat ipse in terra positus dare spiritum discipulis, hæc loquitur, cum aperte legitur: Quia post resurrectionem apprensus eis, insufflauit, & dicit eis: Accipite spiritum sanctum, sed quia ipso in terra posito, & corporaliter conuersante cum eis, non ualebant ad illum erigere mentem ad sitienda munera gratiæ coelestis. Ascendente autem illo ad celos, et illi pariter omne desiderium suum illud transerebant. Ideo capaces spiritus sancti iam facti erant, non ultra de morte eius contristati, sed de promissionis eius munere lætati. Pater autem nec laboriosa expositione indiget, cur eundem spiritum paracletum, id est, consolatorum, cognominauerit.

Quia

**C** Quia nimirum corda discipulorum, quæ recessus ipsius moesta reddidisset, huius consolaretur, & recrearet aduentus. Non quod antea spiritus sanctus non esset in cordibus discipulorum, uel etiam in antiquorum sanctorum, sed manifesta plenitudine ante se non fuit datus, quomodo postea scensionem die decima in centum uiginti nomina transmissus legitur. Sed in nullo opere cuiuslibet personæ patris, uel filij, uel spiritus sancti totius sanctæ trinitatis operatio defuit. Sed oportebat ita insinuari trinitatem, ut quamuis nulla esset diuersitas substantiæ, singillatim tamen commendaretur distinctio personarum.

Et cum uenerit ille, arguet mundum.) Quid est quod dixit, cum uenerit ille arguet mundum? Nunquid non Christus dum esset in mundo, non arguit mundum de his omnibus quæ sequuntur? Sed Christus solam Iudæorum gentem arguit, Spiritus uero sanctus, in discipulis eius toto orbe diffusus, non unam gentem intelligitur arguisse, sed totum mundum. In quo arguit. In eo, quia per spiritum sanctum charitas diffusa est in cordibus eorum, quæ foras mittit timorem, ut non metuerent mundum, id est, amatores mundi arguere.

De peccato, & de iustitia, & de iudicio.) Quam sententiam ipse Christus exposuit dicens: De peccato, quia non credunt in me, peccatum incredulitatis quasi speciale posuit. Quia sicut fides origo uirtutis, ita solidamentum est uirtutum in incredulitate persistere, Domino terribiliter adstante, qui ait: Qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. Iudicatus dixit, id est, damnatus.

1041.3

De iustitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me.) Iustitia discipulorum Christi erat, quod Dominum quem uerum hominem cernebant, uerum quodque Dei filium esse crediderunt, & quem sibi corporaliter ablatum nouerant, certo semper amore colebant. Iustitia cæterorum fidelium, id est, eorum qui Dominum in carne non uiderunt, Deum & hominem uerum corde credunt ac diligunt, de qua profecto iustitia fidei arguuntur in fideles, quæ est, quod eum quem corporali intuitu nunquam uiderunt. Quæ ipsi uidelicet cum similiter uerbum uitæ audiverint, noluerint credere in iustitiam. Neque enim nequitia malorum ex sua solum prauitate, uerum etiam ex comparatione rectorum, quam sit damnanda denunciat. Arguit ergo mundum spiritus sanctus de peccato, quia non crediderunt in Christum. Arguit & de iustitia credentium, quia exemplum eorum sequi noluerint, qui hunc ad patrem ascendisse, neque ultra corporaliter in terris conuersaturum esse sciebant. Nec tamen ab eius dilectione poterant ulla ratione separari, hoc est enim quod ait: Quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me. Non uidebitis me, ex quo ascendero qualem nunc uidere soletis carne mortali, & comprehensibili circumdatum, sed in maiestate ad iudicium uenientem, & peracto iudicio in maiori gloria cum sanctis apparentem. Sequitur:

De iudicio autem, quia princeps mundi huius iudicatus est.) Princeps mundi diabolus dicitur, qui primatum tenet in cordibus infidelium, quos hic mundi nomine uoluit intelligi, qui ordine peruerso mundum potius quam mundi creatorem diligunt, qui iudicatus est à Domino, qui ait: Videbam satan sicut fulgur cadentem de caelo. Iudicatus est ab eo, cum & ipse demonia eiiceret, & discipulis daret potestatem calcandi supra omnem uirtutem inimici. Arguitur itaque mundus de iudicio, quod diabolus est iudicatus, quam sit damnanda de uoluntate resistere presumant, exemplo damnati propter superbiam terrentur archangeli. Cre dant itaque homines in Christum ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccato omnia peccata detinentur, transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum quos iustificatos non imitantur. Caveant futurum iudicium ne cum mundi principe iudicentur, quæ iudicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superbiorum supplicio terrenda est angelorum.

Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem uenerit, ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.) Certum est autem, quod ueniente de super spiritu, Apostoli maiorem multo scientiam ueritatis, quæ carnales eatenus potuerunt, consecuti sunt, maiori desiderio certandi pro ueritate successerunt. Non tamen putandum est in hac uita, quempiam omnem ueritatem posse comprehendere. Vnde & ipse beatus Paulus Apostolus qui ad tertium caelum raptus est, & ibi audiuit archana uerba, quæ non licet homini loqui, ait: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Intelligendum est ergo, quod ait de spiritu: Docebit uos omnem ueritatem, quasi diceret, diffundet in cordibus uestris charitatem, quæ

1. Cor. 13.

**A** quæ uos omnem ueritatem facit amare, cuius magisterio intus edocti, proficiatis de uirtute in uirtutem, dignique efficiamini peruenire ad uitam, in qua uobis æterna claritate, summæ ueritatis, & ueræ sublimitatis, id est, contemplatio uestri conditoris appareat.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur.) Non enim loquitur spiritus à semetipso, sed à patre, nam filius natus est à patre, & spiritus sanctus procedit à patre. Non enim loquitur à semetipso, id est, sine patris & filij communiōne, non enim diuinus est spiritus sanctus à patre, & filio, sed unum opus est, patris & filij, & spiritus sancti. Sed quæcumque audiet loquetur. Audiet uidelicet, per unitatem substantiæ, & proprietatem scientiæ. Non loquitur à semetipso, quia non est à semetipso. Pater quippe solus de alio non est, filius à patre genitus, & spiritus sanctus à patre procedens. Ab ipso enim audiet spiritus sanctus, à quo procedit, quia non est à semetipso, sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, intelligentia, ab illo utique & scientia. Ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia. Quod uero ad iunxit: Et quæ uentura sunt adnuntiabit uobis, constat enim non nullos sanctorum, in spiritu sancto futura prædixisse, sed tamen altius sunt hæc uerba Domini consideranda, quæ omnibus sanctis communia esse possunt. Igitur spiritus adueniens, quæ uentura sunt adnuntiabit, cum gaudia nobis patriæ cœlestis ad memoriam reducit, cum festa illa supernæ ciuitatis per donum nobis hæc adspiratio innotuit. Ventura nobis adnuntiat, cum nos à dilectione præsentium abstrahens, promissum in cœlis regnum, nostris cordibus & desiderijs inflammat.

Ille me clarificauit, quia de meo accipiet, & adnuntiabit uobis.) Spiritus clarificauit Christum, quia per eum ea charitas in cordibus discipulorum accensa est, ut abiecto timore carnali, effectum resurrectionis eius constanter prædicarent, qui paulo ante tempore passionis pauidi fuerant. Vnde scriptum est. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur uerbum Dei cum fiducia. Spiritus clarificauit Christum, cum impleti gratia spiritali, doctores sancti tot & tanta miracula in nomine Christi fecerunt, quibus orbem totum ad fidem Christi conuerterent, tot & tanta, pro Christi nomine, passionum certamina pertulerunt. Clarificat, dum claritatem in cordibus nostris diffundit, & æternæ patriæ amorem inspirat. Quia de meo accipiet, & adnuntiabit uobis, id est, de meo patre. De patre accipit spiritus sanctus, quia de patre procedit, de quo & filius natus est. Qui uero de nullo natus sit, de nullo procedit, pater est solus, omnia quæcumque habet pater, mea sunt, propterea dixi: Quia de meo accipiet, & adnuntiabit uobis, de his dixit, quæ ad ipsam patris diuinitatem pertinent, in quibus ille est equalis patri, in qua est & spiritus sanctus equalis patri & filio, quia una substantia, una natura, una maiestas, una gloria, una æternitas est patris & filij & spiritus sancti, & est unus Deus omnipotens, inuisibilis, incomprehensibilis omni creaturæ, pater & filius & spiritus sanctus.

Acto. 2.

**B** CONCORDIA. In nomine iustitiæ, & in spiritu sancti dono & missione, istarum dum sit concordia lectionum,

DONINICA IIII. POST OCT. PASCHAE. EPIST.  
beati Jacobi Apost. Cap. I.



Stote factores uerbi non auditores tantum, fallentes uosmetipsos. Quia si quis auditor est uerbi & non factor, hic comparabit uiro consideranti uultu natiuitatis sue in speculo. Considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanerit non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius uana est religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est: Visitare pupillos & uiduas in tribulatione earum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.

Stote factores uerbi non auditores tantum.) Sic & Paulus de legis cultoribus ait: Non auditores tantum legis iustificabuntur apud Deum, sed factores legis iusti sunt. Et Rom. 2. in Apocalypsi Ioannes cum dixisset: Beatus qui legit, & qui audit uerba prophetiæ libri huius, Apoc. 1. protinus adiunxit: Et seruat ea quæ in illa scripta sunt.

r quia

**C** Quia si quis auditor est uerbi & non factor, hic cōparabitur uiro confideranti uultum natiuitatis suę in speculo, &c.) Vultum natiuitatis dicit uultū infantia, quæ nondū ad perfectum peruenit uirum, Mos mulierū est, aspiciere se in speculis, ut quicquid in se fordidum perspexerint, aut nō bene compositum, in melius emendato, suis lata gunt placere maritis. Quod facere moraliter animabus conuenit nostris. Debemus etenim nos in Euangelij, seu omnium diuinarum scripturarum conspiciere speculo, & depositis sordibus ornatisq; moribus animarum nostrarum Christo uero placere merito.

Quicumq; perspexerit in legem perfectę libertatis, & permanserit in ea.)

Legem perfectam Euangelij dicit, nihil enim ad perfectum lex adducit. Et alibi: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. Et iterum: Vbi enim spiritus Domini, ibi libertas & ipse Dominus: Si uos, inquit, filius liberauerit uere liberi, estis.

Rom. 8.  
Ioan. 8.

Non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, &c.) Non auditu uerbi superuacuo, sed operis executione beatitudo præparatur, sicut & Dominus loquens ad discipulos: Si autem scitis, beati eritis, inquit, si feceritis ea.

Ioan. 13.

Si quis autem putat se religiosum esse, nō refrenans linguam suam, &c.)

Monuerat supra uerbum Dei non solum audire, sed & facere, nunc addit: Quia & si mandata quis Domini, quæ didicit, factis exercere uidetur, si non etiā linguam à detractionibus, mendacijs, blasphemijs, stultiloquijs, ab ipso etiam multiloquio, ceterisq; quibus peccare solet, refrenauerit, frustra se de operum iustitia iactet. Sicut & Paulus generalis poëtę sententiam adprobans, ait: Corruptunt mores bonos colloquia mala.

1. Cor. 15.

Religio munda & immaculata, apud Deum & patrem hæc est.) Pulchre addidit, apud Deum & patrem, quia sunt qui hominibus religiosi uidentur, cum à Deo habentur prophani. Vnde & Salomon ait: Est uia quę uidetur homini iusta, nouissima autem eius ducit ad mortem.

Pro. 14.

**D** Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immolatum se custodire ab hoc seculo.) Quia dixerat factorem operis beatum in facto suo futurum, nunc quę facta Deo maxime placeant, dicit, misericordia scilicet & innocentia. Nam quæ in eo quod pupillos & uiduas in tribulatione eorum uisitare iussit, cuncta quæ erga proximum misericorditer agere debeamus, insinuat. Quod quantum ualeat, ipso iudicij tempore pandetur, ubi dicturus est iudex: Quam diu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Porro in eo, quod immaculatos nos ab hoc seculo custodire præcepit, uniuersa, in quibus nos ipsos castos seruare docet, ostendit. In quibus sunt & ea quæ supra obseruare monuerat, ut tardi adloquendum, tardissimus ad iram.

#### EVANGELIUM IOANNIS. CAP. XVI.



Men amen dico uobis, si quid petieritis patrē in nomine meo, dabit uobis, usq; modo non petistis quicq; in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum. Hęc in prouerbijs locutus sum uobis. Venit hora, cum iam nō in prouerbijs loquar uobis, sed palam de patre annunciabo uobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Exiui à patre & ueni in mundum, iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, & prouerbiū nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi.

**A** Men amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis, usq; modo non petistis quicq; in nomine meo, petite & accipietis

**A** pietis, ut gaudium uestrum sit plenum.) Duobus modis intelligi potest, uel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognouistis, uel non petistis quicq; quoniam in comparatione rerum, quas petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis.

Beda.

Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum.) Ac si patenter dicat: Non fluxa seculi gaudia, quæ & mœrore semper mixta & dolore finienda sunt, sed illud singulare gaudium à patre petite, cuius plenitudo nullo cuiuslibet inquietudinis adactū minuitur, æternitas nullo unq; termino dissoluitur, si talia petendo perstiteritis, talia petendo, proculdubio quæ petitis accipietis, si mores menti concordant petentis. Paruum enim utilitatis adfert, bene orando superna querere, qui nō destitit peruerse uiuendo in infimis implicari.

Hęc in prouerbijs locutus sum uobis, uenit hora, cum iam non in prouerbijs loquar uobis, sed palam de patre meo adnunciabo uobis.) Iam par uulsi fuerant, nec dum intelligere potuerunt, quomodo pater esset in filio, & filius in patre, & cætera, quę ad profunda mysteriōrū diuinitatis pertinebant, nec dū scire potuerūt. Ideo in prouerbijs, quasi in enigmate loqui illis uidebat Dominus, sed promittit ille horā, in qua palā illis de patre loqueretur. Illam nimirum horam significabat, qua eis, peracta sua passione ac resurrectione, spiritus sancti erat gratiam daturus. Tunc enim specialiter intus instructi, speciali dilectione succenti, quo perfectius omnia, quæ de agnitione diuinitatis mortalibus erant capienda, corpe runt, eo ardentius sola, quæ ad eius uisionem promerendam iuarent, petere ac desiderare cura uerunt.

Illā die in nomine meo petetis.) Id est, quæ ad salutem tantummodo animarū uestrarum, & quæ ad gaudia æterna pertinere uideantur, petere incipietis, & maxime ut intelligatis, quid sit quod dixi: Ego & pater unum sumus, uel quomodo pater sit in me, & ego in patre. Tunc in eius nomine petunt, qui petunt, quia in sono eius nominis non aliud, quam rem ipsam esse, quæ hoc nomine uocatur, intelligunt. Hi possunt utcumq; cogitare Dominum nostrum Iesum Christum, in quantum homo est, pro nobis interpellare patrem, in quantum Deus est, nos exaudiri cum patre, quod eum significasse arbitror, ubi ait: Et non dico uobis, quia ego rogabo patrem de uobis. Potest enim non inconuenienter accipi quod ait: Et non dico uobis, quia ego rogabo patrē de uobis, quia non de presenti rogo, sed de futuro posuit, rogabo, quod sanctis ad internam pacem receptis non opus sit iam aliquid rogare de illis, quia nimirum tanta beatitudine donandi sint, quæ amplior esse non possit.

**B** Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui.) Non ita intelligendum est quod dixit: quia uos me amastis, quasi priores illi amarint Christum, sed ita potius, quia pater illos gratuito amore præuenerit, atq; ad amandū credendumq; filium amando sustulerit, & quia ipsi agnitam filij dilectionem, ac fidē pio & sollicito corde seruauerint, maiorū eos donis paternæ dilectionis esse remuneratos, quos unā cum filio & spiritu sancto amat, quos amore dignos iudicat, quod adiūxit: Quia uos me amastis, eadem ratione sentiendum est, quapropter, quicumq; filium recte habet, hunc cum patre & spiritu sancto amat. Et quia horum inseparabilis est natura diuinitatis, horum una eademq; sunt dona uirtutis, hoc est, quod amatis & creditis, quia à Deo exiui.

Exiui à patre & ueni in mundum, iterum relinquo mundū, & uado ad patrem. Exiuit à patre, & uenit in mundum, quia uisibilis mundo apparuit in humanitate, qui erat inuisibilis apud patrem in diuinitate. Exiuit à patre, quia non in ea forma qua æqualis est patri, sed in assumpta creatura minor apparuit. Et uenit in mundum, quia in ea forma feruam quam accepit, etiam mundi huius amatoribus se uidendum præbuit. Iterum reliquit mundū & redit ad patrem, quia ab aspectu amatorum mundi, quod uiderant abstulit, & se amatoribus suis æqualem patri esse, credendum docuit. Reliquit mundū & rediit ad patrem, quia humanitatem, quam induit per ascensionem ad inuisibilia paternæ maiestatis adduxit. Hęc quidē uerba Domini mystica, & sicut ipse restatur, in prouerbijs sunt dicta. Sed discipuli quibus dicebant, adeo adhuc carnales erant, ut eorum profunditatem minime caperent, & non solum archana dictorum, sed nec ipsam ignorantiam suam intelligerent, putantes simpliciter & dilucide prolata, quæ non intelligentibus prouerbia erant, ecce continuo responderunt:

Ecce nunc palam loqueris, & prouerbiū nullum dicis.)

r 2 Palam

Palam igitur loqui estimabant, cuius mysteria dictorum, nec dum comprehendere ualebant, quod autem adiungunt:

Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi.) Aperte ostendunt, quia loquens ad eos Dominus, maxime disputabat, quæ illos delectabatur audire, & quæ illi interrogare uolebant, hæc ipse præueniens eos ultro proferebat. Vnde merito illum scire omnia, quasi Deum, & quasi Deifilium, à Deo uenisse credunt & consistuntur. Apertum namque diuinitatis indicium est, cogitatio num nosse secreta.

CONCORDIA. Istarum duarum in Dei patris nomine fit concordia lectionum.

IN LETANIA MAIORI EPIST. BEATI

Iacobi Apostoli. Cap. V.



Confitemini alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem ut saluemini. Multum enim ualet precatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione orauit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Si quis autem ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam niam, qui conuerterit fecerit peccatorem ab errore uia suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Beda.

Confitemini alterutrū peccata uestra, & orate pro inuicē ut saluemini.) In hac autem sententia illa debet esse discretio, ut quotidiana leuiusque peccata alterutrum coræ qualibus consisteamur, eorumque quotidiana credamus oratione saluari. Porro grauioris lepræ immunditiam, iuxta legem, sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium, qualiter & quanto tempore iusserit, purificare curemus.

Multum enim ualet deprecatio iusti assidua. Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.) Decenter astruit exemplo, quantum deprecatio iusti ualeat assidua, cum Helias una tantum oratione orando, tam longo tempore cœlos continuerit, terris imbres auerterit, fructus mortalibus negauerit. Et rursus ubi uoluit, ubi tempus esse perpezi, ubi longo inediae tabe cor regis superbi & gentis idololatæ, ad poenitentiam uidit inflexum, unam solummodo orationem orauerit, & fructus atque aquas, quas negauerat, terris restituerit. Sic enim sequitur.

Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.)

Semel ergo & prius & postmodum orauit, & hoc unus Helias, ac tanta impetrauit, quantum his ualeat frequens plurimorum oratio iustorum: Sed ne trepidaret nostra fragilitas, reputans se tanto propheta, qui curru igneo rapi meruit ad cœlos, similia facere non posse, consulte beatus Iacobus, de eius oratione locutus, ita inchoauit: Helias homo erat similis nobis, passibilis. Homo namque erat, tamen si nulli hominum uirtute secundus, similis nobis origine carnis, passibilis, ut nos & mentis fragilitate & carnis. Nam quod carne fragilis esset, apud Sareptenam uiduam, uictum querendo monstrauit. Quod mente quoque passibilis fuerit ostendit, cum post redditas terris aquas, extiterit: et quosque prophetas & sacerdotes idololorum, unius mulierculæ minis exterritus, per deserta diffugit. Quanti autem sit meriti apud Deum, pro infirmantibus orare, eosque sua peccata confitentes, ad amissam reuocare sospitatem, subdendo manifestatur:

Si quis autem erreauerit ex uobis à ueritate, & conuerterit quis eum, &c.)

Quia enim in superioribus huius epistolæ partibus, lingua nostra à maligna uel ociosa locutione restringitur, oportune in fine, quid maxime loqui debeamus ostenditur. Iubemur itaque orare & psallere Domino, quoties aliquibus pulsamur aduersis. Item confiteri alterutrum peccata nostra, & orare pro inuicem ut saluemur. Pro sanitate proximorum non solum temporali, sed potius æterna, quantam possumus impendere curam. Si enim magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti enim meriti à morte animam liberare in cœlesti

patria

A patria sine fine uicturam. Notandum sane, quod quidam codices habent, saluauit animam suam à morte, & ex ambiguo Græco σώσει σου ψυχὴν ἐκ θανάτου, ita & recte interpretari potest, & re uera qui errantem corrigit, sibi metipsum per hoc uitæ cœlestis gaudia ampliora conquirat: Saluabit inquit animam eius à morte.

Et operit multitudinem peccatorum.) Qui peccator ab errore conuertit, & eius peccata per hanc conuersationem ab aspectu interni iudicis superpositione uitæ melioris abscondit, & sua quoque, in quibuscunque offendit errata ab intuitu eius, qui omnia uidet, proximum curando contigit, iuxta illud Psalmistæ: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Non obliuiscit beatus Iacobus, quod superius ait: Nolite plures magistri fieri, fratres mei. Ibi namque imperfectos in propria actione ac magisterij officio, quia per iactantiam querebant, submouet. Hic uero instructos ex omni parte, quid erga salutem proximorum per amorem fraternitatis agere debeant edocet. Quod enim hic doctor facere perhibetur; hoc alio loco charitas facere memoratur, dicente beato Petro Apostolo: Quia charitas operit multitudinem peccatorum. Nec prætereundum, quod hæc errantis conuersatio, non solum loquendo, sed plerumque etiam bene agendo perficitur. Nam si quis etiam lingua tacente proximis exempla bonæ actionis ostendit, eosque admiranda, quæ neglexerant, elemosynæ uel hospitalitatis uel aliarum opera uirtutum conuertit, officium profecto doctoris exsequitur, ac pro eius quem corripit saluatione fratris, certam à pio iudice mercedem consequetur.

ALIA EXPOSITIO.

Epistolæ beati Iacobi Cap. V.

Iste Iacobus filius Alphæi fuit, qui & sater Domini nominatur. Tres enim sorores fuerunt, Maria, Beda. Inter Domini, & Maria Iacobi & Ioseph, & mater filiorum Zebedæi. Tantæ enim sanctitatis iste Iacobus fuisse narratur, ut propter eius necem dicat Iosephus subuersam esse Hierusalem, hic autem post passionem Domini anno tricesimo suum feliciter consummauit martyrium.

Confitemini alterutrum peccata uestra, & rel.) Confitebor enim æquiuocum nomen est, sed pro locorum diuersitate diuersè suscipitur. Confitentur enim & qui Domino gratias referunt, confitentur & qui peccata deplorant. Sed illud in gaudio, istud in lachrymis est, illud in sancta mentis alacritate, istud in cordis noscitur esse contritione.

Calliod.

B Multum enim ualet oratio iusti assidua.) Sic enim scriptum est: Oratioes iustorum exaudivit Dominus, nam & ipse Dominus ait: Quicquid petieritis in oratione credentes accipietis.

Non pluit annos tres, &c.) Hic tria tempora mundi significantur. Primum ad Adam usque ad Noe. Secundum à Noe usque ad Moysen. Tertium à Mose usque ad aduentum Domini, quando ipse Dominus Iesus Christus aduenit, & arecentem nostri cordis humum, imbræ fidei & baptismatis irrigauit. Per cœlum qui pluuiam dedit doctores intelliguntur. Per pluuiam ipsorum spiritualis doctrina, per terram signatur Ecclesia, & per fructum sanctæ uirtutes intelliguntur: Cœlum, inquit, dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

Potest autem & per tres sterilitatis annos & menses sex, sterilia sub Antichristo significari tempora, quæ postea largiente Domini gratia credimus esse fecunda.

Qui conuerterit fecerit peccatorem saluabit animam eius.) Id est, liberabit à morte æterna animam eius, à morte perpetua, quæ animæ pro peccatis debetur.

Et operit multitudinem peccatorum.) Sive illius quem conuertit, sive sua, qui conuertit illius per poenitentiam contigit peccata: Beati enim ait Psalmista, quorum tecta sunt peccata. Sua autem per charitatis officium male uocua operuit peccata: Charitas enim, ait Apostolus, cooperit multitudinem peccatorum.

EVANGELIUM LVCÆ CAP. XI.



Vis uestrum habebit amicū, & ibit ad illum media nocte & dicit illi: Amice accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille de intus respondens dicit: Noli mihi molestus esse, iam hostium clausum est, & pueri mei necum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseverauerit pulsans, dico uobis, & si non dabit illi surgens, eo

quod

**C** quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quorquot habet necessarios. Et ego uobis dico: Petite & dabitur uobis, quærere & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur: Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi: aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi: aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo uos cum sitis mali, nostris bona data filijs uestris, quanto magis pater uester de celo dabit spiritum bonum petentibus se.

**Q**uis uestrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi, amice: Comoda mihi tres panes, &c.) Rogatus à discipulis saluator, non modo forma orationis, sed & instantia frequentia tradit orandi. Amicus ergo ad quem media nocte uenit, ipse Deus intelligitur, cui in media tribulatione supplicare, & tres panes, id est, intelligentiam trinitatis, qua presentis uitae consolentur labores, afflagitare debemus. Amicus qui uenit de uia, ipse noster est animus, qui toties à nobis recedit, quoties ad appetenda terrena & temporalia foris uagatur. Rediit uero coelestis alimonia resici desiderat, cum in se reuersus, superna coeperit ac spiritualia meditari, de quo pulchre qui petierat adiungit: Non se orando efficiat, nisi loqui, nihil libet intueri. Solum quod cognouit summam trinitatis gaudium contemplari, atque ad hoc plenius intueendum peruenire satagit.

Et ille de intus respondens dicit: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, &c.) Ostium amici, diuini est intelligentia sermonis, quod sibi Apostolus orat aperiri ad loquendum mysterium Christi. Clausumque est tempore famis uerbi, cum intelligentia non datur. Et illi qui Euangelicam sapientiam, tanquam panem erogantes, per orbem terrae predicauerunt. Pueri patris familias iam sunt in secreto queris cum Domino, & tam orando efficiuntur, ut accipiant. Desiderant intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit per quam sapientia praedicetur.

**D** Et ille si perseverauerit pulsans: Dico uobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quorquot habet necessarios. Et ego uobis dico, Petite & dabit uobis, &c.) Comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit delecto, & dat non amicitia, sed tedio compulsus, quanto magis dat Deus, qui sine tedio largissime donat, quod petitur, sed ad hoc se peti uult, ut capaces donorum eius fiant, qui petunt. Ne itaque de uia ueniens amicus inedia dispereat, hoc est, ne animus nuper ab erroris sui uanitate respiciens, desiderij spiritualis diutius inopia tabescat. Petamus epulas uerbi, quibus alatur, quæ ramus amicum qui det, pulsemus hostium quo seruantur abscondi. Magnam enim spem dedit, & dat ille, qui promittendo non decipit.

Omnis enim qui petit, accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperiet. Ergo iuxta praemissam postulantis amici parabolam, perseverantia opus est, ut accipiamus, quod petimus, & inueniamus, quod querimus, & quod pulsamus aperiat. Nam si petenti datur, & quærrens inuenit, & pulsanti aperitur, cui non datur, & qui non inuenit, & cui non aperitur: apparet quod non bene petierit, quæserit, pulsauerit.

Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Panis intelligitur charitas propter maiorem appetitum. Et tam necessaria, ut sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa inops est, cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparauit.

Aut si piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Piscis est fides inuisibilium, uel propter aquam baptismi, uel quia de inuisibilibus locis capitur. Quod etiam si des huius mundi fluctibus circumlatrata non frangitur, recte pisci comparatur, cui contrarium posuit serpentem, propter uenena fallaciam, quæ etiam primo homini male suadendo praeseminauit.

Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? In ouo indicat spes. Ouum enim nondum est foetus perfectus, sed iouendo speratur. Cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus uenenatus retro timendus est, sicut spei contrarium est retrospicere, cum spes futurorum in ea quæ ante sunt extendat.

**A** Si ergo uos cum sitis mali nostris bona dare filijs uestris, quanto magis pater uester de celo dabit spiritum bonum petentibus se? Quomodo malidant bona: sed malos appellauit dilectores adhuc seculi huius & peccatores. Bona uero quæ dant, secundum eorum sensum, bona dicenda sunt, quia hæc pro bonis habent, quancumque in rerum natura ista bona sint, sed temporalia & ad istam uitam infirmam pertinentia, & quisquis ea malus dat, non de suo dat: Domini est terra & plenitudo eius, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Quantum ergo sperandum est, daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi, ut accipiamus aliud pro alio, cum ab ipso petimus, quando nos etiam cum sumus mali, nouimus id dare quod petimur. Non enim decipimus filios nostros. Et qualicumque bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus. Aliter. Apostoli qui electionis merito bonitatem generis humani exceperant, omnibus modis superne bonitatis intuitu mali esse dicuntur. Quia nihil est per se ipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi deitas sola. Omnes uero creaturæ, ut beatitudinem æternitatis uel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem & gratiam consequuntur. Quod uero dicitur, quanto magis pater uester de celo dabit spiritum bonum petentibus se, ostendit spiritum sanctum plenitudinem esse honorum Dei, & ea quæ diuinitus administrantur, non alia absque ea subsistere, quia omnes utilitates, quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant.

CONCORDIA. In partitione orationis, & in acceptatione muneris istarum duarum sit concordia lectionum.

## IN ASCENSIONE DOMINI. LECTIO

Actuum Apostolorum. Cap. I.



**P**rimū quidem sermonē feci de omnibus, O Theophile, quæ cepit Iesus facere & docere usque in diem qua precipiens Apostolis per spiritum sanctum, quos elegit assumptus est. Quibus & prebuit se ipsum uiuū post passionem suam; in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conueniens precepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis inquit per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis uirtutem superuenientis spiritus sancti in uos & eritis mihi testes in Hierosale & in omni Iudea & Samaria & usque ad ultimū terræ. Et cum hæc dixisset, uidentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intrentur in cælum euntem illum, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cælum.

**P**rimū quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cepit Iesus facere & docere. De omnibus se dicit Christi factis & dictis in Euangelio scripsisse, non quod omnia comprehendere potuerit, ne sit contrarius Ioanni, qui ait: Multa quidem & alta signa fecit Iesus, in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc, sed quod de omnibus elegerit, unde faceret sermonem, quæ iudicauit apta & congrua sufficere officio dispensationis suæ. Theophilus interpretatur Dei amator, uel à Deo amatus. Quicumque ergo Dei amator est, ad se scriptum tenet suæ hic uitæ, quia Lucas medicus scripsit, inuenit salutem, & notandum, quod ait: Quæ cepit Iesus facere & docere. Primo facere & postea docere, quia Iesus bonus doctor est instituens, nulla nisi quæ fecit docuit.

Beda.  
Ioan. ult.



**C** Vsq; in diē, qua præcipiens Apostolis per spiritū sanctū, quos elegit assumptus est, &c.) Transcensio uerborū ordinem turbans, per Hyperbaton legendum, usq; in diem qua assumptus est, præcipiens ante assumptionem, id est, præcepta dans Apostolis, quæ uel hic uel in Euangelijs legunt. Est ergo sensus, scripsi de Iesu à tempore quo cœpit signa facere & docere, usq; in diem, qua eisdem consummatis, unde uenerat rediit, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei & conuolens, &c. Ad instruendum Dominus fidem suæ resurrectionis sepius Apostolis post passionē suam uiuus apparet, eibos sumit, eandem quā à mortuis suscitauerat palpandam carnem exhibet, Sed altiori mysterio, per hanc quadraginta dierum cum discipulis conuersationem, significat se occulta præsentia, quæ promiserat implendum. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Iste enim numerus hanc temporalem terrenamq; uitam, uel propter quattuor anni tempora, uel propter quattuor uentos cœli designat. Nam postq; sepulti fuerimus cum Christo per baptismum in morte, quasi rubri maris calle transito, necessarium in hac solitudine Domini habemus ducati, qui nos ad cœlestia regna perducatur, & imaginis suæ denario remunerans præsentia sancti spiritus, quasi uera iubilati quieti beatificet, uos autē baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies, nondum fuerant Apostoli baptizati, non tamen aqua, sed spiritu sancto, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismō Ioannis, ut nonnulli arbitrantur, seu quod magis credibile est baptismate Christi. Neq; enim ministeriū baptizandi defuerat, ut haberet baptizatos, per quos ceteros baptizaret, quia nō defuerat memorabile illius humilitatis ministerium, quando eis lauit pedes. Cum ergo diceret Dominus, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, nequaquā subiungit: Vos autem baptizabitis, sed uos autem baptizabimini spiritu sancto. Quia neq; Apostoli neq; sequaces eorum, qui usq; hodie baptizant in Ecclesia, aliter quā Ioannes, id est, in aqua baptizare præualent, sed tantum inuocato Christi nomine adest, interior uirtus spiritus sancti, quæ homine aquam tribuentem baptizatorum animas simul & corpora purificet, quod in Ioannis baptismō non fiebat, Non enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus.

**D** Igitur qui conuenerant interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnū Israël.) Quoniā apparens eis locutus est de regno Dei, spiritus quoq; sancti non post multos dies promisit aduentum, consequenter eū de eodem regno percunctantur, utrum uidelicet mox adueniente spiritu sancto, in præsentem restituentum, an in futuro sanctis referuandum credere debeant. Carnales enim adhuc discipuli resurrectione Christi completa, continuo regnum Israël credebant esse uenturum, iuxta quod Cleophas ait: Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israël, & Euangelista præmisit, quia Domino Hierosolymam uenturo existimarent, quod confestim regnū Dei manifestaretur. Sed oportebat impleri Prophetiam, qua patri canens ait: Tu uero reppulisti & spreuisti & distulisti Christum tuum. Repulit enim, & spreuit filium patris, quando eum in passione deseruit loquentem: Deus Deus meus quare me dereliquisti. Distulit autem, ut quem sancti illo tempore regnaturū putabant, expectent in die iudicij in sua maiestate uenturū. Vnde & ipse Dominus & spiritualem Israël, & regnum cœlestē à Prophetis fuisse promissum insinuans ait:

Non est uestrum nosse tempora uel monumenta, quæ pater posuit in sua potestate.) Illius, inquit, regni tam secretum tempus est, ut patris tantummodo scientiæ pateat, & quando dicit: Non est uestrum scire, ostendit quod & ipse sciat, cuius omnia sunt, quæ patris sunt, sed non expedit nosse mortalibus, ut semper incerti de aduentu iudicij, sic cotidie uiuant, quasi die alia iudicandi sint.

Sed accipietis uirtutē superuenientis spiritus sancti in uos, &c.) Superueniet, inquit, in uos spiritus sanctus, nequaquā regnū Israël, siue regnum Dei in Israël, ut putatis adferet, sed uobis uirtutē de me testificandi præbebit. Tantumq; regni illius tempora longe sunt, ut prius non solum hanc Hierosolymorū urbem, uerum omnes Iudæe fines, de hinc autem & proxime gentes Samarię, & ad extremū nouissimos quoq; per circuitum mundi terminos Euangelij fama percurrat.

Et cū hæc dixisset, uidentibus illis eleuatus est.) Marcus quidem aliam Domini locutionem commemorans ait: Et Dominus quidem Iesus postq; locutus est eis, assumptus est in cœlum. Sed quia Lucas significantius adiecit: Cū hæc dixisset, eleuatus est, ostendit profecto illis quos commemorauerat sermonibus expletis Dominum ascendisse ad cœlos. Et

**A** Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.) Vbi creatura suo creatori præstat obsequium, astrā indicant, nascentem obnubilant, Recipiunt nubes ascendentem, redeunt ad iudicium committantur.

Ecce duo uiri adsteterunt iuxta illos in uestibus albis.) Albæ uestes exaltatio ni magis congruit quā humilitationi, & ideo Domino ascendente, in albis uestibus angeli apparent, qui nato Domino, in albis uestibus, apparere non dicuntur, quia qui in natiuitate sua apparuit Deus humilis, in ascensione sua ostensus est homo sublimis. Nam & locus congruit, dum his qui in humili ciuitatula natus est, homo de monte sublimi regressus est ad cœlos.

Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum.) Ob duas illas causas angeli uidentur, ut uidelicet ascensionis tristitiam, regressionis commemoratione consolarentur, ut & uere in cœlum illum ire monstrarent, & non quasi in cœlum sicut Heliam.

Sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.) Id est, in eadem forma carnis atq; substantia ueniet iudicaturus, in qua uenerat iudicandus, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit, cuius etiam gloria diuina, quæ quondam in morte tribus discipulis apparuit, peracto iudicio ab omnibus sanctis uidebitur, quando tolleretur impius, ne uideat gloriam Dei.

## EVANGELIUM MARCI. CAP. VLTIMO.

**R** Ecumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit illis incredulitatē illorū & duriciā cordis, quia his qui uiderant eum resurrectis nō crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundū uniuersum prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, eodem nabit. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eos nocebit. Super egros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Iesus postq; locutus est eis, assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt ubiq; Do mino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

**R** Ecumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus, &c.) Quomodo nouissime quasi iam ultra eum nō uiderent, nouissimū quippe illud est, quo Dominū Apostoli in terra uiderunt, quando ascendit in cœlum. Et factum est quadagesima die post eius resurrectionē. Nunquid nam tūc exprobraturus erat, quod nō credidissent eis, qui eum uiderant resurrectis, quando etiam & ipsi post resurrectionem toties eum uiderant? Illud ergo accipiamus post multas demonstrationes eius, quibus per dies quadraginta discipulis præsentatus est, eum etiam nouissime recumbentibus illis undecim apparuisse, id est, ipso quadagesimo die. Et quoniam iam erat ab eis ascensus in cœlum, hoc eis illo die maxime exprobrare uoluisse, quod his qui uiderant eū resurrectis nō crediderant, anteq; eum ipsi uiderent. Cum utiq; post ascensionem suam, prædicantibus illis Euangelium, gentes quæ non uiderūt, fuerant crediturę. Post illam quippe exprobrationem secutus, ait idem Marcus:

Et dixit eis: Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit, &c.) Hoc ergo prædicaturi, quoniam qui non crediderit, condemnabitur, cum id utiq; nō crediderit quod nō uidit. Nonne ipsi primitus fuerant ob iurgdā, quod ante quā Dominū uiderent nō crediderint eis, quibus Dominus apparuisset?

Quod uero dixit eis: Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Nunquid suum Euangelium uel insensatis rebus, uel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicitur, prædicare omni creaturę? Sed omnis creaturę nomine, potest omnino natio gentium designari. Ante etenim dictū fuerat: In uiam gentiū ne abieritis. Nunc autē dicit: Prædicate omni creaturę, ut scilicet prius a Iudæa, Apostolorū repulsa prædicatio tūc nobis in adiutorij fieret, cum hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba reppulisset.

Qui

104. 81.

Psal. 88.  
Psal. 20.

August.

Grego.

Math. 10.

**C** Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. (Fortasse unusquisque apud semetipsum dicit: Ego iam credidi, saluus ero, uerum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod uerbum dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Ioannes ait: Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Cum autem dicatur: Qui uero non crediderit, condemnabitur, quid hic dicimus de paruulis, qui per gratiam adhuc credere non ualent? Nam de maioribus nulla questio est. In Ecclesia ergo saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex alijs ea quæ illis in baptismo remittuntur peccata traxerunt.

Rom 2.

1. Corin. 14.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo efficiunt demonia &c.) Nūquid quod ista signa non facimus, minime credimus? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesie fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos cum arbuta plantamus, tam diu eis aquam fundimus, quo usque ea in terra conualuisse uideamus. At si femel radice fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est etenim, quod Paulus dicit: Linguae in signo sunt, non fidelibus, sed infidelibus. An habemus de his signis atque uirtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus? sancta quippe Ecclesia, cotidie spiritaliter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes eius cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi demonia efficiunt? Et si deles quique, qui iam uix ueteris secularia uerba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudem & potentiam, quantum proualent, narrant, quid aliud faciunt, nisi nouis linguis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem prauam minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocet, quia quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota uirtute concurrunt, & exemplo sue operationis illorum uitam roborant, qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super egrotos manus imponunt, ut bene habeant? Quæ nimirum miracula tanto maiora sunt, quanto spiritaliora. Tanto maiora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur.

**D** Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est &c.) Considerandum nobis est, quid est quod Marcus ait: Sedet à dextris Dei, & Stephanus dicit: Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Quid est, quod hunc Marcus sedentem, Stephanus uero stantem se uidisse refert? Sed scimus, quia sedere iudicantis est, stare uero pugnantis, uel adiuantis est. Quia igitur redemptor noster adsumptus in cælum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium ueniet, & hunc post adsumptionem Marcus sedere describit, quia post ascensionis suæ gloriam, iudex in fine uidebitur. Stephanus uero in laboris certamine positus, stantem uidit, quem adiutorem habuit, quia ut iste in terra persecutorum infidelitatem uinceret, pro illo de cælo illius gratia pugnauit.

Illi autem profecti prædicauerunt &c.) Quid in his considerandum est, quid memorie commendandum, nisi quod præceptum obedientie. Obedientia uero signa secuta sunt. Restat sane questio non minima, quomodo scripserit idem Euangelista, dixisse angelum ueribus: Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet uos in Galilæam, ibi enim uidebitis, sicut dixit uobis, nec tamē ibi uisum à discipulis Domini, in ullo post hæc Euangelij sui loco reperit, sed quod ita ab angelo & à Domino dictum sit Prophetie dictum accipiendum est, Galilæa namque interpretatur transmigratio uel reuelatio, prius itaque secundum transmigratiois significationem, quid aliud occurrit intelligendum, præcedet uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, sicut dixit uobis, nisi quia Christi gratia de populo Israël transmigratura erat ad gentes, quibus Apostoli prædicantes Euangelium, nullo modo crederent, nisi eis ipse Dominus uiam in cordibus hominum prepararet? Et hoc intelligimus, præcedet uos in Galilæam. Quod autem mirarentur gaudentes disruptis & euictis difficultatibus, aperiri sibi hostium in Domino per illuminationem fidelium, hoc intelligitur, ibi enim uidebitis, id est, membra eius inuenietis, ibi & ibi uiuū corpus eius, & in eis qui uos susceperint agnosceat. Secundum illud autem, quod Galilæa interpretatur reuelatio, non iam in forma serui intelligendum est, sed in illa qua equalis est patri, quod promissum sit apud Ioannem, dilectoribus suis cum diceret: Et ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi. Illa erit reuelatio tanquam uera Galilæa, cum similes ei erimus, ubi enim uidebimus sicuti est

Ipsa

**A** Ipsa erit etiam beatorum transmigratio ex isto seculo in illam æternitatem, si eius præcepta sic amplectamur, ut ad dextram eius segregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, iusti autem in uitam æternam.

CONCORDIA. In adsumptione ascensionis Domini, istarum duarum sit concordia lectionum. 1. Pet. 4.

## DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

Epistola beati Petri. I. Petri. III.



Stote prudentes & uigilate in orationibus. Ante omnia attendite mutuam in uobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem, si ne murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterum administrans illam, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex uirtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus, per Iesum Christum Dominum nostrum.

**E** Stote prudentes & uigilate in orationibus.) Et Dominus in Euangelio nos incerti finis intuitu semper orare ac uigilare præcepit, ait namque, loquens de die iudicij: Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini, fugerite omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Bene autem in orationibus uigilare iubemur, ut cum stamus ad orationem, cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, ne quicquam tunc animus præter id solum cogitet quod precat. Subripit enim frequenter hostis, & subtiliter fallens preces nostras, à Deo auocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud proferamus in uoce, cum intentione sincera Deum debeat non sonus uocis, sed animæ sensus orare.

Lucæ, 12.  
Marc. 13.

Ante omnia autem mutuam in uobismetipsis charitatem continuam habentes.)

**B** Bene addit, continuam, quia semper diligere ualeamus, semper autem uigilare in orationibus, fragilitate carnis obstante, nequimus. Semper his, quas subiungit, uirtutibus insistere minime ualeamus. Ideo hospitalitati, doctrinæ, administrationi gratiarum, uel communionum uel spiritualium in proximos, cæterisque huiusmodi, quia hæc nimium, & per officium corporis, & tempora oportuna fieri necesse est. Ipsa autem charitas, cuius instinctu, hæc foras agunt, quæ interiori homini præsidet, semper ibidem haberi potest, quamuis in publicum non semper ostendi potest.

Quia charitas operit multitudinem peccatorum, &c.) In eo maxime, cum ueraciter Deo dicitur: Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et si quidem cuncta opera bona quæ facimus, culpas quas fecimus diluere & cooperire certum est. Sed hoc ideo specialiter de charitate dicitur, per quam proximis nostris, ea quæ nobis debent, donamus, quia iustissimum est apud Deum, ut iuxta mensuram pietatis quam mensi fuerimus, remetieretur nobis. Sicut contra terribiliter duos cordis uir sapiens arguit, dicens: Homo homini seruat iram, & à Deo querit medelam. Nec dubitandum, quod in eo quoque, qui per charitatem quicquid ualeat erga correctionem proximi ammonendo, increpando, castigando operatur. Charitas ipsa operit multitudinem peccatorum.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei.) Timens uidelicet, ne præter uoluntatem Dei, uel præter quod in sanctis scripturis euidenter præcipitur, uel dicat aliquid, uel imperet, & inueniatur tanquam falsus testis Dei, aut sacrilegus, uel introducens aliquid alienum à doctrina Domini, uel certe subrelinquens & præteriens aliquid eorum quæ Deo placita sunt, cum ipse manifestissime prædicatoribus ueritatis, de his quos ad uitam imbuerat præcipiat dicens: Docentes eos seruare omnia quæcunque mandauit uobis, etenim quæ ipse mandauit non alia, & hæc non ex parte, sed omnia suis auditoribus ad seruandum tradere iubet.

Matth. ultimo

Si quis ministrat, tanquam ex uirtute quam administrat Deus.) Tanto humiliter impendat quisque proximo bonum omne quod potest, quanto certissime nouit, quia à semetipso non potest habere quod impendat.

Ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum.) Iuxta ipsi. Matth. 6. us Iesu Christi præceptum, quod ait: Videant uestra opera bona, & glorificent patrem uestrum

C uestrum qui est in caelis. Honorificatur ergo Deus in actibus nostris, cum omne quod bene ac fecundum uoluntatem eius facimus, non hoc nostris meritis, sed eius gratiae tribuimus. Contra autem mala quae gerimus, nostra solum malitiae uel inertiae uel ignorantiae deputamus.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XV.

**Q**uam autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis a patre spiritum ueritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et uos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Haec locutus sum uobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient uos, sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se prestare Deo. Et haec facient uobis, quia non nouerunt patrem neque me. Sed haec locutus sum uobis, ut cum uenerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.

**C**um autem uenerit spiritus paracletus, quem ego mittam uobis a patre meo, spiritum ueritatis, qui a patre procedit. Ex multis sancti Euangelij locis inuenimus, quia discipuli ante aduentum sancti spiritus minus capaces erant ad intelligendum archana diuinae sublimitatis, minus fortes ad tolleranda aduersa humanae prauitatis, sed eis adueniente spiritu cum augmento diuinae agnitionis data est etiam constantia uiuendi humanae persecutionis tentamenta. Unde eos spiritus sancti aduentu, promissit roborandos esse, uel ad fiduciam praedicationis, uel ad constantiam passionis, sicut in ipso principe Apostolorum factum esse cognouimus, qui prius ad unius ancillae uocem Christum timuit confiteri, quem postea palam & omnibus caeteris constantius sancto spiritu roboratus multis Iudaeorum milibus praedicauit, ita ut ad eius praedicationem tria milia uirorum legimus credidisse, & baptizatos esse, & non post multum temporis etiam quinque milia credidisse. Quod uero ait: Qui a patre procedit, & statim subiunxit, quem ego mittam, significat enim quod equaliter idem spiritus sanctus a patre & filio procedit, & aequaliter a patre & filio mittitur, sed propter distinctionem personarum hic dicitur a patre procedere, & a filio mitti, & in eadem distinctione personarum unam esse operationem ac uoluntatem suam, cum patris uoluntate denunciet. Venit etiam & sua sponte, qui aequalis est patri & filio, quo cognoscatur unam esse uoluntatem atque operationem sanctae trinitatis.

Ille, inquit, testimonium perhibebit de me, & uos testimonium perhibebitis. Quia quae spiritu intus docente perceperunt, haec abiecto timore praestiterunt foris loquendo & alijs ministrando. Ipse namque spiritus corda eorum, & ad scientiam ueritatis illustrauit, & ad docenda quae nosse culmine ueritatis erexit.

Cum autem uenerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Tanquam diceret: Odio habuerunt & occiderunt uidentes, sed tale de me paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non uidentes.

Et uos, inquit, testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Perhibebit spiritus sanctus, perhibebitis & uos, quia ab initio mecum estis, potestis praedicare quod noistis, quod ut modo non facitis, illius spiritus plenitudo non dum adest uobis.

Haec locutus sum uobis, ut non scandalizemini, absque synagogis facient uos. Curauit namque pius magister futura discipulis prauorum bella praedicere, quo minus haec eos uenientia possent turbare. Solent enim leuius ferri aduersa quae praesciuntur, quam quae subito ex desperato superueniunt, sicut in seculari litteratura legitur: Sepe repentini casus perurbationis fortissimos quosque in bello milites fatigare solent.

Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequium se prestare Deo. Arbitrabantur obsequium se prestare Deo Iudei, in eo quod ministros Noui Testamenti odijs insequerentur & morte. Sed sicut illis testimonium perhibet Apostolus, emulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Arbitrantur ergo legis emulatores obsequium se prestare Deo, dum praecibus gratiae necesse inferunt, sed frustra. Legem quae per famulum data est

**A** est defendunt, qui gratiam quam ipse filius offert, accipere rennuunt, incassum Deo se patri placere aestimant, qui Dei filium contemneret, imo etiam persequi ac blasphemare laborant. Duo dixit illis esse uentura à Iudaeis, id est, ut eos extra synagogam facerent, & ut eos iterficerent, quae etiam ad cumulum damnationis illius populi pertinebant, & ad salutem gentium profutura fuissent. Sicut Paulus in Actibus Apostolorum illis Iudaeis dixit: Quia indignos uos uerbo Dei fecistis, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim praecipit nobis Dominus: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Sequitur.

Et haec facient, quia non nouerunt me, neque patrem meum. Quia enim filius in patre, & pater est in filio, & qui uidet filium, uidet & patrem, pater profecto, quia quicumque filij credulitatem obstinate reiciunt, nec patrem nosse probantur.

Sed haec locutus sum uobis, ut cum uenerit hora eorum, reminiscamini, &c. Magna consolatio est discipulorum, ut reminiscerent ante praedicta esse a magistro quae passuri essent, ut eundem se scirent habere adiutorem, & remuneratorem, pro cuius nomine tanta pasturos se esse, praedictum est illis.

Haec ab initio uobis non dixi, quia uobiscum eram. Quae sunt quae ab initio illis non dixit etiam de spiritu sancto, quem missurus erat illis a patre, & de consolatione & confirmatione eiusdem spiritus, quo consolandi & roborandi fuissent, ut omnia mundi aduersa, uel Iudaeorum scandala & persecutiones, libero animo formidare non debuissent. Haec ab initio non dixi, quia uobiscum eram, quia mea praesentia consolabatur uos.

CONCORDIA. Istarum duarum in charitatis officio fit concordia lectionum.

## IN SABBATO PENTECOST. LECTIO

Actuum Apostolorum. Cap. XIX.

**A**ctum est cum Apollo esset Corinthi, & Paulus peragratis superioribus partibus ueniret Ephesum. Et inueniret quosdam discipulos, dixit ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt: Sed neque si spiritus sanctus est audiuimus. Ille uero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptisate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismum penitentiae populum, dicens: in eum qui uenturus est post ipsum ut crederent, hoc est in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cum imposuisset illis manus Paulus, uenit super eos spiritus sanctus, & loquebantur linguis & prophetauerunt, erant autem omnes uiri fere Duodecim. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur, per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei.

**F**actum est, cum Apollo esset Corinthi, & Paulus peragratis superioribus partibus, ueniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitque ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt: &c.

Cum Ecclesiae regula sit, fideles in nomine sanctae trinitatis baptizari, queritur, quomodo Lucas per totum libelli huius textum non aliter, quam in nomine Iesu Christi, baptismum dari testetur. Quod ita beatus Ambrosius soluit, quia per unitatem nominis impletum mysterium sit, qui siue Christum dicas, & Deum patrem, quo unctus est filius, & ipsum qui unctus filium & spiritum quo unctus est, designasti. Scriptum est enim: Iesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus spiritu sancto. Siue patrem dicas, & filium eius, & spiritum oris pariter indicasti, si tamen id etiam corde comprehendas, siue spiritum dicas, & Deum patrem, a quo procedit spiritus, & filium, quia filij quoque & spiritus nuncupasti, ut rationi copuletur autoritas. In spiritu quoque recte baptizari posse scriptura indicat. Dicente Domino: Vos autem baptizabimini in spiritu sancto, ut Apostolus ait: Omnes enim in ipso corpore in uno spiritu baptizati sumus. Aliiter praecipue congruit nos in nomine Domini Iesu Christi baptizari, quia sicut Apostolus ait: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, &c.

Quicumque

**C** Quicumque enim ad Apostolos credentes baptizandi adueniebant, instruebantur & docebantur ab eis, & instructi & docti de sacramento baptismatis, & de cæteris regulis fidei accipiebant sacro sanctum mysterium baptismatis.

Rom. 6.

Deut. 6.

Acto. 19.

Cathecumenus autem, audiens siue instructus interpretatur. Genus enim humanum audit, & instruitur, antequam ad baptismum ueniat. Et quod per Moysen quondam audierat: Audi, Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est, & per legem & prophetas instruebatur, ad unius ueri Dei cultum, modo per sacerdotum ministerium, & audiens efficiatur, & instrui ualeat, ut relicto ritu, quo creaturae deserviebat, soli creatori Deo deserviat. In quorum etiam facie à facerote per exufflationem signum crucis fit, ut & diabolus fugeretur, & Christo uia prepararetur. Ut qui in lècros à persuasione sua, generis humani, quod in primordio sui spiraculū uitę acceperat, habitator erat, eius uirtute & sacratissimo signo per ministeriū sacerdotum exire cogat. Qui & in discipulos suos insufflasse, & spiritus immundos increpasse legitur. Vnde & exorcizat, idem malignus spiritus, ut exeat & recedat ab illo plasmate, quod iam dudum per peccatum primi hominis possidebat. Et quia nō est iuxta Apostolorū conuentio Christi & Belial, nec societas lucis ad tenebras, egre diantur tenebrę & lux uera Christus igrediat. Exorcismus præterea est sermo increpationis siue coniurationis. Vnde & in Actibus Apostolorū exorcistę fuisse legunt, & sancta Ecclesia inter gradus Ecclesiasticos exorcistarū etiam ministerium habet. Sciendū namq; est, quia cū exorcizatio fit, ille proculdubio exorcizatur, qui & baptismati & salutis fidelis, & omnibus uirtutibus cōtrarius est. Illo enim exorcizato, siue expulso diuini uerbi condimentū, credentibus dat. Et idcirco, hi qui baptizandi sunt, salē in sacramento accipiūt, ut eius gustu cōdimentum sapientię percipiāt, neq; a sapore Christi desipiāt, & sint insulsi & fatui. Post exorcizatiōē & exufflationem symboli sequitur traditio. Quod symbolū grece σύμβολον, Latine indicium uel signū, uel collatio interpretat. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signū, quod eo bene retento, & intellecto fideles ab infidelibus discernunt. Collatio, quia in eo Apostoli omnem fidei integritatē contulerunt. Quod autem omnes pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes, symbolum, id est, totius fidei collationem ediderunt. Discelluri enim ab inuicem, normam futurę prædicationis in cōmuni statuērunt, ne localiter ab inuicem discedentes diuersum aliquod, uel dissonū prædicarent. Decentissimum namq; & utile erat, ut quibus erat anima una, & cor unū in Domino, & quos sancti spiritus afflatus uegetabat, & fidei etiam unius confessio exornaret. Nec enim, dirimi, in aliquo uel poterant, uel debebant, qui unius fidei uinculo necebebantur. Fides quę in hoc symbolo cōtinet, ita ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, ut credant in Deum patrem omnipotentem creatorem omnium uisibilem & inuisibilem, qui solus, qui non est de alio. Ideo solus appellatur in genitus, & in Iesum Christū filium eius, per quem omnia facta sunt, uerum Deum unigenitum, uerumq; Dei filium, non factum adoptiuū, sed gentium, & unius cū patre substantiæ, atq; ita per omnia æqualem Deo patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior, tantumq; esse illum qui est genitus quantus est, ille qui genuit, credant eum etiam natum de spiritu sancto, & Maria semper uirgine, id est, ut spiritu sancto cooperante, uerum sibi corpus ex uirgine, idem Dei filius adsumpserit, ut qui erat in Diuinitate Dei patris filius, ipse factus sit in humanitate hominis matris filius. Credant etiam eum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi à patre, qui nunq; desit esse cum patre, & hominem uerum factum, ut humanum genus homo liberaret, & ipse qui absq; initio, eternitatem cū patre & spiritu sancto possidet, in sine sæculorum, perfectū naturę nostrę hominē suscepit, & uerbū caro factum sit, adsumendo humanitatem, non permutando diuinitatem, credant etiam eum pertulisse passionem & mortem, non in uirtute diuinitatis, sed in infirmitate humanitatis, mortuū uera carnis morte, resurrexisset uera carnis resurrectione, & resurrectione sua spē nobis resurrectionis contulisset. Ita dumtaxat, ut sicut ille tertia die resurrexit uiuus à mortuis, ita & nos in sine seculorū resurgamus, in eadem, qua nunc uiuimus carne. Credant etiam, eum in eodem corpore, quod de uirgine adsumpsit, & passionem sustinuit, & resurrexit, ascendisse in cælum, & in eodem, & nunc esse & ad iudicium uenturum esse, & resuscitatis omnibus, dare alijs pro peccatis supplicij eterni sententiam, alijs, pro iustitię meritis, æternę beatitudinis premiū. Credat & in spiritum sanctū, Deum uerum, ex patre filioq; procedentem, æqualem per omnia patri & filio, uoluntate, potestate, eternitate, substantia, nec esse in hac sancta trinitate ullos gradus, quibus aliquis superior, inferiorue dici possit. Credant etiam sanctam Ecclesiam catholicam, id est, uniuersalem, non in sanctam Ecclesiam, ut credentes in trinitatē, credant eiusdem sanctę trinitatis donum esse, sanctam Ecclesiam, à cuius cōmunionē discedentes, scismatici & heretici uocantur, & eterna damnatione puniunt. In eius uero cōmunionē permanentes, & membra Christi esse, & remissionem

**A** peccatorum percipere, ad uitam æternam pertinere. Quia ergo paruuli necdum ratione utentes, hæc minime capere possunt, oportet ut cum ad intelligibilem ætatem peruenerint, doceantur, & fideli sacramentis, & confessionis suę mysterijs, & ueraciter credant, & diligenti cura custodiant confessionem suam. Plane diximus, quia quamuis illi necdum loqui possint pro illis & confitentur & loquantur, qui eos de lauacro fontis suscipiunt. Nec immerito dignū est, ut qui aliorum peccatis obnoxij sunt, aliorum etiam confessione, per ministerium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

Tanguntur itaq; desupto nares, & aures & dicitur effeta. Nares ut Christum in odore unguentorum sequantur & dicant: Trahe me post te curremus, & cum Apostolo proficiantur, dicentes: Christi bonus odor sumus Deo & illius membra efficiantur, cui dicit: Et odor uestimentorum suorū super omnia aromata. Tangunt & aures ut audientes uerba Dei, & facientes ea similes sint, secundum Euangelij, uiro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petrā, & spiritali auditū, semper spiritalia auscultent, ut cum Dauid dicere possint: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Et cum Esaia. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autē non contradico. Retorsum non abiij, ut quę spiritaliter dicuntur spiritaliter audientes ad spiritalium operum emolumenta perueniant. Quia ergo diuinitas hominem adsumens, quoddam ex connexione duarum substantiarum, in una Dei filij persona collitū fecit, unde genus humanū quod cæcū à primis parentibus natū erat, illuminaret. Non ab re sputo aures tangunt & nares, ut qui expuens linguā muti tetigerat, & sputo lutum fecerat, & oculos cæci nati apererat. Nunc per ministerium sacerdotū, & auditū spiritalem, his qui baptizandi sunt tribuat, & recte loquendi, id est, fidem ueram consistendi facultatem prebeat, & nares quibus bonū Christi odorem capiat aperiat. Pectus enim illius qui baptizat refertū semper esse debet, & diuini odoris nequæ & spiritali unctiōne delibutum. Vnde & etiā his qui baptizandi sunt, pectus de oleo, & scapulæ tangunt, ut illius olei sancti uidelicet spiritus unctiōne liniti, de quo Apostolus ait: Sicut unctio eius docet nos de omnibus ante & retro munici, id est, contra omnia prospera siue aduersa sint circumpecti, & cœlestiū animalium immitatione ante & retro pleni sint oculis, id est, in præteritū & futurū respicientes, salutis suę custodiam nō amittant. Tangit eis pectus ut cū Dauid dicere possint: Et misericordia eius pręueniat me. Tangunt scapulæ, ut cum eodem dicant: Et misericordia eius subsequetur me, id est, anteriora, ut bene uelint, posteriora, ne frustra uelint. In cordis nomine sepe mens designat, sicut est illud: In toto corde meo exquisiui te. Et in olei nomine intelligit unctiō sancti spiritus, siue opera luminis & misericordię. Cordis locus unctiōne utriusq; munitur, id est, anterius & posterius ut undiq; mens Christiani, & pinguedine sancti spiritus, & operibus luminis atq; misericordię exuberet. Quibus bene exuberat, si abrenunciando diabolo & operibus eius, dominationem illius aspernatur, & iugū quod se premebat, illius olei unctiōne fatiscat, & impleat illud propheticū: Computrescet iugū à facie olei. Abrenunciare etenim poni solet pro eo quod est, spernere, enj cere, contradicere, siue aliud quid, quod hoc uerbo in hoc sensu exprimi potest. Quam abrenunciatiōē recte confessio sanctę trinitatis sequitur: Ut ubi abundauit peccatū superabundet gratia. Sathanę enim qui & diabolus nuncupat à fidelibus abrenunciatur, ut Domino saluatori liberius seruiatur, quia iuxta eiusdē Domini uocem: Nemo potest duobus dominis seruire. Abrenunciat etiam operibus eius, quia opera illius contraria sunt saluatoris operibus, nec minus in terra pompis eius abrenunciat, quę utiq; opera sunt Sathanę, sed eo quasi discerni uidentur à cæteris operibus eius, quia in eis superbia cuius autor ille est, & quę eū deiecit, quodammodo designat. Pompej igitur eius sunt, ambitio, arrogantia, uana gloria, & cetera huiuscemodi, quę fonte superbię procedere noscunt. Fons quoq; baptismi similitudinē gerit sepulchri Christi, quod nouū fuisse legit, quia quicumq; in eo cōspelit Christo, & ei cōerget, secundū eundē Apostolū, in nouitate uitę ambulare debet, cuius fontis sex gradus sunt, tres in descensu tres noctes, & tres in ascensu, tres dies significare uident. Idcirco autē baptismus nō iteratur, quia & Christus nō amplius quam semel mori. Peccata enim, quę post baptismū committuntur, penitentię lachrymis, elemosinis, & ceteris bonorū operum exhibitionibus, non baptismatis iteratione delent. Dominico in terra corpori sepeliendo, mundissimam linteamina, & aromata adhibentur. Quia & is qui Christo sepeliri desyderat, si iam etas permittit, quamuis mortuus sit per originale peccatū, quod adhuc portat, debet tamen bonorum operū exhibitione flagrare, & mundis indui uestibus. De quibus propheta sacerdotem indui orat, cum dicit: Sacerdotes tui induant iustitia. Quia ergo omnia in baptismi ratione redolent mysterijs & exuberant sacramentis, oportunitatem erat, ut nouus homo noua acciperet uestimenta, & purgatus ueteris noxę cōlutione, candidarū uestiū indueretur nitore, Moses enim Aaron

Can. 1.  
2. Cor. 1.

Math. 7.  
Psal. 84.  
Esa. 50.

1. Ioan. 2.

Psal. 58.

Psal. 118.

Esa. 10.

Rom. 5.

Math. 6.

Psal. 131.

& filios eius prius aqua lauabit, & post lineis induit uestimentis. Quia noster uerus Moses qui populi de Aegyptia seruitute, de gentilitatis uidelicet errore liberat, qui est mediator Dei & hominum, sui nos inenarrabili sacramenti unda purificat, & bonorum operum indumentis exornat. Baptizatorum itaque capita chrismate linuntur, & in regno & sacerdotio Ecclesie delibuti & Christiani nominis prerogatiua accipiant & eius membra, qui eos redemit, & eorum caput est, effici ualent. Capita itaque eorum qui regenerantur ex aqua & spiritu sancto mistico uelamine tegunt, ut eis per Petri dicatur: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, & hoc uelamine & diadema regium, & sacerdotialis capitis uelamine significetur, & quia per caput mens plerumque in sacro eloquio accipi solet, iuxta illud: Respicite & leuate capita uestra, mens renatorum & regie dignitatis ornamenta, & sacerdotialis uerticis habeat regumenta, ut & contra uitia sacerdotali uelamine muniatur, & uirtutum gemmis spiritaliter exornetur, & unctioe sacro sancti chrisimatis liniatur, quibus etiam septiformis gratia spiritus per chrisimatis unctioe conceditur, ut non solum sancti spiritus, qui unius est cum patre & filio substantie, sed totius sancte trinitatis habitaculum effici mereantur. Spiritus paracletus septiformis etiam gratie dicitur, propter septenarii numeri mysterium, in quo summa perfectio intelligitur. Est enim compositus ex toto primo pari, & ex toto primo impari, qui diuidi potest, et ex toto primo impari, qui diuidi non potest. Habet enim in ternario mysterium trinitatis, in quaternario Euangelij. Siue enim tres per quattuor, siue quattuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum surgitur, quia mysterium sancte trinitatis, & doctrina Euangelij per duodecim Apostolos in quattuor mundi partes, Orientem uidelicet & Occidentem, Septentrionem & Meridiem, diriuata est. Hunc enim spiritum, qui a patre filioque procedit, Idem Dominus Apostolis, & per Apostolorum & eorum successorum ministerium sancte spiritus tribuit Ecclesie, cuius dona, quancumque ex unius spiritus fonte procedant, uidentur quodammodo, qualdam habere proprietates. Aliud est enim sapere, aliud intelligere, quia multi quidem eterna sapiunt, sed hec intelligere minime possunt. Sapientia ergo mentem quam infederit, de eternorum spe & certitudine replet. Intellectus eo quod secreta penetrat, cor quod tetigerit, rescindendo eius tenebras illustrat. Confessio, dum esse quepiam precipite prohibet, ratione animum replet. Fortitudo uero cum aduerfa non metuit, trepidanti menti confidentiam prebet. Scientia cum ignorantiam fugat, & lumine suo eum quem repleuerit illustrat. Pietas, misericordie operibus eum quem repleuerit, exuberare concedit. Timor, dum premit mentem ne de presentibus superbiat, de futuris illam spei refectione confortat. Sic enim quodam adminiculo sui inuicem sibi succurrunt, ut diuina alia suffragatur uirtu ordo & status decentissime componatur. Minor quippe est sapientia, si intellectu careat. Et ualde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat. Quia cum altiora sine sapientie pondere penetrat, sua illum leuitas grauius ruiturum leuat. Vile est consilium, cui robis fortitudinis deest, quia quod tractando inuenit, carens uirtutibus, usque ad perfectionem operis non perducit, & ualde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur, quia quo plus se posse conspicit, eo uirtus sine rationis moderamine deterius in preceps ruit. Nulla est scientia, si utilitate pietatis non habet, quia dum bona cognita exequi negligit, se ad iudicium arctius stringit, & ualde inutilis est pietas, si scientia discretionem caret. Quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodo misereat ignorat. Timor quoque ipse, nisi has etiam uirtutes habuerit, ad nullum opus proculdubio bonae actionis surgit, quia dum ad cuncta trepidat, ipsa sui formidine a bonis operibus torpens uacat. Sumopere itaque obseruandum est, & ipsius sancti spiritus adiutorium implorandum. Ne sapientia eleuet, ne intellectus dum subtiliter currit, aberrat, nec consilium dum se multiplicat, confundat. Ne fortitudo dum fiducia prebet precipitet. Ne scientia dum nouit & non diligit, inflet. Ne pietas dum se extra rectitudinem inclinat intorquet. Ne timor dum plus iusto trepidat, in desperatiouis foueam mergat.

Et cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erant omnes uiri fere duodecim, &c.) Quae crebra uentilatur, si illi qui per ignorantiam forte non baptizati, sed tamen recte fidei aliquibus baptizati sunt, iterum baptizari debeant, quam hoc capitulo expositam reor, quid enim differt, utrum tunc ante initium baptismi Christi, an nunc sine successione eiusdem quisque baptizetur, cum etiam ipse Ioannes eos quos in fide & in nomine Christi licet uenturi baptizauerat, iterum baptizandos esse, predicauerit dicens: Ego baptizo uos aqua, ille baptizabit uos in spiritu sancto.

Uentum iudicia Domini abyssus multa. Ecce Asia nuper Apostolorum nec uisitatione digna, nunc et Apostolico sacramento numero et prophetali munere sublimata, et notandum quod spiritus sanctus et hic duodecim

duodecim discipulos & supra in c. xx. qui est duo denarius numerus decies ductus aduentus sui signa monstrauerit, illud in Hierusalem, hoc in Epheso, quae est ciuitas Graecorum, credo ut ostenderet se, siue de Iudaeis seu gentibus credat quis, eos tantummodo, qui unitati Ecclesie Catholicae atque Apostolicae communicent, implere.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XIII.



Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit uobis, ut maneat uobiscum in eternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidit eum nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit. Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Adhuc modicum, & mundus iam me non uidet. Vos autem uidetis me, quia ego uiuo & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, quia ego in patre meo & uos in me & ego in uobis. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est, quia diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a patre meo. Et ego diligam eum & manifestabo ei me ipsum.

Si diligitis me, mandata mea seruate.) Quid est, quod dicit, quod diligentibus Deum & seruantibus mandata eius, spiritus Paracletus daretur, dum Deus diligit, & mandata eius seruari non possunt, nisi per spiritum sanctum? quid est aliud, nisi, ut qui per spiritum sanctum diligit Deum, mereatur diligendo, ut plus habeat, & plus habendo, plus diligit? Paracletus consolator interpretatur, & spiritus sanctus recte Paracletus uocatur, quia corda fidelium, ne inter huius seculi aduersa deficiant, caelestis uitae desiderijs subleuat, ac reficit.

Et ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit uobis.) Ostendens se ipsum esse Paraclitum. Habebant autem & prius Paraclitum, ipsum uidelicet Dominum secum in carne comorantem, cum & miraculorum dulcedine & ope praedicationis, ne propter infidelium persecutionem scandalizari possint, erigi & confortari solebant: Rogabo dixit, propter humanitatem, qui dat cum patre per diuinitatem.

Ut maneat uobiscum in eternum.) In eternum namque manet cum sanctis, quos & in hac uita semper inuisibiliter intus illustrat, & in futuro ad contemplandum perpetuo speciem suae maiestatis introducit.

Spiritum ueritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non uidit eum, nec scit eum.) Mundum autem appellat homines mundi huius amoris datos. Mundus ergo eum accipere non potest, id est, mundiales homines, quia non habent inuisibiles charitatis oculos, quibus solummodo spiritus sanctus uideri potest, & sciri & sciendo intelligi.

Vos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit & in uobis erit.) Erit ut maneat in eternum. Dominum namque saluatorem & infideles ante passionem in carne uiderunt, sed quia filius Dei esset, quia Paracletus a Domino missus in mundum, non nisi fideles scire potuerunt. Spiritum autem sanctum neque oculis uidere infideles, neque animo ualebant cognoscere, quia non indutus humanitate discipulis apparuit, sed ita ad eos uenire, ita apud eos maluit manere, ut in ipsorum cordibus gratissimam sibi sedem consecraret. Hoc est enim quod ait: Vos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit. Qui autem inuisibiliter in hac uita manet cum electis, uisibiliter utique eis gratiam suae cognitionis exhibet.

Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos.) Videbatur infidelibus, quia moriens in cruce, ut Dominus discipulos relinqueret orphanos, sed non reliquit orphanos, quibus & praebuit se ipsum uiuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta, & post dies decem assumptionis suae, spiritus sancti illis de caelo chrysmata donauit, ubi ipsum Christum ad eos uenisse, nullus ambigit, qui inseparabilem sanctae trinitatis naturam uirtute & operatione esse cognouit.

Adhuc modicum & mundus me iam non uidebit.) Modicum erat usque ad tempus expletis passionis, ex quo illum reprobi uidere non ualebant, soli etenim iusti, qui morte illius erant contristati gaudium resurrectionis eius uidere meruerunt.



**C** Vos autem tridetes me, quia ego uiuo, & uos uiuetis.) Quid est, quia ego uiuo, & uos uiuetis? Cur de presenti se dixit uiuere, illos autem de futuro esse uicturos, nisi uita etiam carnis utique resurgens, qualis in ipso precedebat, & illis est pollicetur securam, & quia ipse mox futura fuerat resurrectio, presentis posuit temporis uerbum, propter significandam celeritatem, illorum autem, quoniam in seculi differitur finem, non ait, uiuistis, sed uiuetis. Ducas ergo resurrectiones suam scilicet mox futuram, & nostram in seculi sine securam duobus uerbis presentis temporis, & futuri elegantur breuiterque promissit.

In illo die uos cognoscetis, quia ego in patre meo, & uos in me, &c.) In quo die, nisi de quo ait, & uos uiuetis? Nouerant Apostoli, tunc esse Christum in patre per unitatem in diuinitate diuinitatis, nouerant se esse in Christo, per susceptionem fidei, & sacramentorum eius. Nouerant ueraciter uiuere, tunc esse Christum in patre, & in se esse Christum, per dilectionem & obseruantiam mandatorum eius. Nouit & hoc sancta Dei Ecclesia, sed longe melius & plenius in illa die, de qua dixit, & uos uiuetis, in qua ueraciter uiuere incipiunt, hoc est, in die resurrectionis, quando eo perfectius cuncta quae scienda sunt sciunt, quo ipsum scientiae fontem uicinius sine fine conspiciunt. Ut omnibus huius promissionem beatitudinis promitteret, non solummodo Apostolis, mox subiunxit.

Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligit a patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.) Vbi omni intentione considerandum est, quia Christum uere diligere est, non solum ipsam dilectionem labijs ambiguo confiteri, sed mandata Christi, quae discendo habemus operando seruare. Qui habet, inquit, mandata mea & seruat ea, ille est, qui diligit me. Qui habet in memoria, & seruat in uita: Qui habet in sermonibus, & seruat in moribus: Qui habet audiendo, & seruat faciendo, aut qui habet faciendo, & seruat perseverando, ipse est, inquit, qui diligit me. Notandum, quia cum presentis temporis uerbo diceret, qui autem diligit me, adiecit de futuro diligeretur a patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Diligit namque etiam nunc dilectores suos cum patre filius, sed nunc diligit ad hoc, ut recte uiuant ex fide, quae per dilectionem operatur. Tunc ad hoc diligit, ut perueniant ad uisionem ueritatis, quam per fidem gustauerant, non autem frustra addidit, & manifestabo ei me ipsum. Si uero secundum humanitatem cunctis in iudicio manifestabit, solis uero iustis & sanctis diuinitatis gloriam, in qua aequalis est patri & spiritui sancto ad beatitudinem aeternam manifestaturus erit.

CONCORDIA. In sancti spiritus acceptione & dono istarum duarum sit concordia lectionum,

## DOMINICA PENTECOSTES.

lectio Actuum Apostolorum. Cap. II.

**D** Vm complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de caelo sonus tanquam aduenientis spiritus uehementis, & repleuit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersite linguae tanquam ignis. Seditque super singulos eorum. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, & coeperunt loqui uarijs linguis, pro ut spiritus sanctus dabat eloqui illis. Erant autem Hierusalem habitantes Iudaei uiri religiosi, ex omni natione quae sub caelo est. Facta autem hac uoce, conuenit multitudo & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes: Nonne, ecce omnes isti, qui loquuntur Galilaei sunt? Et quomodo nos audiuimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi & Medi & Elamitae, & qui habitant Mesopotamiam Iudeam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Lybiae quae est circa Cyrenen, & aduenae Romani, Iudei quoque & Proselyti, Cretes & Arabes. Audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Dum

**A** Vm complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco.) Hoc est in cenaculo quod superius ascendisse narratur. Quicumque enim Beda. spiritu sancto adimpleri desiderant, carnis domicilium necesse est, mentis contemplatione transcendant. Sicut autem quadraginta dies, quibus Dominus post resurrectionem cum discipulis conuersatus est, cum resurgente Christo peregrinationis huius designant Ecclesiam. Ita dies quinquagesimus, quo spiritus sanctus accipitur, perfectionem beate quietis, qua labor Ecclesiae temporalis, denario remunerabitur aeterno, congruenter exprimit. Nam & ipse numerus quadragenarius, aequalibus suis partibus computatus, addit amplius ipsum denarium, & facit quinquaginta. Quadragenarius quippe numeri dimidium est uiginti, quarta pars decem, quinta octo. Octaua quinq, Decima quattuor, Vicesima duo, Quadagesimum unum. Viginti autem, & decem, & octo & quinq, & quattuor & duo, & unum, quinquaginta faciunt. Cuius computi facillime patet figura, quoniam praefens conflictus, gaudium nobis subilei, quasi latenter generat sempiternum. Apostolo dicente, quod enim in praesenti momentaneum est, & leue tribulationis nostrae supramodum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur nobis. Vera est autem nostra beatitudo, & corporis & animae nos immortalitate gloriantis summa & beatae trinitatis aeterna uisione satiari. Nam corporis quattuor non rursus qualitatibus constitutus, in interiore autem homine ex toto corde tota anima tota mente Deum diligere iubemur, & hoc est perfectae uitae denarium diuinae nos gloriae praesenti uisione laetari. Verum notandum iuxta hystoriam, quod apud antiquos dies Pentecostes, id est, quinquagesime, quod lex data erat ab occisione agni computabatur. Hic autem non a Domini passione, sed sicut beatus Augustinus, quo spiritus sanctus missus est computatur, qui redeuntes signi uectis exemplo, ipse sibi manifestissime diem Dominicum suo consecrauit aduentu. Quo etiam temporis articulo uerum Pascha die Dominico monstrauit esse celebrandum. Nam sicut hic sic & illic in ignis uisione Deus apparuit, dicente in Exodo; Totus autem mons Sinai fumabat eo quod descendisset Dominus super eum in igne.

**B** Et factus est repente de caelo sonus tanquam aduenientis, &c.) Per ignem quidem Dominus, ut beatus Papa Gregorius exponit apparuit, sed per semetipsum locutionem interiorius fecit, & neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc, quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interiorius gessit. Qui enim discipulos & zelo succensos, & uerbo eruditos intus reddidit, foris linguis igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, ut ignem & sonitum sentirent corpora. Igne uero inuisibili, & uoce sine sonitu docerentur corda.

Et apparuerunt illis dispersite, &c.) Spiritus enim sanctus in igne, & linguis apparuit, quia omnes, quos implicauerit ardentis pariter & loquentes facit. Ardentis utique ex se & loquentes de se. Simul & indicans, quia sancta Ecclesia per mundi terminos dilatata omnium gentium erat uoce locutura.

Seditque supra singulos eorum.) Quod sedisse dicitur, regiae est potestatis indicium, uel certe, quia requies indicatur in sanctis.

Et coeperunt loqui alijs linguis.) Unitatem linguarum quam superbia Babylo nis dispererat, humiliter Ecclesiae recolligit. Spiritualiter autem uarietas linguarum, dona uariarum significat gratiarum. Verum non in congrue spiritus sanctus intelligitur. Ideo primum linguarum donum dedisse hominibus, quibus humana sapientia forinsecus & discitur, & docetur ut ostenderet, quam facile possit sapientes facere per sapientiam Dei, quae eis interna est.

Erant autem in Hierusalem habitantes Iudaei uiri religiosi, &c.) Conueniens puto perquirere, quae nam isti sunt, & ex qua captiuitate Iudaei, quoniam quidem illa quae in Aegypto fuerat, uel in Babylonia absoluta iam fuerat. Romani autem nondum uenerant in captiuitatem, licet iam & ipsa immineret uelutrix commissa de saluatore piaculi. Super est igitur, ut illa intelligatur captiuitas, quae sub Antiocho facta est, quod utique non multis ante temporibus acciderat.

Quoniam audiebat unusquisque lingua sua eos loquentes.) Queritur in hoc loco, quod unusquisque audiebat linguis suis loquentes eos magnalia Dei. Verum hi qui loquebantur diuersis sermonibus, unus cuiusque linguae, hoc quae dicebat proferebant, id est, unusquisque eorum, nunc hac, nunc alia lingua loquens sic per omnes curreret. An in eo potius erat mirabile, quod sermo eorum qui loquebantur, qualiter lingua fuisset pronuntiatus, unicuique audienti secundum suam linguam

f 4 intelli

**C** intelligebatur, ut uerbi gratia, uno quoque Apostolo in Ecclesia loquente. Necessarium enim erat tacentibus reliquis unum loqui, & sermonem unum ad auditum omnium peruenire. Ipse sermo hanc in se uim haberet, ut cum diuersarum gentium auditores essent, unusquisque secundum linguam suam, illius ipsius unius sermonis, qui ab Apostolo fuerat pronuntiatus susciperet auditum, & caperet intellectum, nisi forte secundum hoc magis uidebat audiendum esse miraculum quod loquendum.

Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt, & quomodo nos audiuius, unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi & Medi & Elamitae, & qui habitant Mesopotamiam & Iudaeam & Cappadociam. Iudaeam hoc loco non totam gentem, sed partem illius, hoc est, tribum Iuda & Benjamin significat, ad distinctionem uidelicet Samaritanae, Galilaeae, decapoleos, & aliarum in eadem prouincia regionum. Quae licet omnes una lingua loquerentur Hebraea, domesticam tamen singulae dicendi speciem habuere distinctam. Vide & Petrus in Domini passio, quod Galilaeus sit loquela sua proditur.

Pontum & Asiam Phrygiam & Pamphylia, Aegyptum & partes Lybiae, quae est circa Cyrenen, & Aduentum Romani, Iudaei quoque, & profecti, &c.) Profectos, id est, aduenas nuncupabant eos, qui de gentibus originem ducentes, circumcisionem & Iudaismum eligere malebant. Sicut Achior in libro Iudith fecisse narratur. Non solum ergo inquit, qui natura sunt Iudaei, ex diuerso orbe conueperant, uerum & hi qui de preputio nati, eorum adhaerent iuri.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. XIII



**I** quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum uenietis, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris.

**H**aec locutus sum uobis apud uos manens. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quaecumque dixero uobis. Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non turbetur cor uestrum neque formidet. Audistis, quia dixi uobis, uado, & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi uobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis, iam non multa loquar uobiscum. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

**S**i quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum uenietis, & mansionem apud eum faciemus. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistola sua idem Ioannes dicit: Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Vere enim diligimus Deum, si mandata eius obseruamus, & nos à nostris uoluptatibus coartamus. Et pater meus diligit eum, quia opera quae pater facit, haec & similiter filius facit, & qui diligit filium, diligit & patrem, & qui diligitur à filio diligitur à patre.

**E**t ad eum uenietis & mansionem apud eum faciemus. Qui enim uere diligit Deum, nec tentationis tempore recedit ab amore Dei, ad hunc ueniunt pater & filius spiritali accessione, & mansionem apud eum habent. Ille enim uere amat, cuius uidelicet mentem delectatio praua ex consensu non superat. Nam tanto quisque à superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Dilectio sanctos discernit à mundo, qui facit habitare unanimes in domo, in qua domo facit pater & filius mansionem, qui donant & ipsam dilectionem. Quibus donant in fine, etiam suam manifestationem, de qua manifestatione discipulus interrogauit, & audiuit ad hanc manifestationem per dilectionem perueniendum esse.

Qui

**Q**ui non diligit me sermones meos non seruat. Hi sunt qui patrem & spiritum sanctum non uident, filium autem, non ut beneficentem, sed ut iudicentur admodum uident, nec ipsum in forma Dei, ubi est cum patre & spiritu sancto, pariter inuisibilis, sed in forma hominis, ubi esse mundum uoluit, patiendo contemptibilis, iudicando terribilis.

**E**t sermonem quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Quid est quod prius plurali numero sermones dixit, nunc autem singulari sermone, fortasse praedicationis ibi sermones monstraret, hic uero seipsum, qui est uerbum patris, & ideo dixit: non fuit, quia à se ipso non est, sed à patre. Sicut nec sua imago sed patris, nec suus filius, sed patris. Re igitur auctori tribuit, quicquid facit equalis, à quo habet hoc ipsum, quod illi est indifferenter equalis.

**H**aec locutus sum uobis apud uos manens. Illa mansio, de qua superius dixit, & spiritalis est, quae solis sanctis datur. Haec uero de qua nunc dicit, corporalis est, de sua praesentia corporali tantummodo dixit, quam utriusque & iusti & impij uidere poterunt. Illa in quantum beatificat liberatos, haec in tempore uisitat liberandos: Haec, inquit, locutus sum uobis apud uos manens, utique praesentia corporali una cum illis uisibilibus loquebatur.

**P**aracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, &c.) Multa dixit audientibus infidelibus, quae in eorum corde locum non inueniunt, quia spiritus sanctus intus eos non docebat. Multa dicit quotidie per sanctos praedicatores, quae audientes, interius non recipiunt, quia spiritus sanctus non suggerit eis interius, quae audierunt exterius, de qua recte promittitur: Ipse uos docebit omnia. Quia nisi idem spiritus corde adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo enim docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius inuacuum laborat. Aliter itaque praedicantem Christum audierunt Iudaei. Aliter Apostoli, illi ad iudicium, isti ad salutem, quia hos spiritus in animo docuit, quod foris audierunt in aure.

**P**acem relinquo uobis, pacem meam do uobis. In pace relinquo uos, in pace inueniam uos, hic relinquo, illic do, sequentibus relinquo, praegredientibus do. Pacem suam reliquit nobis in hoc seculo, pacem suam dabit nobis in futuro seculo. Pacem suam reliquit nobis, ut nos inuicem diligamus. Pacem suam dabit nobis, ubi nunquam inuicem dissentire possimus. Quid est quod dicit: Pacem meam do uobis, & non dixit: pacem meam relinquo uobis, fortassis quia aliter nunc, aliter tunc, pax erit. Hic uero bella cum uitij habemus, ideo non addidit, meam, illic uero in aeterna pace, aeterna erat tranquillitas & concordia & talis pax, qualem ille habuit cum semetipso, qui nullum habuit in seipso peccatum.

**N**on quomodo hic mundus dat, ego do uobis. Id est, non quomodo im mundi homines saepe sibi in sua malitia concordant, sed quomodo, qui sibi in sanctitate concordant, & in Christi se charitate coniungunt.

**N**on turbetur cor uestrum, neque formidet, audistis quia ego dixi uobis, uado & uenio ad uos. Hinc turbari & formidari poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamuis uenturus esset ad eos, ne forsitan gregem lupus hoc interuallo inuaderet, pastore absente, sed à quibus homines abcedebat, Deus non relinquebat, & idem ipse Christus & homo & Deus. Ergo ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Igitur Deus qui nullo continetur loco, discedit ab eorum cordibus qui eum relinquant, moribus non pedibus uenit ad illos qui conuertuntur ad eum, non facie, sed fide, & accedunt ad eum, non carne sed charitate.

**S**i diligeretis me, gauderetis utique, quia uado ad patrem, &c.) Per quod igitur filius non est equalis patri, per hoc iturus erat ad patrem, in quo uenturus est, uiuos iudicaturus et mortuos, per illud uero quod est equalis patri, nunquam recessit à patre, sed cum illo est ubique totus per diuinitatem quam nullus continet locus, agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, quae equalis est patri, humanam, quae maior est pater. Vtrumque autem simul non duo, sed unus Christus, nec sit quaternitas, sed trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis & caro, sic unus est Christus, Deus & homo. Ac per hoc Christus et Deus, anima rationalis & caro, Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus, Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus, Christus Iesus, sed in forma serui. Item de singulis quibus homo constat, quis non est derelictus in inferno, Christus.

C Christus Iesus, sed in anima sola. Quis est resurrecturus & triduo iacuit in sepulchro? Christus Iesus, sed in sola carne. Dicitur ergo & in his singulis Christus, uerum hæc omnia non duo uel tres, sed unus est Christus, ideo ergo dixit: Si diligereis me, gauderetis utiq; quia uado ad patrem. Quoniam naturæ humanæ gratulandū est, eo quod adsumpta sit a uerbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cælo, hoc enim modo seiturum dixit ad patrem. Non profecto ad illum ibat, qui cum illo erat, sed hoc erat ire ad illum, & recedere a nobis, mutare atq; immortale facere, quod mortale suscepit, ex nobis, & ad dexteram constituere patris, per quod fuit in terra pro nobis, deinde ipse Dominus Iesus subiunxit.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.)

Illud utiq; dicit, quod factum fuerit, quod eum post mortem uisuri erant uiuentem, & ad patrem ascendentem. Poterant enim dubitare si filius Dei esset, cum eum uiderunt moriturum, sed cum uiderunt eum resurrectisse credebant, in quo ante dubitabant, & confirmata est fides in cordibus eorum, quam illis prædixerat, qui & ore promisit, quid facturum erat & opere compleuit, quod ante prædixit, deinde quid dicit:

Iam non multa loquar uobiscum, uenit enim princeps mundi huius.)

Quis, nisi diabolus?

Et in me non habet quicquam.) Nullum scilicet omnino peccatum, hinc enim ostendit diabolus principem esse peccatorum hominum, non creaturarum Dei, & quotiescūque mundi fuga in mala significatione ponitur non ostendit, nisi mundi istius amatores & nō Dei. Absit enim, ut credamus principem esse cæli & terræ & creaturarum omnium quæ generaliter mundi appellantur. Totus itaq; mundus seruit suo creatori non deceptor: Redemptori. Non interemptori, & regitur dispensatione diuina, non inimici uersutia subuertitur præter homines partes illius, qui propria uoluntate non necessitate aliqua, se subiiciunt diabolo, unde & Apostolus ait: Non est nobis conuersatio aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus homines, sed aduersus potestates & rectores tenebrarum harum, id est, peccatorum, qui in tenebris manent iniquitatis quos rectores angelos esse desertores designat, sed sunt qui per gratiam Dei, non proprijs meritis inde eruntur, de quibus ait Apostolus: Fuisistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulare, sed gratia Deo qui eruit nos, sicut idem dicit Apostolus de potestate tenebrarum, & transfuit in regnū filij claritatis suæ, in quo princeps huius mundi, hoc est, tenebrarum harum non habebat quicquam, quia neque cum peccato Deus uenerat, nec eius carnem de peccati propagine uirgo pepererat, & tanquam ei diceretur. Cur ergo morieris, si nō habes peccatum cui debebatur mortis supplicium, continuo subiicit.

Sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater sic facio.) Discumbens enim discumbentibus loquebatur, eamus autem dixit, quo nisi ad illum locum, unde fuerat tradendus, est morti traditus, qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat ut moreretur mandatum patris.

## DOMINICA OCT. PENTECOSTES.

Lectio libri Apocalypsis B. Iohannis Apostoli.

Capite. IIII.



Idi ostium apertum in cælo, & uox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Ascende huc, & ostendam tibi, quæ oportet fieri cito. Post hæc statim fui in spiritu, Et ecce sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis uisōi Smaragdine, & in circuitu sedis sedilia uiginti quattuor, & supra thronos uiginti quattuor seniores, sedentes circū amicti stolis albis, & in capitibus eorū coronas aureas, Et de throno procedebāt fulgura,

A ra, & uoces et tonitrua, & septē lampades ardentes ante thronū, quæ sunt, se præ spiritus Dei. Et in cōspectu sedis, tanq; mare uitreū simile Cristallo, et in medio sedis, & i circuitu sedis, quattuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum simile leoni, & secundū animal simile uitulo, & tertium animal, habens faciem quasi hominis, & quartū animal simile aquilæ uolanti. Et quattuor animalia, singula eorum habebāt alas senas, & in circuitu, et itus plena sunt oculis, & requiē non habebāt die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotēs, qui erat, qui est, & qui uenturus est. Et dum darent illa quattuor animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum uiuenti in secula seculorum, procedebāt uiginti quattuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant uiuentem in secula seculorum.

Vidi ostium apertum in cælo.) Id est, sidem natiuitatis Christi, & passionis, & Beda, resurrectionis in Ecclesia. Ostium apertum, Christi natum & passum indicat, ipse enim ait: Ego sum ostiū, si quis per me introierit saluabitur. Et alibi: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Ioh. 10. Quod aut dicit in cælo, in Ecclesia significat, quæ cæli esse meruit, eo quod sic habitaculū Dei. Ioh. 6.

Et uox prima quam audiui, tanq; tubæ loquentis mecum.) Sicut enim uox tubæ, sic prædicatorum uox est, quando inuitat auditores ad fidem, Quod autem dixit: uox prima, subauditur in ista uisione.

Dicens: Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri cito.) Quod dicit: Ascende huc, non de loco significat ad locum, sed ascende, id est, intellige, & crede, infideles enim inuitat ad Christum Ecclesia, & ad baptismum. Omnis enim qui credit, Christum natum & passum, ascendit ad altitudinem Ecclesiæ, & uidet futura affectu spiritali, unde & sequitur.

B Post hæc fui in spiritu.) Id est, non sensu corpus meum, tanq; spiritus meus solus esset extra corpus in uisione spiritali.

Et ecce sedes posita erat in cælo.) Id est, Ecclesia perfecta in fide.

Et supra sedem sedens.) Id est, super Ecclesiam sedens erat Christus, unde & Basilius Bas. 6. ait: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, id est, super Ecclesiam in fide excelsa & in spe uitæ æternæ feliciter eleuatam.

Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis Iaspidis & Sardini, &c.)

Iaspis colorem habet quasi maris, Sardinus quasi sanguinis. Per Iaspidem baptismus intelligitur. Per Sardinum, martyrium. Iste comparationes conueniunt Ecclesiæ, qua indutus est Christus. Yris arcus est in cælo, qui significat Nouum Testamentum, habet enim tres colores, aquæ, sulphuris, & ignis. Per aquam, baptismus intelligitur, per sulphurem poenitentia, per ignem martyrium, nam & aqua uenit in diluuiō, sulphur descendit super sodomam, ignis uenit tempore iudicij. Aliter. Yris in circuitu sedis, Euangelium significat in circuitu Ecclesiæ, nam & Zmaragdus aquæ & ignis habet colorem, baptismum significans & martyrium.

Et in circuitu sedis sedilia uiginti & quattuor, & supra thronos uiginti quattuor seniores sedentes.) Viginti decalogum duplicatum, quattuor uero significat quattuor Euangelia. Siue uiginti quattuor seniores, duodecim patriarchas, & duodecim significant Apostolos.

Circumamictos uestimentis albis.) Hoc ē, opere castitatis. Vnde & Salomon Eccle. 9. ait: Omni tempore sint uestimenta tua candida, id est, caro tua ab omni pollutionis forde munda, & pudicitia castitatis ornata.

Et in capitibus eorum coronæ aureæ.) Id est, principalia mentis dona, sapientie uel immortalitatis palmæ.

Et de throno procedunt fulgura.) Id est, de Ecclesia multa & magna miracula. Et uoces

**C** Et uoces & tonitrua.) Id est, prædicatorum uoces, cum promissionibus & comminationibus.

Et septem lampades ardentes ante thronum.) Thronus Dei Ecclesia, quæ sint lampades ipse exposuit dicens: Qui sunt septem spiritus Dei, id est, septem dona spiritus sancti.

Et in conspectu sedis tanquæ mare uitreum simile Christallo.) Mare uitreum significabat baptismum, quod pro puritate simile dicitur Christallo.

Et in medio sedis, & in circuitu sedis quattuor animalia, plena oculis ante & retro.) Quattuor animalia, quattuor significat Euangelia, quæ oculis ante sunt plena, quia de futuro iudicio prædicant, retro sunt plena, quia de Veteri Testamento, testimonium donant, siue ante quia quæ agenda sunt discrete considerant, retro quia quæ plangenda sunt solleter recordantur.

Et animal primum simile leoni, &c.) Secundum anagoge autem, Christus Leo fuit in resurrectione, uirtulus in passione, homo in carne, aquila in ascensione. Secundum morem uero sensum, Leo qui fortissimus scribitur bestiarum, forciore significat in fide, uirtulus misericordes in Ecclesia, Homo, humiles qui dicit, humiliatus sum usque quæque uiuifica me Domine, Aquila, excelsos qui dicunt cum Paulo, nostra autem conuersatio in cælis est. Quæ animalia senas alas habebant, qui per sex mundi grates legem Veteris ac Noui Testamenti adnunciare non cessant, quæ cum sit Noui ac Veteris Testamenti, lex una, in sex uidetur esse diuisa, id est, in legem naturæ, legem literæ, legem Prophetarum, legem Euangeliorum, legem Apostolorum, & legem Ecclesiasticam.

Et in circuitu & intus plena sunt oculis.) Oculos intus & foras habent, qui Ecclesiam diuinam scripturarum testimonijs intus & foris illuminant.

Et requiem non habebant die ac nocte.) Id est, in prosperitate & in aduersitate, ut Psalmista ait: Benedicam Dominum in omni tempore, id est, in prosperis & in aduersis, nam dies pro prosperitate, & nox pro aduersitate frequenter solet intelligi.

Dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth &c.) Hic trinitas & unitas intelligitur, quia tres personas, & Deum unum prædicant, & trinitatis & unitatis sacramentum demonstrant.

Qui erat, & qui est, & qui uenturus est. Qui erat ut illud: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Qui est, ut illud, die filijs Israël, qui est, misit me ad uos. Qui uenturus est, sub auditur iudicare uiuos & mortuos.

Et cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, prociidunt uiginti quattuor seniores & adorabant uiuentem in secula seculorum, & mittunt coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere regnum.) Prociidunt ante sedem & adorant, & mittunt coronas suas ante Deum omnes electi, quia quicquid dignitatis habent, non sibi, sed illi tribuunt, & ei referunt gloriam laudis, à quo se cognoscunt uires accepisse certaminis.

#### ITEM BEDAE IN ISTA IPSA Lectio Expofitio.

Vidi ostium apertum in caelo.) Conuenienter ostium caeleste ascensus aspicit, cui celsa mysteria pandi promittuntur, uel quia ostium Christus est, qui illum crediderit, natum & passum, conscendit caelum, id est, Ecclesiae altitudinem & uidet futura speciali effectus sicut dicit.

Et statim fui in spiritu, & uox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis, &c.) Similem uox prioris uoce quæ dixerat, quod uides scribe in libro.

Et ecce sedes posita erat in caelo, & supra sedem sedens.) Ecclesiam in caelesti conuersatione positam Dominus habitat. Gregorius Papa, solium Dei in Visione Michee, angelicas potestates interpretatur, quarum mentibus altius præsidens, inferius cuncta disponit  
Et

**A** Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis.) Iaspidis color aquam, Sardis igne significat, quibus duobus iudicium nouum celebrari. Sicut enim inquit: In diebus Noe ita erit & aduentus filij hominis. *Matth. 24.*

Et Yris erat in circuitu sedis, similis uisioni Zmaragdino.) Yris quæ sit sole nubes in radiante, & post diluuium primo propiciationis indicio facta est intercessu sanctorum, quos Dominus illustrat, Ecclesiam muniri designat. Qui bene Zmaragdo lapidi uiriditatis nimiae comparatur. Quo enim hereditate immarcessibilem fide perfectiores expectant, eo potentius etiam ceteros orando protegunt. Quia hic de istis tribus lapidibus parua diximus, libet ut de istis pariter & alijs nobilibus lapidibus paululum latius disparemus, de quibus & Esaias ait: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphyris, & reliqua statim quasi exponens subiicit, uniuersos filios tuos à Domino doctos. *Esai. 54.*

Fundamentum primum Iaspis, Iaspidium multa sunt genera, alij enim uiridis coloris, & tinctus quasi floribus, apparet, alius Zmaragdini habet similitudinem, sed crassi coloris, quo omnia fantasmata fugare autumant. Alius niui & spumæ marinorum fluctu, quasi mixto cruoris obrutillans. Per Iaspidium ergo, fidei uiror immarcessibilis indicatur, quæ Dominicæ passionis sacramento per undam baptismatis imbuatur, atque ad omnes spiritalium gratiarum flores, proficientibus meritis instruitur. Hanc enim qui habuerit, uanos timores fugat, monente Petro Apostolo: Aduersarius uester diabolus tanquæ leo rugiens circueit, quærens quem deoret, cui resistite fortes in fide. *1. Pet. 4.*

Secundus Saphyrus, huius lapidis colorem, pariter & sacramentum Moses exposuit, cum Dei habitum describens, diceret: Sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphyri, & quasi caelum cum serenum est, Hiezechiel quoque dicit, quod locus in quo thronus Dei sit, Saphyri habeat similitudinem, & gloria Domini in hoc colore consistat, præfiguratur enim qui portat imaginem super caelestis, & cum Apostolo potest dicere: Nostra conuersatio in cælis est. *Exod. 28. Ezech. 11.*

Tertius Calcedonius, qui quasi ignis lucerne pallentis speciem retinet, & habet fulgorem sub diuo, non in domo, quo demonstrantur hij, qui caelesti desiderio subnixi, hominibus tunc laudent, & quasi in abscondito ieiunium, elemosinam, precesque suas agunt, sed cum uel doctrinæ, uel alijs sanctorum uisibus inferuntur, ad publicum procedere iubentur, mox quasi fulgoris lucerna lucent & ardent, ardent uidelicet amore, lucent sermone.

**B** Quartus Zmaragdus, qui nimiae uiriditatis est, adeo, ut herbas uiuentes frondesque gemmas, etiam omni inficiens circa se uiriditate, repercussum aërem, cuius genera plurima sunt, sed nobiliores Scithici, secundum locum tenent Baetiani, tertium Aegyptici, significat autem animas, fide semper uiuentes, quæ hereditatem immarcessibilem, & æternam cõseruatam in cælis, & mente concipere sperando, & in proximos fatagunt spargere prædicando. *1. Pet. 5.*

Quintus Sardonix, hic ex Onice candorem, ex Sardo ruborem trahens, ab utroque Sardonici nomen accepit, sunt autem genera eius plurima. Alius enim, terræ rubræ similitudinem tenet, Alius quasi per humanum unguem sanguis eniteat, bicolor apparet. Alius tribus coloribus, subterius nigro, superius minco, medio candido consistit, cui comparantur homines corporis passione rubicundi, spiritus puritate candidi, sed sibimet humilitate despecti.

Sextus Sardiis, qui ex integro sanguine coloris est, martyrii gloriam significat, de qua dicitur: Præciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Merito sexto loco positus, cum Dominus noster & sexta ætate seculi incarnatus, & sexta feria sit pro totius mundi salute crucifixus.

Septimus Chrysolitus, qui quasi aurum fulget, scintillas habens ardentes, cuius specie figurantur hij, qui intellectu supernæ ueræque sapientie fulgentes, uerba exhortationis in proximos uel etiam uirtutum signa quasi scintillas ignis effundunt, quorum, ut orator ait: Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor, quod quia solo spiritalis gratiæ munere geritur, decentissime septimo fundamento Chrysolitus inest, septiformi enim sepe numero, solet spiritus sancti gratia figurari. Octauus, Beryllus, Beryllus est, quasi cõsideres aqua solis fulgore percussa, rubicundum ac decorum reddere colore, sed non fulget nisi in sexangulâ formâ poliendo figuret. Repercussione enim angulorum, splendor illius acuit, significat autem homines ingenio quidem sagaces, sed amplius supernæ gratiæ lumine resurgentes, quodque tenentes manu adurere dicit, proculdubio patet, quia quisque sancto uiro cõiungit, eius nimirum bonæ conuersationis igne recreatur.

Nonus Topazius, Topazius lapis, quantum in uentione rarus, tantum mercium quantitate preciosus est, qui duos habere fertur colores, unum auri purissimi, & alterum etherea claritate relucens. Hic regibus ipsi serere esse mirabilis, ut inter diuitias suas nihil se simile possidere cognoscant.

**C** scant, Cuius pulcherrima naturæ qualitas, cōtemplatiuæ uitæ decori dignissima comparatur. Hanc enim reges sancti, quorum cor est in manu Dei, cunctis bonorum operi diuinitis, uniuersisq; uirtutibus gemmis merito præferunt, tanto ardentius cœlestis uitæ dulcedinē animo complectentes, quanto frequentius supernæ gratiæ fuerint splendore percussi. Habent ergo sancti uiri aureum colorem, & intera flamma charitatis habent æthereum, ex superne cōtemplatione dulcedinis. Quod uero in Insula Thebaida, quæ Topazion appellatur, unde ipse nomen accepit, inueniri dicitur, dupliciter intelligendum est, quia & illæ præcipue, id est, Aegyptiorum regiones, monachorum gregibus abundet, & quicunq; soli iustitiæ uicinus habitauerit, ætheri nimirum luminis fulgore coloratur. Et pulchre in octauo ordine, actiuæ uitæ perfectio, sic in nono speculatiuæ suauitatis gemma ponitur, siue quia nouem ordines angelorum quorum uitam immitatur, in scriptura sancta repperiantur.

Decimus Chrysostratus, Chrysostratus est uiridis aureæq; commixtura, quidam etiam purpureum iubar trahens, aureis interuenientibus guttis. Nascitur autē in India, qui significat eos qui uiriditatem æternæ patriæ, perfectæ charitatis fulgore promerentes, eam etiam ceteris purpurea martyrii sui luce patefaciunt, qui quoniam in eo quod uitam despicunt, æternam gloriam præferunt, Domini in carne apparentis exempla sequuntur, iam uel ut in India, id est, prope solis ortum, meritorum suorum fulgorem ostendunt.

Vndecimus Hyacinthus. Hyacinthus in Aethyopia repperit, ceruleum colorem habens, optimus, qui nec rarus est, nec densitate obtusus, sed ex utroq; temperamento lucet, purificatio, & suauiter florem trahit. Hic autē non rutilat æqualiter, facie cœli mutatur. Sereno enim perspicuus atq; gratus est, nubilo, coram oculis euanescit atq; marcescit, indicat enim animas cœlesti semper intentioni deditas, atq; angelicæ quodammodo quantum mortalibus fas est, conuersatione propinquantes, quibus omni custodia discretionis conuersatio percipitur, ne uel nimia sensus subtilitate callens, altiora se querere, & fortiora se scrutari audeat. Gloria enim Domini celare uerbum, id est, caute de Deo uel homine Christo Philosophari, uel rursum desidia torpente, ad infirma fidei initia, atq; elementa exordij sermonum Dei relabuntur, qui potius uia regia gradientes, a dextris & a sinistris per arma iustitiæ tutati procedunt, quasi Hyacinthus nubilo circum datus loquitur. Nihil enim iudicauit me scire inter uos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum, & quasi in serena luce uisus, ait: Sapientiam loquimur inter perfectos.

**D**uodecimus Amethystus. Amethystus purpureus est, permixto uiolato colore, & quasi roseo nitore, quodam leniter flammulas fundens, sed & quidā in purpura illius non ex toto igneo sed quasi uinum rubens apparens. Purpureus ergo decor cœlestis regni habitum, roseus uero, atq; uiolaceus, humilem sanctorum, uere auidam præciosamq; mortem designat. In Iaspide ergo, fidei uiriditas, in Saphyro, spei cœlestis altitudo, in Calcedonio, flamma charitatis interne figuratur. In Zmaragdo autem, eiusdem fidei fortis inter aduersa cōfessio. In Sardonio, sanctorum inter uirtutes humilitas. In Sardo, reuendus martyrum cruor exprimitur. In Chrysolite, uox spiritualis inter miracula prædicatio. In Berylo prædicantium perfecta operatio. In Topazion, eorundem ardens contemplatio monstratur. Porro in Chrysostrato, beatorum martyrum opus pariter & premium. In Hyacintho, doctorum cœlestis ad alta subleuatio, & propter in firmos humilis ad humana descensio. In Amethysto, cœlestis semper regni in humilium animo memoria designatur, singulisq; lapides præciosi singulis sunt fundamentis deputati, qui licet omnes perfecti, quibus ciuitas Dei nostri in monte sancto eius ornatur atq; fundat, spiritualis gratiæ sint luce fulgentes. Alij tamen per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij gratiæ sanitatum, alij genera linguarum, alij fides in eodem spiritu &c.

Et in circuitu sedis sedilia uiginti quattuor, & super thronos uiginti quattuor seniores sedentes.) Ecclesiam namq; propter societatem fidei in una sede uiderat, eandem per geminum testamentum de Patriarchis & Apostolis generatam, in uiginti & quattuor sedilibus cernit. Sedentem autem, propter iudiciariam eius in Christo dignitatem, sedebunt autem & iudicabunt uniuersa membra, sed in uno & per unum caput. Nam quomodo poterit sancti in iudicio sedere, stantes ad dextram iudicis, possunt etiam uiginti quattuor seniores in illis intelligi, qui perfectionem operis, quæ senario numero cōmendatur, clara Euangelij prædicatione consumant, nam quater seni, uiginti quattuor faciunt.

Circumamicti uestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.)

Hoc est, bonis operibus indutos, perenni mentis memoria, gaudia superna quærentes, sæpe enim mens capitis nomine, solet intelligi.

Et de throno

**A** Et de throno procedunt fulgura & uoces & thronitrua.) Hoc est, quod Marcus ait: Illi autem profecti prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Et septem lampades ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.) Vnum spiritum dicit septiformem, unus est enim spiritus, septiformitas enim, perfectio est & plenitudo. Commemorato uero spiritu sancto, conuenienter unda baptismi sequitur, quia idem spiritus recipi creditur.

Et in conspectu sedis tanq; mare uitreum, simile Christallo.) Propter fidem ueram baptismi referat ad intra, in quo non aliud uidetur exterius, quam quod gestat interius. Christallo quoq; quod de aqua in glaciem & lapidem preciosum efficitur, baptismi gratia figurat.

Et in medio sedis, & in circuitu sedis, quattuor animalia, plena oculis, ante & retro.) Circuitus throni Dei, id est Ecclesiæ patres, lumen Euangelij, præteritorum futurorumq; scientia replet.

Et animal primum simile leoni, &c.) Hæc animalia multifarij interpretantur, Beatus autem Augustinus, iuxta ordinem libri istius, Mattheum leonem dicit intelligi, qui regniæ dignitatis in Christo profapiam narrat, qui & uicit leo, de tribu Iuda. Catulus enim leonis Iuda, & in quo ut rex a regemetur. A Magis adoratur, ubi etiam rex cum seruis rationem ponit. Rex nuptias filio facit, & ad ultimum rex segregat oues ab hedis. Lucam in uitulo, qui hostia magna fuit, in lege enim eius non solum principia circa templum & sacrificia diuersantur, sed ita concluditur: Erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Facies uero hominis, Marcum significat, qui nihil de regali, uel sacerdotali Domini potentia locutus, tantum hominis Christi gesta simpliciter narrat. Aquila autem, Ioannes est, qui natiuitatem uerbi, uel ut ortum solis perspicaciter aspectat. Animalia autem nunc Euangelistas, nunc totam Ecclesiam significant, cuius fortitudo in leone, uictimatio in uitulo, humilitas in homine, sublimitas in aquila uolante monstratur.

Singula eorum habebat alas senas. Perfectione suæ doctrinæ, Ecclesiam ad alta subleuant, Senarius enim numerus ideo perfectus dicitur, quia primis suis partibus implet, unū quippe quod est, sexta senarij pars, & duo, quod est, tertia, & tria quod est dimidiū, eundem senarium faciunt. Aliter alæ sene, quattuor animalium quæ sunt uiginti & quattuor, totidē ueris Testamenti libros insinuant, quibus Euangelistarū & sulcitur autoritas, & ueritas probat.

Et in circuitu & intus plena sunt oculis.) Sancta Ecclesia, & coram Deo, & coram hominibus se uigilanter adtendit, cuius interiores oculos aspexerat Psalmista, cū diceret: Omnis gloria eius filij regis ab intus. Exteriores uero, cum continuo subdit: In limbreis aureis, circumamicta ueritate. Aliter, siue litteram adtendas, siue Allegoriam quæras, lucem semper in Euangelio reperis. Alia translatio sic habet: Plena oculis ante se & retro, quia lux Euangelij, & ænigmata legis irradiat, & nouæ gratiæ mundo fulgur infundit.

Et requiem nō habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, &c.) Sancta animalia, cuncta tempora seculi unam dominationem Deitatis, omnipotentiam & æternitatem sanctæ Trinitatis adfirmant, manente intellectualis creaturæ perpetua in cœlestibus laude.

Procidit uiginti quattuor seniores ante sedentē in throno, & adorabunt uidentem in secula seculorum.) Animalibus personantibus laudem, id est, Euangelistis prædicantibus Christi dispensationem, omnis Ecclesia quæ in Prepositis cōstat & populis, hoc enim geminato, duodenarius numerus significatur, statim cadens in faciem, adorat uiuentem in secula seculorum, & mirebant coronas suas ante thronū Dei, uidelicet, adsignantes quicquid uirtutis, quicquid habebat dignitatis, quippe, qui ex nihilo cuncta creauerat.

#### EVANGELIUM IOANNIS. CAP. III.



Rat homo ex Phariseis Nicodemus nomine, princeps Iudeorū Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo uenisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi Deus

si Deus



**C** si Deus fuerit cū eo. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit denuo, nō potest uidere regnū Dei. Dicit ad eum: Nisi codemus; Quomodo potest homo renasci cum sit senex? Nunquid potest in uentrē matris suę iterū introire & nasci? Respondit Iesus: Amen amē dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō potest intrare in trare in regnū Dei. Quod natū est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Nō mireris quia dixi tibi: Oportet uos renasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocē eius audis, sed nescis unde ueniat, aut quo uadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras? Amen amē dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrū non accepistis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixerō uobis cœlestia credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat uitam æternam.

**E**rat homo ex Phariseis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic uenit ad Iesum nocte. Præcipuus scilicet Iudæorum, uenit ad Iesum nocte, cupiens secreta eius adlocutione, plenius discere mysteria fidei, cuius aperta ostensione signorum, aliquatinus iam rudimenta perceperat, qui quoniam prudenter ea quæ ab illo querebat, inuestigare Rabbi, scimus, quia à Deo uenisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. A Deo enim Iesum ad magisterium cœlestis, mundo adhibendo, uenisse confessus est, Deum cum eo fuisse miraculis prudentius intellexit, necdum tamen ipsum Deum cognouit esse, sed quia quem magistrū nouerat, ueritatis studiose docendus, adijt merito, & agnitionem diuinitatis eius perfecte doctus subijt, merito utriusque natiuitatis eius, diuinæ scilicet & humanæ, sed & passionis atque ascensionis ipsius archana percepit. Nec non etiam modum secundæ generationis, ingressum regni cœlestis, aliqua per plura doctrinæ Euangelicæ sacramenta, Domino reuelante didicit.

**R**espondit Iesus & dixit: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, nō potest uidere regnū Dei. Quę sententia tanto apertius cunctis fidelibus lucet, quanto constat, quia sine huius luce fideles esse nequeunt, quis enim sine lauacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum ualeat intrare cœlorum? Sed Nicodemus qui nocte uenit ad Iesum, necdum lucis mysteria capere nouerat, nam & nox in qua uenit, ipsa eius qua premebatur ignorantiam designat, necdum enim eorum numero sociatus erat, quibus ait Apostolus: Fuiſtis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino. Sed inter eos potius remanebat. Quibus dicit Eſayas: Surge illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.

Dicit ad eū Nicodemus, quomodo potest homo nasci cū sit senex, &c.)

Quia enim secundę natiuitatis adhuc nescius, perseuerabat, de salute autē sua iam sollicitus extiterat. Necessario de una, quam nouerat natiuitate an posset iterari, uel quo ordine regeneratio possit impleri, querebat, ne huius expers remanendo, uitæ cœlestis particeps esse nequiret. Notandū autē, quia de carnali quod dixit, hoc etiā de spiritali est regenerationis sciendū. Nequa quę uidet eam, postquam semel expleta fuerit, posse repeti. Siue enim hæreticus, siue scismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctę trinitatis baptizaret non ualeret ille, qui ita baptizatus est, à bonis catholicis rebaptizari, ne confessio uel inuocatio tanti nominis uideatur ad nullari. Et quia Nicodemus ad primā Domini responsionē sollicitus, quomodo sit intelligenda diligenter

**A** diligenter inquirat. Meretur iam planius instrui, & quia secunda natiuitas, non carnalis est, sed spiritalis audire.

Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum Dei. Cuius natiuitatis modum subsequenter exponens prorsus à carnali distinguens ait:

Quod natum est de carne, caro est, quod natū est de spiritu, spiritus est. Natura spiritus inuisibilis, carnis est uisibilis, atque ideo carnalis generatio uisibiliter administratur. Visibilibus incrementis, qui in carne nascitur per ætatum momenta agitatur. Spiritus autem generatio, tota inuisibiliter agitatur. Nam uidetur quidem, qui baptizatur in fontem descendere, uidetur aquis immergi, uidetur de aquis ascendere. Quid autem in illo lauacro regenerationis egerit, minime potest uideri, sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit. Filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit, Filius præuagationis descendit, sed filius reconciliationis ascendit. Filius iræ descendit, sed filius misericordiæ ascendit. Filius Diaboli descendit, sed filius Dei ascendit. Sola hæc Ecclesia mater, quæ generat nouit, cæterum oculis insipientium uidetur talis exire de fonte, qualis intrauit. Totumque ludus esse quod agitatur, unde in fine uidentes, gloriam sanctorum, dicent gementes in tormentis. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem in properijs, quomodo ergo computati sunt inter filios Dei? Ait Ioannes Apostolus: Charissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, quod ergo natum est, ex spiritu spiritus est. Quia qui ex aqua & spiritu regeneratur inuuisibiliter in nouum mutatur hominē & de carnali efficitur spiritalis, qui ideo recte nō solum spiritalis, sed etiā spiritus uocatur, quia sicut substantia spiritus, inuisibilis est nostris aspectibus, ita is qui per gratiam Dei renouatur inuisibiliter fit spiritalis, & Dei filius, cum uisibiliter omnibus caro & filius hominis appareat.

**B** Non mireris, quia dixi tibi oportet uos nasci denuo, &c.) Spiritus ubi uult spirat, quia ipse habet in potestate, cuius cor gratiæ suæ uisitationis illustrat. Et uocē eius audis, cum te præsentē loquitur, is qui spiritu sancto repletur, sed non scis, unde ueniat, & quo uadat, quia etiam te præsentē, si quempiam spiritus ad horam impleuerit. Non potest uidere quomodo intrauerit, uel quomodo redierit, qui natura est inuisibilis, sic est, omnis qui natus est ex spiritu, & ipse enim inuisibiliter agente spiritu, incipit esse, quod non erat. Ita ut infidelis nesciat unde ueniat, & quo uadat, id est, quia à gratiā regenerationis uenit in adoptionem filiorum Dei, & uadit in perceptionem regni cœlestis, quæ erante adhuc Nicodemo, quomodo possent hæc fieri.

Respondit Iesus & dixit ei: Tu es Magister in Israel, &c.) Non quasi illustrare uolens eum, qui Magister uocetur, cum sit ignarus, sacramentorum cœlestium, sed ad humilitatis illum uitam prouocans, sine qua ianua cœlestis non potest inueniri.

Amen amen dico tibi, quia quæ scimus loquimur, & quod uidimus, &c.) Terrena illis dixit, ut in superiore lectione inuenimus eū de passione, ac de resurrectione sui corporis, quod de terra assumpserat loqueretur, dicens: Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud. Non tamen credebant uerbo quod dixit, sed ne hoc quidem intelligere ualebant, quia non de alio, quam de templo corporis sui diceret. Qui ergo terrena audientes, non captabant, quanto minus cœlestia, id est, diuinę generationis, capienda mysteria sufficiunt, addit autem adhuc Dominus, & cœlestibus sacramentis, & de terrenis instruere eum, quem uidet sapienter ac diligenter his quæ audit intendere, cœlestis namque est, ascensio eius ad uitam sempiternā. Terrena uero exaltatio eius ad mortem temporalem. Dicit ergo de cœlestibus.

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, &c.) Merito autem quæritur, quomodo dicatur filius hominis, uel descendisse de cœlo, uel eo tempore, quo hæc in terra loquebantur, iam fuisse in cœlo. Non ergo caro Christi descendit de cœlo, neque ante tempus ascensionis erat in cœlo, sed quia una Christi persona est in duabus existens naturis, atque ideo filius hominis recte dicitur, & descendisse de cœlo, & ante passionem fuisse in cœlo, quia quod in sua natura habere non potuit, hoc in filio Dei à quo assumpsit est habuit. Sed & hoc quærendum, quomodo dictum sit, & nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, cū omnes electi se ueraciter confidunt ascensuros in cœlum promittente sibi Domino, quia ubi ego sum, illic & minister meus erit. Cuius tamen nō dum quæstionis aper-

1. Cor. 6.

**C**onfirmatio soluit, quia uidelicet Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus electorum omnium caput est, idemque omnes electi eiusdem capituli membra sunt, Dicente Apostolo: Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, & rursus. Vos enim estis corpus Christi & membra de membro. Nemo ascendit in caelum, nisi Christus in corpore suo, quod est Ecclesia, qui in seipso quidem primum cernentibus Apostolis eminentioribus, nimirum membris suis ascendit, & exinde in membris suis cotidie ascendens, se colligit in caelum, quisquis in caelum ascendere desiderat, ei qui de caelo descendit, & est in caelo se uera fides, & dilectionis unitate coniungat, aperte intelligens, quia nullo alio ordine, nisi per eum, qui descendit de caelo, potest ascendere in caelum. Vnde alias ipse dicit: Nemo uenit ad patrem, nisi per me.

Num. 21.

Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Mira magisterij celestis arte Dominus magister legis Moisaice, ad spiritualē Legem eiusdem sensum inducit, recordans hystoriae ueteris, & hanc in figurā suę passionis, atque humanę saluationis factam edisserens. Narrat quippe liber Numerorum, quia peresus in heremo populus Israel molesta itineris longi, ac laboris, murmurauit contra Dominum & Moysen, Ideoque Dominus miserit in illum ignitos serpentes, ad quoru[m] plagas, & mortes plurimum, cum clamarent ad Moysen, & ille oraret, iussit eum Dominus facere serpentem æneum & ponere pro signo. Qui percussus, inquit, aspexerit eum uiuet, & ita factum est. Plagæ igitur serpentium ignitorum, uenena sunt & incentiua uitiorum, quæ animam quam tangunt, spirituali morte perimunt, & bene murmurans contra Dominum populus, serpentium moribus sternebatur, ut ex ordine flagelli exterioris agnosceret, quantum intus perniciem murmurando pateretur. Exaltatio autem serpentis Aenei quæ dum percussus aspiceret sanabantur, passio est nostri redemptoris in cruce, in cuius solum fide regnum mortis & peccati superatur. Recte etenim per serpentes peccata, quæ animam simul & corpus ad interitum trahunt exprimuntur. Non solum quia igniti, quia uirulenti, quia ad perimendum sunt, uerum etiam quia per serpentem primi patres nostri ad peccandum persuasi ac de immortalibus, sunt peccando mortales effecti. Recte per serpentem Aeneum Dominus ostendit, qui uenit in similitudine carnis peccati, quia sicut Aeneus serpens effigiem quidem ignitis serpentibus similem, sed nullum prolium in suis membris habuit odorem ueneni, percussus à serpentibus sui exaltatione sanabat, sic nimirum, redemptor humani generis, non carnem peccati, sed similitudinem induit carnis peccati, in qua mortem crucis patiendæ, credentes in se ab omni peccato, & ab ipsa etiam morte liberaret.

Ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat uitam æternam. Cuius qui dem uerbi patet sensus, quia qui credit in Iesum, non solum perditionem euadit peccatorum, sed & uitam percipit æternam, & in hoc inter figuram distat, & ueritatem, quia per illam uitam protelabatur temporalis, per hanc uita donatur sine fine mansura. Sed curandum solerter est, ut quod intellectus bene sentit, operatio condigna proficiat, quatenus cõfessio recte nostræ fidei, pietatis & sobrietatis conuersando ad perfectionem promissæ nobis uitæ mereatur adtingere. Verum quia hæc de filio hominis dicuntur, qui exaltari in cruce & mortem potuit pati, ne putaret Nicodemus filium tantum esse hominis esse, à quo uita esset expectanda perpetua, curauit ei etiam Dominus diuinitatis suę patefacere sacramentum, unumque & eundem filium Dei, & hominis mundi ostendere saluatorem.

## HEBDOMADA II. POST PENTECOSTES.

Lectio Epistolę beati Ioannis Apostoli. Cap. III.

**D**eus charitas est, in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, sic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus, & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem

112

**A** saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus & credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciã habeamus in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor penam habet. Qui autem timet non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem non uidet quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.

**D**eus charitas est, in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum, misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum.

Quomodo ipse Dominus ait: Maiorem hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, & ibi probata est dilectio Christi in nos, quia moritur pro nobis. Dilectio patris unde probata est in nobis? quia filium suum unicum misit mori pro nobis, sicut & Paulus Apostolus dicit, qui propter filio suo non peperit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.

Et in hoc est Charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam, &c. Non illum dileximus prius, nam ad hoc nos dilexit, ut diligamus eum, Gratia quippe hominem preuenit ut diligit Deum, qui dilectione operetur bona, unquam Palmista. Deus meus, inquit, misericordia eius preueniet me.

**B** Et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hoc est maximum in nos diuine charitatis indicium, quia necdum ipsi pro peccatis nostris eum petere noscimus, misit ille filium suum ad nos, qui nobis in se credentibus, ultro ueniam daret, nosque ad paternam glorię societatem uocaret. In quibusdam codicibus hic uersiculus ita legitur. Et misit filium suum litatorem pro peccatis nostris. Litator autem, sacrificator est. Sacrificauit enim filius Dei pro peccatis nostris, non hostias pecudum, sed se ipsum offerendo. Vnde bene Paulus admonens ait: Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, cui sententię concinit hoc quod hic quoque Ioannes exhortando subiungit, dicens.

Charissimi, sic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere.

Quod autem sequitur: Deum nemo uidit unquam. Maiore disputatione indiget, cum Dominus & hominibus mundo corde Deum uidentem promittat, & de sanctis dicat, quod angeli eorum in caelis semper uident faciem patris. Hanc autem sententiã, & in Euangelio suo ponit idem Ioannes, ubi etiam quomodo Deus uideri possit consequenter adiungit, dicens: Unigenitus filius qui est in sinu patris ipse narrabit. Quod beatus pater Ambrosius, ita exposuit, & ideo Deum nemo uidit unquam, quia eam quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo conspexit nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim, ad utrumque referendum est. Denique cum additur. Unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrabit mentium magis quam oculorum uisio declaratur. Species enim uidetur, uirtus uero narratur, illa oculis, hæc mente comprehenditur. Item beatus Augustinus in libro de Videndo Deo, de eadem disputans questione. Proinde, inquit, narrante unigenito qui est in sinu patris, narratione ineffabili, creatura rationalis munda & sancta impleta Deum uisione ineffabili, quam tunc consequemur, cum æquales facti fuerimus, quia sicut uidentur ista uisibilia corporis sensibus nota, Deum nemo uidit unquam, quoniam si aliquando eo modo uisus est, non sicut ista natura uidetur, sed uoluntate uisus est, specie qua uoluit apprensus, latente natura atque in se in commutabiliter permanente. Eo autem modo quo uidetur sicut est, nunc fortasse uidetur à quibusdam angelis suis sanctis. A nobis autem, tunc ita uidebitur, cum ei facti fuerimus æquales. Et post aliquanta exponens sententiã sancti Ambrosii. Deum enim, inquit, nemo uidit unquam, uel in hac uita, sicut ipse est, uel etiam in angelorum uita, sicut

4 uisibilia

C uisibilia ista quæ corporali uisione cernuntur, quia unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse narrabit, quia non ad oculorum corporalium, sed ad mentium uisionem dictum est pertinere quod narrabit, item post multa, ad eam uero uisionem, inquit, quia uidebimus Deum sicuti est mundanda corda cõmonuit, quia enim corporali consuetudine loquendi uisibilia nominantur, propter ea Deus inuisibilis dicitur, nec corpus esse credatur. Nõ qui corda munda sue substantiæ contemplatione fraudabit. Cum hæc magna & summa merces Deum colentibus, & diligentibus promittatur. Dicente ipso Domino, quando corporalibus oculis uisibiliter apparebas, & inuisibilem se contuendum mundis cordibus promittebat, qui diligit me, diligitur à patre meo, & diligam eum & ostendam me ipsum illi, hæc quippe natura eius æqualiter cum patre inuisibilis sicut equaliter incorruptibilis est, quia continuatim Apostolus posuit dicens: Regi autem seculorum inuisibili, incorruptibili, diuinam substantiam, qua potuit hominibus prædicatione cõmendans. Deus ergo Rex inuisibilis, neq; oculis, sed mente quaerendus est, sed quemadmodum si solem istum uidere uellemus oculum corporis purgaremus, unde uideri lux potest, uolentes uidere Deum, oculum cordis quo Deus uideri potest, purgemus: Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Verum quia hæc uisio in futuro speratur, quid agendum est nobis, dum adhuc constituti in corpore peregrinamur à Domino, quo solatio uendum, ubi diuina uisione, necdum perlicet frui.

Math. 5.

Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet.) Sed nemo putet hæc dilectionem in qua Deus manet, abiecta & desidiosa quadam mansuetudine, immo nõ mansuetudine, sed remissione & negligentia referuari, non est ista charitas, sed languor, serueat charitas ad corrigendum, ad emendandum se, si boni mores delectant, si mali emendentur, corrigantur. Si ergo diligamus inuicem sincera & disciplinabili charitate, Deus in nobis manet, operibus quidem ipsius charitatis manifestatus, quamuis nondum uisibiliter apprens.

Et charitas eius in nobis perfecta est.) Quærendum autem, quomodo dicat perfectione diuinæ charitatis in mutua dilectione consistere, cum Dominus in Euangelio pronunciet, non esse magnum, si diligamus eos, qui nos diligunt, nisi ad inimicos etiam de quibus hic penitus tacere uidetur, eadem dilectio pertingat, nisi forte ipsos inimicos fraterni amoris intuitu diligere debemus, uidelicet ut non semper inimici remaneant, sed respiciant à diaboli laqueis nobisq; Germano foedere locentur: Si diligamus, inquit, inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. Incipe diligere, perliceris, cœpisti diligere, cœpit in te Deus habitare, ut perfectus habitando faciat te perfectum.

In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, &c.)

Rom. 5.

Hoc ipsum, quod de spiritu suo dedit tibi unde cognoscis, interroga uiscera tua, si plena sunt charitate habes spiritum Dei, Paulo teste qui ait: Quia charitas Dei diffusa est, in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, & nos uidimus, & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Nemo de salute desperet, quia & si magni sunt morbi scelerum, qui deprimunt, omnipotens est medicus qui saluet, tantum meminere quisq; quod idem filius Dei, qui uenit mitis ut saluaret, uenturus est districtus, ut iudicet.

Quicumq; cõfessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo.) Perfectam cordis confessionem dicit, quod nec male suadentium hæreticorum possit fraude corrumpi nec persequentium paganorum tormentis conuulsari, nec carnalium fratrum exemplis, nec propriæ fragilitatis segnitia titubare. Sunt & enim, qui etiam uerbis negant esse Iesum filium Dei, quales multi fuisse produntur eo ipso tempore, quo hæc scribat Ioannes, sunt item qui cõsistentur uerbis & factis negant, unde bene, qui nunc ait: Quicumq; cõfessus fuerit, quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo, ipse paulo superius dicit: Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, insinuans profecto quia quisq; dilectionem in fratres habet, ille Iesum Dei esse filium testatur.

Ioan. 3.

Et cognouimus & credimus ueritati, quam habet Deus in nobis.)

Cognouimus quia Iesus est filius Dei, & quia pater misit eum saluatorem mundi, & credimus charitati, quam habet Deus in nobis, quia uidelicet cum haberet unicum, noluit illum esse unum, sed ut fratres haberet adoptauit illi, qui cum illo possiderent uitam æternam.

Dei charitas est.) Iam superius dixit illud, ecce iterum dicit, amplius tibi non potui commendari charitas, quam ut diceretur Deus, forte munus Dei contempturus eras, nunquid, & Deum contemnis?

Et

Et qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.) Vicissim in se habitant qui continent, & qui continentur, habitas in Deo, sed ut continearis, habitas in te Deus, sed ut cõtineat, ne cadas, quia sic Apostolus de ipsa charitate dicit: Charitas nunq; cadit, quomodo cadit quem continet Deus?

1. Cor. 13.

Et in hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus, &c.)

Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die iudicij? non timere, ne ueniat dies iudicij, cõ enim primo quis ad penitendum se, de malis actibus conuerterit, incipit timere diem iudicij, ne uidelicet apparente iusto iudice, ipse damnetur, processu uero bonæ conuersationis animatus discet, non timere quod timebat, sed potius optare, ut ueniat ille desideratus cunctis gentibus, sperans se cum sanctis merito bonæ actionis esse coronandũ. Vnde autem fiduciam in die iudicij habere possumus, plenius subdõdo manifestat.

Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.) Nunquid uero potest homo esse sicut Deus: sed & meminisse oportet, quod & supra dictum est, quia non semper ad equalitatem dicitur, sed sicut dicitur, ad quandam similitudinem, quomodo enim dicit: Sicut aures habeo ita habet & imago, nunquid omnino sic? sed tamen dicitur sicut. Sicut ergo facti sumus ad imaginem Dei, quare non sicut Deus sumus, non ad æqualitatem, sed pro modo nostro. Inde ergo nobis datur fiducia in die iudicij, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo, imitando uidelicet perfectionem dilectionis in mundo, cuius ille exemplum nobis quoti die prebet de cœlo. De qua saluator in Euangelio: Diligite, inquit inimicos uestros, & orate pro persecutibus uos, ut sitis filij patris uestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit, super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Math. 5.

Timor non est in charitate.) In tali uidelicet charitate, quæ ad imitationem diuinæ bonitatis, etiam inimicis benefacere, & hos diligere nouit.

Sed perfecta charitas foras mittit timorem.) Illum scilicet timorem, de quo dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Quo timet quisq; incipiens opera iustitiæ, ne ueniat iustitiæ districtus iudex, & si minus castigat inueniens, damnat. Illa charitas pellit foras, quæ pro merito iustitiæ, fiduciam habet in die iudicij, sed & presentium aduersitatum, timorem perfecta charitas eicit ex animo, quam habere querebat, quid non supplicans, ait: A timore inimici eripe animam meam, quam habebat qui dixit: Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, angustia, fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius?

Rom. 8.

Quoniam timor pœnæ habet.) Torquet cor, conscientia peccatorum, nondum facta est iustificatio, ideo in Psalmo de ipsa perfectionis iustitia: Conuertisti inquit, plantatum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia, ut cantem tibi gloriam meam ut non compungar, id est, non sit, quod stimulet conscientiam meam. Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas quæ sanat quod uulnerat timor.

Psal. 29.

Qui autem timor non est perfectus in charitate.) Quia nimirum timor pœnæ habet, quamuis sicut sectionem medicis alijs optata, ita timorem, charitas desiderata subsequatur. Nec putari debet, his beati Ioannis sermonibus esse cõtrarium, quod Psalmista dicit: Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Duo namq; sunt timores, unus, q; timent homines Deum, ne mittantur in gehennam, ipse est timor ille, qui introducitur charitatem. Sed sic uenit, ut exeat, si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas, quem sic times. Non bona desideras, sed mala caues, sed ex eo quod mala caues, corrigis te, & incipis bona desiderare, Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor sanctus, ille scilicet, ne ipsa bona amittas. Non ut mittaris in gehennam, sed ne te deferat presentia Domini, quem amplecteris, & æternũ frui desideras.

Psal. 13.

Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.) Diligamus, quoniam ipse prior dilexit nos, nã unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos. Hinc enim ipse in Euangelio dicit: Nõ uos me elegistis, sed ego elegi uos. Ira autem perfecti erimus in charitate, si quemadmodum, nulli alterius, nisi salutis nostræ gratia, prior ille nos dilexit. Nos quoq; ita cum nullius rei, nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Verum quia sunt, qui uerborum Deum diligunt, consulte subiungitur:

Ioan. 13.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, &c.) Vnde probamus quod mendax est. Audi: Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, Deum quem nõ uidet quomodo potest diligere? Qui ergo? Qui diligit fratrem suum, diligit Deum, necesse est, ut qui diligit Deum,

C ut diligat ipsam dilectionem, Deus enim dilectio est, & ne quis dicere auderet, & quid obstat diligere Deum, etiam si non diligo fratrem, recte subdidit.

Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Quomodo enim diligis eum, cuius odisti mandatum? Quis est qui dicat diligo imperatorem, sed odi leges eius, non ita est, uerus Dei amator, sed uide, inquit, quia mandata tua dilexi Domine, & ideo confidenter adiungit. In tua misericordia uiuifica me.

Psal. 118.

## EVANGELIUM LUCAE CAP. XVI.



Omo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso. Et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant & lingeabant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraham. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham. Fili recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris. Et in hijs omnibus inter nos & uos, chaos magnum firmatum est, ita ut hijs qui uolunt hinc transire ad uos non possint, neque inde huc transire. Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas audiunt illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Beda.

Homo quidam erat diues, &c.) Purpuram Regij habitus esse colore marinis & Conchylis tinctam, nemo ferè est qui dubitet. Nam Conchylia ferro circumcisa lachrymas purpurei coloris quibus lana tingat emittunt. Byssum uero genus est, quoddam lini, nimium candidi & mollissimi, quod Græci πικροσσω uocant. Amonerat ergo Dominus supra facere amicos de mamona iniquitatis, qui cum ab hac uita defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula, quod audientes Pharisei deridebant. Verum ille quæ proposuerat, exemplis astruens ostendit, ideo diuitem purpuratum in remediabiliter apud inferos tortum, quia pauperem Lazarum à quo in uita tabernacula recipi posset, amicum sibi facere neglexerat. Nonnulli autem putant præcepta Veteris Testamenti districtiora esse quam Noui. Sed hi nimium inprouidam consideratione falluntur. In illo enim non tenatia, sed rapina multatur, ibi res iniuste sublata, restitutione quadrupli punitur. Hic autem diues iste, non abstulisse aliena reprehendit, sed propria non dedisse, nec dicit quia ui quempiam oppressit, sed quia in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo hinc sumopere colligendum est, quæ poena multandus sit, qui aliena diripit, si inferni datione percutitur, qui propria non largitur. Et sunt non nulli qui cultum subtilium præciosarumque uestium non putant esse peccatum. Quod si uidelicet culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam uigilanter exprimeret, quod diues qui torquet apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset, nemo quippe uestimenta præcipua, nisi ad inanem gloriam querit. Videlicet ut honorabilior ceteris esse uideatur, quam culpam possumus melius eum ex diuerso colligere, quia si abiectione uilis indumentum uirtus non esset, Euangelista de Iohanne non diceret, erat indutus pilis Camelorum. Sed notandum nobis magno opere est, in ore ueritatis de superbo diuite, & de humili paupere, quantum sit ordo narrationis, Ecce enim dicitur: Homo quidam erat diues. Et protinus subditur, Et

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. Certe in populo solent nomina diuitum plus quam pauperum sciri. Quid est ergo, quod Dominus de paupere & diuite uerbum faciens, nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, nisi quod Deus humiles nouit, atque approbat, & superbos ignorat. Unde & quibusdam de miraculorum uirtute superbientibus, in fine dicitur: Nescio uos unde sitis. Discite à me omnes operari iniquitatis. At contra Moysi dicitur: Noui te ex nomine. Ait ergo de diuite: Homo quidam. De paupere: Egenus nomine Lazarus, ac si aperte dicat, pauperem humilem scio, superbum diuitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro.

Matth. 7.  
Exod. 3.

Qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed & canes ueniebant & lingeabant uulnera eius.)

Plenus ulceribus mendicus Lazarus, ante ianuam diuitis iacet, quæ de re una, Dominus duo iudicia expleuit. Habuisset enim fortasse aliquam excusationem diues, si Lazarus pauper & ulcerosus, ante eius ianuam non iacisset, si remotus fuisset, si eius inopia non esset eius oculis impropria. Rursus si longe esset diues ab oculis ulcerosi pauperis, minorem tollerasset tentationem pauper in animo, sed dum egenum & ulceratum ante ianuam diuitis & delictis affluentem posuit, in una eademque re, & ex uisione pauperis non miserentis, diuiti cumulum damnationis tulit, & rursus ex uisione diuitis tentatum quotidie pauperem probauit, cui certe poterat ad poenam sufficere paupertas, etiam si sanus fuisset. Rursum suffecit egritudo, etiam si subsidium adesset. Sed ut probaretur amplius pauper, simul hunc & paupertas & egritudo tabefecit, atque insuper uidebat procedentem diuitem cuneis fulciri obsequentibus, & se in infirmitate & inopia à nullo uisitari. Nam quia nemo ei ad uisandum aderat, restantur canes, qui licenter uulnera lingeant. Ex una ergo re, omnipotens Deus, duo iudicia exhibuit, dum Lazarum pauperem ante ianuam diuitis iacere permisit, ut & diues impius, damnationis sibi augetur uisionem. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abraham: Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

Si uis Abraham requies est beatorum pauperum, quorum est regnum coelorum, quo post hanc uitam recipiuntur. Sepultura inferni poenarum profunditas, quæ superbos & immisericos post hanc uitam deuorat. August.

Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.) O quanta est sublimitas iudiciorum Dei, o quam deserte agit honorum actuum malorumque retributio. Certe superius dictum est, quia in hac uita Lazarus cadentes micas, de mensa diuitis quærebat, & nemo illi dabat. Nunc de supplitio diuitis dicitur, quia de extremo digito Lazari distillari aquam in ore suo concupiscit. Qui ergo mensæ suæ uel minima dare noluit, in inferno positus, usque ad minima quærenda peruenit. Sed notandum ualde est, quid sit quod diues in igne positus, linguam suam refrigerari petit. Mos quippe est sacri eloquij, ut aliquando aliud dicat, sed ex eodem dicto aliud innuat. Superius autem hunc superbum diuitem Dominus non loquacitate uacantem, dixerat, sed superflue conuiuantem. Neque hunc de loquacitate narrauit, sed cum elatione & tenatia de edacitate peccasse. Sed quia habundare in conuiujs loquacitas solet his, qui hic male conuiuatus dicitur, apud inferos grauius in lingua ardere perhibetur. Sed cum graui ualde pauore pensandum est, quod sequitur.

Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu uero cruciaris.)

Ecce enim cum dicitur: Recepisti bona in uita tua, indicatur & diues iste, & boni aliquid habuisse, ex quo in hac uita bona reciperet. Rursumque dum de Lazaro dicitur, quia cepit mala, quia profecto monstratur & Lazarum habuisse malum aliquod quod purgaretur, sed mala Lazari purgauit inopia, & bona diuitis remunerauit felicitas transiens uita.

Et in his omnibus iter uos & nos Chaos magnum firmatum est, ut hijs qui tunc hinc transire ad uos, non possint, neque inde huc transire. Quia in re ualde querendum

**C** quærendum est, quomodo dicatur, hi qui uolunt ad uos transire non possunt, quia enim hi qui in inferno sunt, ad beatorum sortem transire cupiunt, dubium non est, qui uero iam in beaticis dimis sorte suscepti sunt, quo pacto dicitur, quia transire ad eos, qui in inferno cruciantur uolunt. Sed licet transire reprobis, ad electos cupiunt, id est à suppliciorum suorum ad afflictione mitigare, ita ad afflictos atque in tormentis positos transire iustorum est, mente ire per misericordiam, eosque uelle liberare. Sed qui uolunt de beatorum sede, ad afflictos atque in tormentis positos transire non possunt, quia iustorum animæ quamuis in suæ naturæ bonitate misericordiam habeant, iam tunc auctoris sui iustitiæ coniunctæ, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moueantur, sed postquam ardenti diuiti de sepe tollitur, eius animus ad propinquos quos reliquerat præcurrit, quia reprobos mentem pœna sua, quandoque in utiliter erudit ad charitatem, ut iam tunc etiam suos spiritaliter diligant, qui hic dum peccata diligerent nec se amabant, unde nunc sequitur, & ait:

Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres &c.) Qua in re notandum est, ardenti diuiti, quanta ad supplicium cumulantur. Ad pœnam namque suam ei & cognitio seruat & memoria. Cognoscit enim Lazarum quem despexit, fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit, perfecta quippe ei ultio de paupere non esset, si hunc in retributione non cognosceret, & perfecta pœna in igne non esset, si non hoc quod ipse patitur, etiam suis timeret. Ut ergo peccatores in supplicio amplius puniantur, & eorum uident gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur, quos inutiliter amauerunt. Credendum uero est, quod ante retributionem extremi iudicii, iniusti in re que quosdam iustos conspiciunt, ut eos uidentes in gaudio, non solum de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Iusti uero, in tormentis semper intuentur iniustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt quod misericorditer euaserunt, tantoque maiores redemptori suo gratias referant, quanto uident in alijs, quid ipsi perpeti si essent neglecti potuerunt, quia qui creatoris sui claritatem uident, nihil in creatura agitur, quod uidere non possint.

**D** Et ait illi Abraham, habent Moſen & Prophetas audiant illos.) Sed qui uerba Dei despexit, hæc audire non posse suos sequaces estimabat, unde respondit diues.

Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.) Cui mox ueraci sententia dicitur:

Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.) Quia nimirum qui uerba legis despiciunt, redemptoris precepta, qui ex mortuis resurrexerit, quanto subtiliora sunt, tanto hæc difficilius implebunt, & nimirum constat, quia cuius implere dicta rennuunt, ei proculdubio credere recusant. Quem uero iuxta allegoriam diues iste, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur cotidie splendide, nisi Iudaicum populum significat, qui cultum uitæ exterius habuit, qui accepte legis delictis ad nitorem usus est, non ad utilitatem. Quem autem Lazarus ulceribus plenus, nisi gentilem populū figurat, qui dum conuersus ad Deum peccata sua cõsiteri non erubuit, huic uulnus in cute fuit. In cutis quippe uulnere uirus à uisceribus trahitur, & foras erumpit. Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quædam uulnere ruptio, quia peccati uirus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Sed Lazarus uulneratus cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Quia gentilem quæque ad cognitionem legis admittente, superbus ille populū despiciebat, qui dum doctrinam legis non ad charitatem habuit, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumuit, & quia ei uerba desuebat de scientia, quæ si micæ cadebant de mensa. At contra iacentis pauperis uulnera lingebant canes, nonnunquam solent in sacro eloquio, per canes prædicatores intelligi. Canum etenim lingua, uulnus dum lingit curat, quia et doctores sancti dñi in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi uulnus mentis per linguam tangunt, & quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quasi tangendo uulnera ad salutem reducunt, unde bene Lazarus adiutus interpretatur, quia ipsi hunc ad ereptionem iuuant, qui eius uulnera per linguæ correptionem curant. Contigit uero ut uerque moreretur, diues qui induebatur purpura & byſſo sepultus est in infernum. In sinum uero Abrahamæ Lazarus ab angelis ductus est. Quid Abrahamæ sinus nisi secretam requiem significat patris, de qua ueritas, Multi, inquit, uenient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in re-

Matth. 23.

**A** in regno cœlorum. Filij autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores. Qui enim purpura indutus dicitur, recte filius regni uocatur, qui de longinquo ad uidentum Lazarum oculos leuat, quia dum per damnationis suæ supplicium infideles in imo sunt. Fideles quoque ante diem extremi iudicii super se requiem adtendunt, quorum post gaudia contempleri, nullatenus possunt. Longe uero est, quod conspiciunt, quia illuc per meritum non attingunt. In lingua autem amplius ardere ostenditur, cum dicit: Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Infidelis populū uerba legis in ore tenuit, quæ opere contempsit seruare. Ibi ergo amplius ardebit, ubi se ostendit scire, quod facere noluit. Ab extremo digiti se tangi desyderat, quia æternis supplicijs datus, optat operati one iustorum, uel ultima participari. Cui respondetur, quod in hac uita bona receperit, quia omne suū gaudium, felicitatem transitoriā putauit habere. Hic etenim possunt & iusti bona recipere, nec tamen hæc recipere in recompensatione, quia dum meliora, id est, æterna appetunt, eorum iudicio, quæ licet bona aduerant, cum sanctis desyderijs æstuant, bona minime uidentur. Inter hæc notandū est, quod ei dicit: Memento fili. Ecce enim Abraham filium uocat, quem tamen à tormento non liberat, quoniam huius infidelis populi præcedentes patres fideles, quos multos à sua fide deuiasse considerant, eos nulla compassione à tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoſcunt. In tormentis autem diues positus, quinque se fratres habere perhibet, quia super perterram Iudaicum populū, qui ex magna iam parte damnatus est. Sequaces suos quos super terram reliquit, quinque sensibus corporis deditos nouit. Quinario ergo numero, fratres quos reliquerat exprimit, quia eos ad spiritalem intelligentiam non adfurgere, in inferno positus gemit. Petit ut ad eos Lazarus mittatur, cui quod Moſen & Prophetas habeant, dicitur. Sed ait: Quia non credunt, nisi quis ex mortuis resurrexerit. Cui protinus respondetur: Si Moſen & Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei. Certe de Moſe ueritas dicit: Si crederetis Moſi, crederetis utique & mihi. De me enim ille scripsit: Impletur ergo quod per Abraham responſionem dicitur: Ex mortuis enim Dominus resurrexit, sed Iudaicum populū, quia Moſi credere noluit, ei etiam, qui resurrexit ex mortuis, credere contempsit. Cumque Moſi uerba spiritaliter intelligere rennuat, ad Deum de quo Moſes locutus fuerat, non peruenit.

104th. 5.

## HEBDO. III. POST PENTECOST. EPIST.

B. Ioannis Apost. I. Ioan. Cap. III.

**B**

**N**olite mirari, si odit uos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quia omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. In hoc autem cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauerit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filij oli mei, non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate.

**N**olite mirari, si odit uos mundus. Mundum, dilectores mundi dicit. Nec mirandum, quia qui amant mundum, fratrem à mundi amore separatum, & cœlestibus tantum desyderijs intentum, amare non possunt. Abominatio est enim peccatori religio, ut scriptura testatur.

Beda.

Nos scimus, quia translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres.) Nemo se de uirtutibus falso extollat, nemo suarum uirtutum paupertatem ultra modum metuat. Apertum dat iudicium, quicumque fraterna dilectione plenus est, quia ad sortem electorum pertinet, quia portionem habere in terra uiuentium meruit.

Qui non diligit fratrem, manet in morte.) Mortem animæ dicit. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Vita quippe carnis, anima, uita animæ Deus est. Mors corporis, amittere animam, mors animæ, amittere Deum. Unde constat, quod in anima mortui, omnes in hac luce nascimur, trahentes ex Adam originale peccatum, sed Christi gratia fidelibus regenerando agitur ut in anima uiuere possint. Verbum baptismatis, & fidei mysterium, illis solis prodest

Exech. 18.

u

lis prodest



C<sup>l</sup>is prodest, illos de morte trajicit ad uitam qui syncera mente diligunt fratres. Atq; ideo notandum, quod non ait: Qui non diligit uestrum est in mortem, quasi de poena perpetua loqueretur, quæ restat peccatoribus in futuro, sed qui non diligit, inquit, manet in morte, in illa uitæ morte, de qua etiam in hac uita si fratres perfecte amaret, exurgere posset. Hinc etenim Deus in Apocalypsi: Beatus & sanctus qui habet spem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.

Apo. 20.

August.

Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.) Si contemnebar quisq; odium fratrum, nunquid & homicidium in corde suo contempturnus est? Non mouet manus ad occidendum hominem, & homicida iam tenetur à Domino, uiuit ille, & iste iam interfector iudicatur.

Et scitis quoniã omnis homicida nō habet uitam æternã, in se manentem.)

Et hic per fidem inter sanctos uiuere cernitur, non habet in se perpetuam uitam manentem. Nam ubi retributionis tempus adueniet, cū Cain qui ex maligno erat, damnabitur, etiã qui homicidij genere tenetur, ut discordest, ut dissideat, & pacem cum fratribus non habeat. Notandum enim quod non ait, absolute, homicida non habet uitam in se manentem, sed omnis, inquit, homicida, scilicet, non solus ille qui ferro, uerum & ille, qui odio fratrem insequitur.

In hoc cognouimus charitatem Dei, &c. Qualis perfecta charitas esse debeat in nobis, Domini cæ passionis exemplo didicimus. Majorem namq; hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde & Paulus ait: Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hanc beatus Petrus habere monebatur cum Domino dicente: Petre amas me, pasce oues meas. Respondit se amare, statimq; audiuit: Cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non uis. Hoc autē dixit (ait Euangelium) significans, qua morte clarificatus esset Deum. Cui enim amorem confitenti suas oues commendarat, eum in testimonium perfecti amoris animam suam pro eisdem ouibus ponere docebat.

Rom. 5.

Ioan. ultimo.

Et nos debemus animas pro fratribus ponere.) Sed dicit forte aliquis: Et quomodo possum habere istam charitatem, noli cito de te desperare, forte nata est, sed nondum perfecta est. Nutri eam, ne suffocetur, & unde, inquis, noui, natam in me esse charitatem, quã nutriam, audi sequentia.

**D** Qui habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum necessitatem habere, &c.) Ecce unde incipit charitas, si nondum es idoneus mori pro fratre, iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Si enim fratri molestiam patienti non compateris, nō uitæ patris, ex quo ambo regenerati estis, charitas manet in te.

Filioli mei, nō diligamus uerbo nec lingua, sed opere & ueritate.) Opere uidelicet, ut cum frater aut soror nudi sunt, & indigent uictu quotidiano, demus eis, quæ necesse sunt corpori. Similiter, cum spiritualibus donis eos egere conspiciamus, præsternus eorum necessitati quæ possumus. Veritate autem, ut eadē eis beneficia, simplici intentione largiamur, & nō propter laudem humanam, nō propter iactantiam, non ad iniuriam aliorum, qui maioribus preediti substantijs, nil tale fecerint. Quæ cumq; enim mens huiusmodi neuis inficitur, in hac puritas ueritatis habitare non ualet, tamen si opera dilectionis proximis impendere uideatur. In hoc cognouimus, quoniã ex ueritate sumus, id est, cum opera in ueritate facimus, pater, quia ex ueritate sumus, quæ Deus est, utpote, qui eius perfectionem pro modo nostro imitatur.

## EVANGELIUM LVCAE. CAP. XIII.



Momo quidam fecit cenam magnam, & uocauit multos. Et misit seruum suum hora cæne dicere inuitatis ut uenirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt se simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire, & uidere illam, rogo te habec me excusatum. Et alter dixit: Iuga bouum emi quinq; & eo probare illa, rogo te habec me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo nō possum uenire. Et reuersus seruus, nunciauit Domino suo. Tunc iratus pater familias dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cecos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est ut impa-

raffi,

**A** raffi, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in uias & sepes, & conpelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cenam meam.

Homo quidam fecit cenam magnam, & uocauit multos.) Quis iste est homo, nisi ille, de quo per prophetam dicitur: Et homo est, & quis cognosceret eum? Qui fecit cenam magnam, quia facierat nobis internæ dulcedinis præparauit, qui uocat multos, sed pauci ueniunt, quia nonnunq; ipsi, qui ei per fidem subiecti sunt, eterno eius conuiuio male uiuendo contradicunt.

Hier.

Et misit seruum suum hora cæne dicere inuitatis ut uenirent, &c.)

Quid hora cæne, nisi finis est mundi, in quo nimirum nos sumus, sicut iam dudum Paulus testatur, dicens: Nos in quos fines seculorum deueniunt. Si ergo iam hora cæne est cū uocamur, tanto minus debemus excusare conuiuio Dei, quanto propinquasse iam cernimus finem seculi. Idcirco autem hoc conuiuium Dei, non prandium, sed cæna uocatur, quia post prandium cæna restat. Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit ut hoc non prandium sed cæna uocaretur. Sed quis per hunc seruum, qui à patrefamilias ad inuitandum mittitur, nisi Prædicatorum ordo signatur. Ad repellendum autem fastidium nostrum, iam parata sunt omnia, quia ad abstergendum mentis nostræ teporem, in cæna Domini ille nobis singularis agnus occisus est, qui tulit peccata mundi.

Et cœperunt simul omnes excusare.) Offert Deus quod rogari debuit, non rogatus dare uult, quod uix sperari poterat, quia dignaretur largiri postulatus. Cōternitur uero, paratas delicias resurrectionis æternæ denuntiat, & tamen simul omnes excusant, sed dicunt alii qui excusare nolumus, ad illud enim supernæ refectiois conuiuium, & uocari & peruenire gratulamur. Qui uerum profecto dicunt, si non plus terrena, quam cœlestia diligunt, si non amplius rebus corporalibus quam spiritualibus occupantur. Vnde hic quoq; ipsa excusantium causa subiungitur, cum protinus subinfertur.

Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire uidere illam, &c.)

**B** Quid per uillam, nisi terrena substantia designatur. Exijt ergo uidere uillam, qui sola exteriora cogitat propter substantiam.

Et alter dixit: Iuga bouum emi quinq; & eo probare illa, rogo te &c.)

Quid quinq; iugis bouum, nisi quinq; corporis sensus accipimus, qui recte quoq; iuga uocati sunt, quia in utroq; sexu geminantur. Qui uidelicet corporales sensus, quia cōprehendere ne sciunt interna, sed sola exteriora cognoscunt, & deserentes intima, ea quæ extra sunt tangunt, recte per eos curiositas designatur. Graue namq; curiositatis est uitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam uitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit. Propter hoc namq; & de eisdem quinq; iugis bouum dicitur: Eo probare illa, quia uidelicet aliquando pertinere probatio ad curiositatem solet. Sed notandum, quod & is qui propter uillam, & is qui propter probanda iuga bouum, à cæna sui iuitatoris excusat, uerba humilitatis permiscet dicēs.

Rogo te habec me excusatum.) Dum enim dicit, rogo, & tamen uenire contemnit. Humilitas sonat in uoce, superbia in actione, & ecce hoc diiudicat, prauus quisq; cum audit, nec tamen ea quæ diiudicat agere desistit. Nam dum cuiuslibet peruerse agentis dicimus: Conuertere, Dominum sequere, mundum relinque, ubi hunc, nisi ad Dominicam cenam uideamus? Sed dum respondet, ora pro me, quia peccator sum, hoc facere non possum, quid aliud agit, nisi rogat & excusat. Dicens namq; peccator sum, humilitatem insinuat. Subiungens autem, conuertit non possum, superbiam demonstrat.

Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum uenire.) Quid per uxorem nisi uoluptas carnis accipitur. Nam quamuis bonum sit coniugium, atq; ad propagandam sobolem prouidentia diuina constitutum. Nonnulli tamen non per hoc fecunditatem prolis, sed desideria expetunt uoluptatis, & ideo per rem iustam significari potest non incongrue res iniusta. Ad cenam nos ergo æterni conuiuij summus paterfamilias inuitat, sed dum hunc terrena cura occupat, illum alieni actus sagax cogitatio deuiat. Alterius etiam mentem uoluptas carnalis inquinat, fastidiolus quisq; ad æternæ uitæ æpulas non festinat.

Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus pater familias

u 2 as dixit

**C**itas, & dixit seruo suo: Exi cito in plateas, & uicos ciuitatis, pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.) Ecce qui terrenæ substantiæ plus iusto incubat, uenire ad Dominicæ cœnam recusat, qui labore incuriositatis infudat, præparata uitæ alimenta fastidit, qui carnalibus desyderijs inheret, spiritali cœuiuij epulas respuit. Quia ergo uenire superbi renuunt, pauperes eliguntur, cur hoc nisi quia iuxta Pauli uocē, infirma mūdi elegit Deus, ut cōfundat fortia. Pauperes autem & debiles dicuntur, qui iudicio suo apud semet ipsos infirmi sunt. Nam pauperes & quasi fortes sunt, qui & positi in paupertate superbiunt. Cæci uero sunt, qui nullum ingenij lumen habent. Claudij quoq; qui rectos gressus in operatione non habent, sed dum morum uitia in membrorum debilitate signantur, profecto liquet, quia sicut illi peccatores fuerunt, qui uocati uenire noluerunt, ita hij quoq; peccatores sunt, qui inuitantur & ueniunt. Sed peccatores superbi respuuntur, & peccatores humiles eligunt. Hoc itaq; eligit Dominus, quos despicit mundus. Quia plerunq; ipsa despectio hominem reuocat ad semetipsum. Pauperes & debiles, cæci & claudi uocantur & ueniunt, quia infirmi quiq; atq; in hoc mundo despecti plerunq; tanto celerius uocem Dei audiunt, quanto & in hoc mundo non habent ubi delectentur, sed ductis ad cœnam pauperibus, quid puer subiungat audiamus:

Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.) Multi tales ad Dominicam cœnam ex Iudæa collecti sunt, sed multitudo quæ ex Israelitico populo credidit, locū superni conuiuij non impleuit. Intrauit iam frequentia Iudæorum, sed adhuc locus est, uacat in regno, ubi suscipi debeat numerositas gētiū, unde & eidem seruo dicitur:

Exi in uias & sæpes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.)

Cum de uicis & plateis ad cœnam Dominus inuitat, illum uidelicet populum designat, qui tenere legem sub urbana conuersatione nouerat. Cum uero conuiuias suos colligit ex uicis & sæpibus præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id est, gentilem quærere. Notandum uero quod in hac inuitatione tertia, non dicitur inuita, sed compelle intrare. Nam sunt nonnulli, qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt, his ut superius diximus, plerunq; contingit, ut eos in carnalibus desyderijs suis, mundi huius aduersitas feriat. Sæpe namq; aut longa egritudine tabescunt, aut afflicti iniurijs concidunt, aut percussis grauioribus damnis affliguntur, sed qui ipsos in suis desyderijs reprehendentes ad Dominū corda conuertunt. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorē redeunt, atq; à præsentis uitæ desyderijs corrigunt, quid isti nisi compelluntur, ut intrent? Sed ualde est tremenda sententia, quæ protinus subinfertur. Ait enim:

Dico autem uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, &c.)

Ecce per se uocat, per angelos uocat, per Apostolos uocat, plerunq; per miracula uocat, plerunq; per flagella uocat, aliquando per mundi huius prospera uocat, aliquando per aduersa. Nemo contemnat, nedum uocatus excusat, cum uoluerit intrare non ualeat.

## HEBDO. III. POST PENTECOST. EPIST.

B. Petri. Apost. Cap. V.



**H**umiliamini sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uisitacionis, omnem sollicitudinē uestram proijcientes in eū, quoniam ipsi cura est de uobis. Sobrii estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanq; leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite in fide, scientes eandem passionem ei, quæ in mundo est, uestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui uocauit uos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu, modicum passus. Ipse perficiet, cōfirmabit, solidabitq;, ipsi gloria & imperium in secula seculorum Amen.

**H**umiliamini sub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore tribulationis, &c. Hanc ergo gratiam humilibus tribuit, ut quo magis humiliati fuerint, propter ipsum tempore certaminis, eo gloriosius exaltentur ab ipso, tempore retributionis. Potest autē humiliatio hoc in locō multisariè accipi, hoc est, & ea qua incipiens quisq; uia uirtutū, pro abluen-

**A** pro abluendis quæ commiserat peccatis salubriter atteritur, & illa quæ spontanea mentis deuotione à perfectioribus Deo uel proximis in pace exhibetur rerum circumstantiū, nec non & ea qua incurstantibus persecutionum turbinibus, inuictus per patientiæ uirtutē animus armatur. Omni autem generi deuotæ humilitatis merces succedit illa, ut qui se tempore suæ peregrinationis humiliant, tempore uisitacionis eius exaltentur.

Sobrii estote, uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanq; Leo rugiens circuit quærens quem deuoret.) In huius expositione sententiæ non nostra, uerum beati Cypriani dicta ponamus. Circuit, inquit, ille nos singulos, & tanq; hostis clausus obsidens muros, explorat & temptat, an sit pars aliqua membrorum minus stabilis, & minus fida, cuius auditu ad interiora penetretur, offert oculis formas illices & faciles uoluptates, ut uisū destruat castitatē, aures per canorā musicā tentat, ut ut soni dulcioris auditū soluat, & molliat Christianum uigorem, linguam conuicio prouocat, manum iniurijs lacessentibus ad petulantiam ædis instigat, ut fraudatorem faciat, lucra opponit iniusta, ut animam pecunia capiat, ingerit pernitiosa cōpendia. Honores terrenos promittit, ut cœlos adimat, ostendit falsa, ut uera subripiat, & cum latenter non potest fallere, aperte minatur terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad de bellandos seruos Dei inquietus semper, & semper infestus, in pace subdolos, in persecutione uiolentus. Quamobrē, contra omnes diaboli, uel fallaces insidias, uel apertas minas stare debet instructus animus, & armatur tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus.

Cui resistite fortes in fide, scientes eandem passionem ei, quæ ei in mundo est, uestræ fraternitati fieri, &c.) Tanto inquit, fortiores estote in fide, tanto maiorem habe te fiduciam ad superandas diaboli uersutias, quanto constat, quia nō uos soli temptamini, sed ipsa passio, quæ uos fatigat, ei quoq; quæ per totum mundum est Ecclesiæ Christi, uestræ uidelicet fraternitati communis est, & quia à cōstitutione mundi semper passus sunt iusti, pudeat uos solos præ omnibus sustinere non posse.

## ALIA EXPOSITIO.

**H**umiliamini sub potenti manu Dei.) Id est, sub potestate Dei, manus enim Dei & filius & potestas eius intelligitur. Filius ubi ait: Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me. Potestas ubi dicit: In manus tuas cōmendo spiritum meum, & similia.

Ut uos exaltet.) Omnis enim ait Euangelium: Qui se humiliat, exaltabitur.

In tempore uisitacionis.) Id est, in die iudicij.

Omnē sollicitudinē uestrā, &c.) Ut ab eo educati, inimicis fortiter resistere ualeatis, iacta in Deum ait Psalmista curam tuam, & ipse te enutriet.

Quoniam ipsi cura est de uobis.) Oculi enim Domini super iustos & aures eius ad preces eorum, & qui tangit eos, quasi qui tangit pupillam oculi eius.

Sobrii estote.) Id est, temperati, sobrietas enim temperantia intelligitur.

Vigilate.) Hęc uigilantia spiritalis non carnalis intelligitur, non est nobis conuulsatio ait Apostolus aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales nequicias.

Quia aduersarius uester diabolus, &c.) Aliquando diabolus leo propter apertas persecutiones dicitur. Aliquando Draco propter occultas insidias nominatur.

Cui resistite fortes in fide.) Exemplo Christo resistentis in deserto diabolo.

Scientes eandem passionem, &c.) Id est eandem passionem, quam uos sustinetis, & ea quæ in mundo est uestræ fraternitatis, quæ est uniuersalis Ecclesia, sustinere non cessat.

Deus autē omnis gratiæ.) Id est, multi formis gratiæ: Omne enim bonū, quod homo habet per gratiam Dei, ut habeat accipit.

Qui uocauit nos, &c.) Gloria enim istius seculi temporalis est, & gloria futuri seculi æterna.

In Christo Iesu Domino nostro.) Id est, per incarnationē Iesu Christi Dñi nostri. Modicū passus.) Id est, post modicam passionem in æternam uocamur requiem. Ut illud Prophetici. Videte quia modice laboraui, & inueni multā mihi requiē. u; Ipse

**C** Ipse perficiet confirmabit solidabit.) Perficiet corpore, confirmabit animo, solidabit spiritu, siue perficiet premio aeterno. Confirmabit in opere bono, solidabit in fide in Christo Iesu Domino nostro, cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

E V A N G E L I V M L V C A E. CAP. XV.

**R**ant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, ut au-  
dirent illum. Et murmurabant Pharisei & scribae dicentes, quia  
hic peccatores recipit & manducat cum illis. Et ait ad illos para-  
bolam istam dicens: Quis ex uobis homo qui habet centum o-  
ues, & si perdidit unam ex illis. Nonne dimittit nonagintanouem in de-  
serto, & uadit ad illam, quae perierat donec inueniat illam. Et cum inuenit  
eam, imponit in humeros suos gaudens & ueniens domum, conuocat ami-  
cos & uicinos, dicens illis, Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam  
quae perierat. Dico uobis quod ita gaudium erit in caelo super uno pecca-  
tore poenitentiam agente, quam super nonagintanouem iustis, qui non in-  
digent poenitentia. Aut quae mulier habens dragmas decem, si perdidit  
dragmam unam. Nonne accendit lucernam & euertit domum, & quaerit di-  
ligenter, donec inueniat. Et cum inuenit, conuocat amicas & uicinas dicens:  
Congratulamini mihi, quia inueni dragmam, quam perdideram. Ita dico  
uobis, gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente,

**E**Rant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, &c.) Quia  
solum iustus peccare per inertiam, sed & peccator, respicere per solertiam potest, postquam  
saluatum foras mitti debere narratum est, mox poenitentium cohortus intus admissa, descri-  
bitur, qui ad audiendum Dei uerbum appropinquantes, non solum ad conloquendum, sed etiam ad  
conuiscendum recepti sunt, quod uidentes Pharisei designati sunt, quia uera iustitia compassio-  
nem habet, falsa iustitia indignationem, quam uis & iusti soleant recte peccatoribus indignari,  
sed aliud est, quod agitur typo superbiae, aliud zelo disciplinae, sed quia egri erant, ita ut aegros  
se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, caelestis eos medicus blandis fomentis curat,  
benignum *παράκλησις* obicit, & in eorum corde uulneris tumorem premit. Ait namque.

Quis ex uobis homo, qui habet centum oves, &c.) Ecce mira dispensatione  
pietatis similitudinem ueritas dedit, quam & in se ipso homo recognoscere, & tamen haec speciem  
aliter ad ipsam auctorem hominum pertinet. Quia enim Centenarius numerus est perfectus, ipse  
centum oves habuit cum angelorum substantiam & hominum creauit, sed una ouis tunc periit,  
quando peccando homo paucam uitae dereliquit. Dimisit autem nonagintanouem oves in deser-  
to, quia illos summos angelorum choros reliquit in caelo. Cur autem caelum desertum uocatur,  
nisi quod desertum dicitur derelictum. Tunc autem caelum homo deseruit, cum peccauit. Inde  
seito autem nonagintanouem oves remanserant, quando in terra Dominus unam quaerebat,  
quia rationalis creaturae numerus, angelorum uidelicet & hominum, quae ad uidendum Deum  
condita fuerat, pereunte homine, erat imminutus, & ut perfecta summa ouium integraretur in  
caelo, homo perditus quaerebatur in terra.

Et cum inuenit illam imponit in humeros suos gaudens.) Quem in hume-  
ris inposuit, quia humanam naturam suscipiens peccata nostra ipse portauit.

Et ueniens domum, conuocat amicos, &c.) Inuenta oue ad domum rediit, quia pa-  
stor noster reparato homine, ad regnum caelestium rediit, ubi amicos & uicinos inuenit, illos ui-  
delicet angelorum choros, qui amici eius sunt, quia uoluntatem eius continuae in sua stabili-  
tate custodiunt. Vicini quoque eius sunt, quia claritate uisionis illius sua assidue persequuntur,  
& notandum quod non dicat congratulamini oui inuenit, sed mihi, quia uidelicet, eius est gau-  
dium uita nostra, & cum nos ad caelum reducemur, sollempnitatem laetitiae illius implemus.

Dico uobis, quod ita gaudium erit in caelo, &c.) Plus de conuersis peccatori-  
bus.

**A** bus, quam destantibus iustis gaudium in caelo, quia plerumque hi qui nullis se oppressos pecca-  
torum molibus sciunt, stant quidem in uia iustitiae, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad coele-  
stem patriam anxiae non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis usum praebent, quanto se pepe-  
trasse illicita nulla meminerunt, & plerumque pigri remanent ad exercenda bona precipua, quia  
ualde securi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua il-  
licita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt ad amorem Dei se seque in  
magis uirtutibus exercent. Magis ergo de peccatore conuerso, quam de stante iusto gaudium  
fit in caelo, quia & dux in prelio, plus eum militem diligit, qui post fugam reuerlus hostem forti-  
ter premit, quam illum, qui nunquam terga prebuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sed inter haec scien-  
dum est, quia sunt plerique iusti in quorum uita tantum est gaudium, ut eis quaelibet peccatorum  
poenitentia preponi nullatenus possit. Nam multi & nullorum sibi malorum sunt conscii, & tamen  
in tanti ardoris adfectione se exerunt, ac si peccatis omnibus angustentur. Cuncta etiam licita  
respuunt, ad despectum mundi sublimiter accinguntur, lamentis gaudent, in cunctis semetipsos  
humiliant, & sicut nonnulli peccata operum, sic ipsi peccata cogitationum deplorant. Hinc ergo  
colligendum est, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus, si facit in caelo gau-  
dium, quando hoc, quod male gessit per poenitentiam damnat iniustus.

Aut quae mulier habens Dragmas decem, si perdidit dragmam unam, &c.)

Qui signatur per pastorem, ipse & per mulierem, ipse enim Deus, ipse & Dei sapientia, quia ima-  
go exprimitur in dragma, Mulier dragmam perdidit, quando homo qui conditus ad imaginem  
Dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit. Sed accendit mulier lucernam, quia  
sapientia Dei apparuit in humanitate, Lucerna quippe lumen in testa est. Lumen uero in testa  
est, diuinitas in carne. Accensa autem lucerna euertit domum, quia mox, ut eius diuinitas per  
carne claruit, omnis se nostra conscientia concussit, domus namque euertitur, cum consideratione rea-  
tus sui, humana conscientia perturbatur. Euerfa uero domo inuenitur dragma, quia dum per-  
turbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.

**B** Et cum inuenit, conuocat amicas, &c.) Quae amicae uel uicinae, nisi ille potestates  
sunt caelestes, iam superius dictae, quae tanto superne sapientiae iuxta sunt, quanto ei per gratiam con-  
tinuae uisionis appropinquat, sed intuentum, quare ista mulier decem dragmas habuisse perhibetur  
Angelorum quippe & hominum natura ad cognoscendum se Dominum condidit, quia dum consistere  
ad gemitatem uoluit, eam proculdubio ad suam similitudinem creauit. Decem uero dragmas habuit mu-  
lier, quia noue sunt ordines Angelorum, sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus crea-  
tus est, quia conditori suo, nec post culpam periit, quia hunc aeterna sapientia per carnem mi-  
aculis c oruscans ex lumine testa reparauit.

Ita dico uobis, gaudium erit coram Angelis, &c.) Poenitentiam agere est, & per-  
petrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia com-  
mittat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim si peccata, quis luxuriae  
desinat, & tamen adhuc auaritiae aestibus anhelat, aut quid prodest, si ire culpas iam lugeat, & ta-  
men adhuc inuidiae facibus tabescat. Sed minus est ualde quod dicimus, ut qui peccata deplorat  
plorando minime committat. Nam cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commissis-  
se, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satis faciat, ut qui  
commisit prohibita, sibi metipsum abscindere debeat etiam commissis.

HEBDOMADA II. POST PENTECOSTES

Leatio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Romanos. Cap. VIII.



**N**ixtimo enim quod non sint condigne passionis huius temporis  
ris ad futuram gloriam quae reuelabitur in nobis. Nam expecta-  
tio creaturae reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitatis enim  
creatura subiecta est non uolens, sed propter eum qui subiecit eam  
in spe, quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertate  
tem gloriae filiorum Dei. Scimus autem quod omnis creatura ingemiscit  
& parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias  
spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei,  
u. 4 expecta-

C expectantes redemptionem corporis nostri in Christo Iesu Domino nostro.

**E**Xistimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis.) Si quis intueatur, quod pro eo, ut quis efficiatur filius excelsi Dei & heres bonitatis eius, & gloriae Christi, quae unigeniti filij Dei coheredes, etiam si in omnium mandatorum Dei obseruantia, & iustificationibus Domini, sine quae relata permaneat, & peruigili in his mente perduret. Si omnia etiam poenarum genera, quae ferri humanae naturae, uel extrinsecus, uel intrinsecus possunt, conferat ad futuram gloriam, quae reuelabitur in sanctis, his quae oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Intelligere potest quomodo Paulus altius ista considerans dixit, existimo autem quoniam non sunt condigne passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis. Nihil quidem dignum inueniri, uel comparari ad futura gloria potest. In quo enim mortale immortalibus conferas, aut inuisibilibus, uisibilibus, aut aeternis temporali, aut caduca perpetuis

**N**on expectatio creaturae reuelationem filiorum Dei expectat.) Quae autem est creatura quae reuelationem filiorum Dei expectat? Haec inquit, quae nuuc uanitati subiecta est, subiecta autem non uolens nec sponte propria, sed uoluntate eius, propter ipsum ergo subiecta est, subiecta autem non ea conditione, ut maneat semper subiecta uanitati, sed cum quadam spe, quae autem spes ista sit commemorat dicens, quoniam & ipsa creatura, inquit, liberabitur, a seruitute corruptionis in libertate gloriae filiorum Dei.

**V**anitati enim creatura subiecta est, uolens, sed propter eum qui subiecit in spe, quia & ipsa creatura liberabitur, &c.) Quae est ista uanitas, cui creatura dicitur esse subiecta, & quae est ista corruptio, de cuius seruitute liberandam se sperat? mihi uidetur, quod de hac materiali, & corruptibili corporum substantia ista dicuntur. Nec enim corruptio alij cuiquam, nisi corpori dominatur, nam ille interior homo, qui secundum Deum creditus est, & ad imaginem Dei factus incorruptibilis est, & inuisibilis, & secundum propriam sui rationem etiam incorporeus dici potest, exterior uero homo & corporeus, & corruptibilis dicitur, propter quod & Paulus dicebat, Natus est qui desorsus est, homo noster corrumpitur, sed qui intus est, renouatur. Interioris autem hominis renouatio, utpote qui est rationalis, & mens in cognitione Dei & capacitate sancti spiritus. Constat uero, ut aliqua de tam profundis rebus, breuiter & strictim etiam carulis committamus, ex ipsa interioris hominis, hoc est, animae mentis substantia colligamus imaginem. Quomodo uanitati creatura subiecta est, non uolens, sed propter eum, qui subiecit in spe, & ipsum si uidetur. Paulum ponamus in medium, cuius utique anima uel mens, qui est interior eius homo supergreditur, & ascendit omne quod corporeum est, quod uisibile, quod sensui subiacet & aspectui, & ipsius diuinae naturae efficitur capax. Sed haec tanta & talis anima eius subiecta est seruitute corruptionis corporis, & uanitati eius deuincta est. Considera enim necessitates corporis, appetentiam cibi, digestionum putorem, posteritatis reparandae uerecundiam, ut feritur soboles, ut editur, ut nutritur, & uide quanta in his uanitas habeatur, quanta corruptio, cui creatura animae nobilis & rationalis licet, non uolens subiecta est. Subiecta tamen in spe, tempus uidelicet sperans, quod liberetur, cum filiorum Dei tempus libertatis aduenerit, hoc est, ergo quod & in alijs apertius, de se ipso dicebat Apostolus, quia dum sumus in habitaculo hoc ingemiscimus. Ipsos quoque angelos si ad sententiam Pauli respicias qua dicunt, quia omnes ministeriales spiritus ad ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis, intelliges, tale aliquid gerere, & huic rationi esse subiectos. Credo etiam ipsos non uolentes, sed propter eum qui subiecit in spe. Voluntati enim illius quibus resistit, ego etiam de Archangelis, tale aliquid intelligere Propheticis inuitor aequiuis. Quid enim tante uanitatis, & tantae corruptionis inuenias, quam bella gerere in hoc mundo, pugnas aduersum se regum & gentium commouere. Vide ergo, quod & in his precipuum Archangelici operis habeatur officium, sicut Daniel Propheta testatur cum dicit, quia Archangelus loquitur ad eum, qui dicit ei, quod pugnauerit aduersum Principem per sarum, & nemo, inquit, fuit mihi in adiutorium, nisi Michael Princeps uester. Per haec ergo singula deprehenditur, rationalis creatura uanitati esse subiecta, non uolens, sed propter eum, qui subiecit in spe, spes namque est ab his rebus corporis & corruptibilibus aliquando cessandum. Hanc enim habet expectationem creatura ista rationalis, ut reuelatio fiat filiorum Dei, propter quos angeli mittuntur in ministerium, ut & ipsi cum his quibus ministrauerunt haereditatem capiant salutis, ut coelestium & terrestrium fiat unus grex, & unus pastor, & sit Deus omnia in omnibus

Scimus

**A** Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, &c.) Creatura enim licet non uolens subiecta sit, tamen quoniam uoluntati cedit eius, qui subiecit eam, affectum quendam & charitatem circa eos exhibet, pro quibus uidetur esse subiecta, & pro doloribus eorum dolet, & pro gemitibus gemit, si uero ut in alijs exemplaribus inuenitur, ita legamus, congemiscit & parturit, secundum illum sensum accipimus, quod dicit Apostolus, genuisse se per Euangelium, eos, quos per fidem Christi perducit ad lucem. Vel sicut de alijs dixit: Filij mei, quos iterum parturit, donec formetur Christus in uobis. Parturit ergo & creatura eos, quos regenerat ad salutem.

**N**on solum autem illa, sed & nos ipsi, &c.) Illud potius in hac intelligimus sententia, quod cum secundum ea, quae superius disseruimus, multi sint spiritus ministeriales, in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capiunt salutis, sub quibus agens uniuersis creaturam, uelut sub tutoribus & procuratoribus instituitur, usque ad praefinitum tempus a patre, hoc est, usque quo ad legitimam aetatem animae perfectionis aduenerit, ubi quis iam supergressus spiritum seruitutis, quem acceperat in timore, a quo uelut in pedagogo seruaretur, dignus efficitur accipere adoptionis spiritum primitiae spiritus, per quem adoptatus in filium possit esse primitiuorum Ecclesiae, qui in caelis est sociari. Et sicut multum differt filium esse quam seruum, ita multum differt a ministerialibus spiritibus spiritus sanctus, cuius primitias Paulus cum suis similibus habere se dicit. Vnus hic modus sit, quo sermonis huius intelligentiam potius indagare. Videamus nunc & alium. Legimus apud ipsum Apostolum Paulum, dona uel gratias sancti spiritus, multos spiritus nominari, cum dicit: Nunc autem, quoniam amulatores estis spiritualium, edificationem Ecclesiae quaerite, ut abundetis. Et item alibi: Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt, subiectos dicens spiritus Prophetarum, non quasi meliori inferiores, sed pro eo quod habens quae prophetiae spiritum, non inuitus loqui cogitur, ut illi, qui habent spiritus immundos, sed cum uult, & ratio postulat dicit, cum uero dicere oportunit non uidebit, silet, bene sciens quia tempus sit loquendi, & tempus tacendi. Et ideo non ad iniuriam dicit, quia prophetis subiecti sunt spiritus, sed ad dispensationem, sicut & illud dictum accipimus de saluatore: Quia tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui sibi subdidit omnia, & hic enim subiectus, non quasi inferior dicitur. Quomodo enim inferior dici potest, qui filius est, & omnia est quae pater:

**B** Omnia enim, inquit, pater tua mea sunt, sed in his quos patri subdit credentes in se, quoniam in uno quoque ipsorum se esse dicit, & se i eis dicit elurire, & stare et nudum esse, seque pasci in eis, in idui, profiteretur. Idcirco & in illis ipse dicit esse subiectus, sed haec per excessum quendam dicta sunt, nunc autem ad propositum redeamus. Dona ergo diuersa spiritus a Paulo multi spiritus appellantur, horum hoc multorum donorum quicquid est, summum & magnum sine dubio, Apostoli consecuti sunt, ut idonei essent, sicut & ipse Paulus dicit, summum & magnum sine dubio, Apostoli consecuti sunt, ut idonei essent, sicut & ipse Paulus dicit: Ministri Noui Testamenti, ut & replere possint Euangelium ab Hierusalē in circuitu usque ad Illyricum. Hoc ergo quod in eis praeter ceteris sublimius & preclarus collatum est sancti spiritus donum, merito primitias sancti spiritus appellauit. Et ideo dicit: Sed & nos ipsi, in quo specialiter designare uideat Apostolicam dignitatem: Nos, inquit, ergo ipsi, hoc est, Apostoli, primitias spiritus habentes, qui electi sumus ad hoc, ut primitias spiritus acciperemus, etiam ipsi intra nos gemimus. In tantum, inquit, nulla creatura est, quae doloribus & gemitibus uacet, ut etiam nos ipsi, qui summa ab spiritu sancto & electa dona percipimus, tamen expectantes adoptionem filiorum, id est, perfectionem, eos quos docere & instruere missi sumus, donec uideamus eos in tantum proficere, ut adoptari mereant in filios, necessario dolemus & gemimus. Adhuc tamen addimus & tertium. Idem ipse iterum Apostolus dicit de Domino Iesu Christo, quia sit primogenitus omnis creaturae, ne forte ergo ut ille primogenitus dicitur omnis creaturae ad quandam rationem etiam multorum spirituum dicat primitiae spiritus sanctus. Si uero quod dixit: Et nos ipsi primitias spiritus habentes, de omnibus dicitur, qui gratia baptismi consecuti uidentur, accipies, sperandum est illud, quod idem Apostolus dixit: Quod si primitiae sanctae & massa, & si radix sancta & rami, quod & si ita sit, tamen ipsius massae, in qua uideatur indicari multitudo fidelium, primitiae necessario uidebantur in Apostolis conlocatae, sic etiam scriptum est: Quia in Ecclesia posuit Deus, primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. Isti ergo primo loco constituti sunt, competenter primitias gratiae spirituales habere credentur.

**A**doptionem filiorum Dei expectantes.) Nunc iam uideamus quomodo ad optionem filiorum expectare se dicat, qui in superioribus dixit: Quia ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quia sumus filij Dei, Et iterum: Quomodo redemptionem corporis speras

1. Cor. 15.  
2. Cor. 14.

1. Cor. 12  
2. Cor. 14

1. Cor. 15

2. Cor. 13

Rom. 11

Eph. 2

C sperat, qui in alijs dixit: Christus nos redemit, sed ut mihi uideat, ipse hoc eo sermone qui in eo sequentibus habetur absoluit: Ait enim. Spe salui facti sumus, quod ergo filij sumus, & quod redempti sumus, & quod saluari sumus, in spe consistit. Nunc enim uidemus per speculum in enigmate, per speculum ergo, & in enigmate accepimus, & adoptionem & redemptionem, aduenit enim plenitudo temporum, & misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Recipimus ergo adoptionem, sed istam que est per speculum in enigmate, cum autem uenerint que perfecta sunt, tunc adoptionem facie ad faciem consequemur.

Redemptionem corporis nostri, &c.) Quod autem dixit redemptionem corporis nostri, ego arbitror quod totius Ecclesie indicetur corpus, sicut & alibi ait: Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte. Omne ergo corpus Ecclesie redimendum sperat Apostolus, nec putat posse que perfecta sunt, dare singulis quibusque membris, nisi uniuersum corpus in unum fuerit congregatum. Potest autem & sic intelligi, ut redemptionem corporis nostri dixerit, illam que in resurrectione futura est, cum non solum anime, sed & corpora ueniet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis pro ut gessit.

## EXPLICIT EXPOSITIO ORIGENIS.

Nvllum est creaturę genus, quod non in homine possit agnosci, ac si omnis creatura in eo congemiscit, & dolet, reuelationem filiorum Dei expectans, que per corporis etiam resurrectionem & si non in omnibus hominibus, omnis tamen a corruptionis seruitute liberabitur, quia & singulis omnis est, & si quo alio modo potest idem locus Apostolicarum literarum intelligi, non tamen ex iisdem uerbis consequens est, ut Solem & Lunam & sidera congemiscere credamus, donec in seculi finem a corruptionis seruitute liberentur. Quidam etiam sic dicunt Adam & Eua esse creaturam, per quos primitiæ humani generis procreatę sint, quos serpēs olim spe diuinitatis, uanitati subiectos corruptionis fecerit deseruire, nō per semetipsos solum peccantes, sed & per serpentes in seculum, & ipsi iniquiunt liberabunt, ut corruptioni mortis ultra non seruiant. Omnē etiam creaturā dicunt esse eos, quicunque ante Aduentū Christi iusti fuerit, quia & ipsi nondum accipientes, expectant Deo pro nobis melius aliquid prouidente, non solum autē illis, sed et nos ipsi in quorū diebus redemptionis sacramenta completa sunt, quia nec dum tenemus, sed in spe salui facti sumus, quamuis que multi cupierunt iusti uidere, uiderimus

## ALIA EXPOSITIO.

Existimo enim quod non sunt condigne passiones, &c.) Hinc uult futuram gloriam commendare, ut præsentes pressuras facilius tolleremus.

Ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.) Ideo dicit reuelabitur, quia modò abscondita est, cum Christo in Deo, & nondum apparuit quid erimus, scimus enim quicquam apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est.

Nam expectatio creaturæ.) Diuersi hunc locum, diuersis modis exponunt, siue omnis creatura resurrectionis tempus expectat, quia tunc in melius commutabitur, quādo erit cœlum nouum, & terra noua, & tunc, id est, in tempore resurrectionis, reuelatio apparebit filiorum Dei. Siue omnis creatura, id est rationalis angelica, hoc in hominibus expectat impleri, Petrus enim dicit, Angelos gloriam desiderare sanctorum.

Vanitati enim creatura subiecta est.) Id est, creatura humana præuicinationi est peccando subiecta.

Non uolens.) Id est, non propria uoluntate, sed a serpente decepta, spe illa qua audiri erat. Eritis sicut dii, scientes bonum & malum.

Sed propter eum qui subiecit in spe.) Que est ipsa spes, audi sequentia, quia & ipsa creatura liberabitur a corruptione seruitutis, quam audiuit quando ei Dominus ait: Terra es, & in terram ibis, quæ intelligitur corruptio mortis.

In libertate.) Ut Dominus ait: Si uos filius liberauerit, uere liberi estis.

Gloriæ filiorum Dei.) Soli enim homines, non alia irrationalis creatura gloriæ filiorum Dei merebitur obtinere.

Scimus enim quod omnis creatura &c.) Non cœlum, nō terra, non mare, non aliqua

aliqua irrationalis creatura, sed angeli, qui sicut gaudēt super poenitentiam agentes, ita dolēt super conuerti nolentes. Siue etiam omnis creatura promiscui Ecclesie fidelium populi intelliguntur, ut illud: Prædicare Euangelium omni creaturæ.

Non solum autem illa.) Id est, angelica, quæ nobis benignior est, uel illa hominum que plebeia est & indocta, sed etiam nos ipsi discipuli Christi, qui sumus primitiæ acquisitionis, & præclara charismata, uelut primitiæ spiritus, unde mundū ditaremus, accepimus, expectat redemptionē corporis nostri, id est totius Ecclesie, quæ in æternū est regnatura cū Christo.

## EVANGELIUM LVCAE. CAP. VI.

**D**icite misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, ut non iudicabimini. Nolite condemnare ne condemnabimini. Dimittite, & dimittimini, date, & dabitur uobis, mensuram bonam & cōsertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur uobis. Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueā cadunt? Non est discipulus supra magistrū. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autē uidēs festucā in oculo fratris tui, trabem autem qui in oculo tuo est, non cōsideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine enīam festucā de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem nō uidēs? Hypocrita, erīce primū trabē de oculo tuo, & tunc perspicias ut educas festucā de oculo fratris tui.

**E**stote misericordes, sicut & pater uester misericors est.) Misericors est Deus super ingratos & malos, uel multiplici sua misericordia, quæ etiam iumenta saluat, temporalia bona largiendo, uel cœlestia dona singulari gratia qua electos solum glorificat inspirando. Sed siue hoc siue illud, siue utrunque intelligas, magna Dei bonitate sit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filij Dei esse uolumus.

Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, &c.) Hoc loqui, nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem inter pretemur, quod enim scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, sicuti sunt, supra uel blasphemie, uel furta, uel ebrietates, & si qua sunt alia, de quibus nobis iudicare permittitur. De genere autem ciborum, quia possunt bono animo, & simplici corde, sine uitio concupiscentiæ, quicunque humani cibi indifferenter sumi, prohibet Apostolus iudicare eos, qui carnibus uescebantur, & uinum bibebant, ab eis qui se ab huiusmodi alimentis temperabant. Qui manducat, inquit, non manducantem, non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicat. Ad hoc pertinet etiā illud, quod alio loco dicit: Nolite ante tempus iudicare quicquid, quoad usque ueniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Sunt autē quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. Horum autem ueniet tempus ut iudicentur, cum Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis. Duo sunt autem in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertū est, qualis futurus sit, qui nunc uel malus uel bonus appareat.

Dimittite & dimittimini, date & dabitur uobis.) Dimittere nos iniurias, dare beneficia iubet, ut nobis peccata dimittantur, & uita detur æterna. Qua sententia breui sed eximia, cuncta que latissime de conuersando cum inimicis mandauerat, comprehendendo concludit.

Mensuram bonam, & cōsertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum uestrum.) Huic simile est, quod alibi dicit, ut & ipsi recipiant uos in æterna tabernacula. Non enim pauperes ipsi, sed Christus mercedem his, qui elemosinam fecere redditurus est, quam tamē in sinum dare dicuntur, quia promerendę illius occasionem dedere, cum uel

Gal. 4.

Collo. 2.

Rom. 16.

August.

sol &amp; Luna non congemiscuntur.

Adam et Eua omnis creatura.

1. Ioan. 3.

Gen. 2.

Ioan. 8.

Beda.

Math. 7.

Rom. 14.

1. Cor. 6.

Math. 6.



Cum uel egentes misere, uel inprobe se uidentes, fortiorum sunt & tollerati patientia, & beneficentia sultentati, & ad ipsam aliquoties fidem dulci gratia prouocat.

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur uobis. Et Apostolus ad Eleemosynam Corinthios hortans inter alia dicit: Hoc autem dico, qui parce seminat parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Potest autem & de omnibus quæ mente, manu, lingua, gerimus accipi, quia tu reddes singulis, inquit, secundum opera eorum.

Dicebat autem illis & similitudinem, Nunquid potest cæcus cæcū ducere, nonne ambo in foueam cadent. Sensus huiusmodi sententiæ pendet ex superioribus, ubi de danda Eleemosyna, & iniuria dimittenda præcipitur. Si te, inquit, ira contra uiolentium, & contra petentem φιλᾶργῆς cecauerit, nunquid tua mente uiciata, uicium eius curare poteris? Aut ille solus qui iniuriam fecit, & non tu etiam, qui ferre nescibas reus de putaberis? At si mittē te tranquillū pectoris eius inprobitas inuenerit, & ille ad pœnitentiam mouebitur, & tu patientiæ præmio donaberis, quia cæcum uidente oculo, hoc est, corde sereno ducere curabas ad lumen.

Non est discipulus super Magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Si magister qui utiq; quasi Deus potuit, non suas ultum ire iniurias, sed ipsos maluit insecutores patientiō reddere mitiores, eadem necesse est, discipuli qui puri homines sunt regulam perfectionis sequantur.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Et hoc ad superiora respicit, ubi cæcum à cæco duci, id est, peccantem à peccatore castigari non posse præmonuit. Multi enim superbia, uel odio φιλᾶργῆς, uel auaritia, uel alio quolibet crimine præuenti, leuia hæc aut nulla iudicantes, acerrime corripunt eos, quos subita uiderint ira turbatos, oculum mētis à solito puritatis statu qua si festuca inruente mutasse, atq; immemores dominici præcepti, quo ait: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Magis amant uituperare & damnare, quàm emendare atque corrigere.

Et quomodo potes dicere fratri tuo, frater sine ejciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non uides. Hæc cum fratre agis, si uerbi gratia, quod ira ille peccauit, tu odio reprehendis. Quantum autem inter festucam & trabem, qua si tantum inter iram distat atq; odium? Odium est enim ira inueterata, quasi quæ uetustate ipsa tantum accepit, ut merito appelletur trabes, fieri autem potest, ut si irascaris homini uelis eū corrigi. Si autem oderis hominem non potes eum uelle corrigere, & ideo impossibile dicitur, ut festucam fratris oculo demat, qui suo trabem gestat in oculo.

Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Id est, primo abs te expelle odium & deinceps poteris, iam eum quem diligis emendare, & est uere multum cauendum & molestum hypocritarum, id est simulatorum genus, qui cum omnium uitiorum & accusationes odio & liuore suscipiant, etiam consultores, uideri se uolunt, & ideo pie cauteq; uigilandum est, ut cum aliquem reprehendere uel obiurgare necessitas coegerit. Primo cogitemus utrum tale sit uitium, quod nisi quam habuimus, uel quo caruimus, & si nunquam habuimus cogitemus, & nos homines esse, & habere potuisse. Si uero habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut obiurgationem, non odium, sed misericordia præcedat, ut siue ad correctionem eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem ualuerit, nam incertus est exitus. Nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus, si autem cogitantes nos met ipsos inuenerimus in eo esse uitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neq; obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum inuitemus. Raro ergo, & magna necessitate obiurgationis adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo, ut seruiamus in stemus. Ipse est enim finis, ut nihil duplici corde faciamus. Auferentes trabem de oculo nostro inuidentiæ, uel malitiæ, uel simulationis, ut ualeamus ejcere festucam de oculo fratris.

HEBDO.

HEBDO. VI. POST PENTECOST. EPIST.

B. Petri Apost. Cap. III.



Mnes inanimés estote in oratione, compatibles, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. Non reddentes malum pro malo, uel maledictum pro maledicto, sed e contrario, benedictentes, quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis, qui enim uult uitam diligere & uidere dies bonos, coëreat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet autem à malo & faciat bonum, inquirat pacem & sequat eam, quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est, qui uobis noceat, si boni emulatores fueritis? Sed si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne ti mueritis, ut non cõturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus uestris.

Mnes unanimés estote in oratione, compatibles, fraternitatis, &c.) Quoniam superius diuersas personas, condiciones & sexus, cõgrua sibi discretione docebat, iam nunc omnes communiter admonet in fidei Dominicæ causâ, unum cor & unam habere animam.

Beda,

Quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hereditatis possideatis, &c.)

Potes benedictio hæreditatis & illa intelligi, qua Ecclesia in futura uita, Domino perpetuo benedicit, unde & nunc spe futurorum gratulabunda canit: Exaltabo te Deus meus, rex, & benedicam nomen tuum in æternum, & in seculum seculi. Quod ergo quisq; in futuro inuenire desiderat, hoc in presenti meditari & agere satagat, & conditorem uidelicet & proximum, sincere uoce benedicere, & ipsum diuina pariter, ac fraterna benedictione dignum reddere, quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, uultus autem Domini super facientes mala, quia beatus Petrus malū nos pro malo reddere uetauerat. Imo maledictibus benedicere iussit, recte propheticis testimoniis astruit, superna inspectione & bonos semper uideri & malos, quatenus meminimus & nostrā patientiam, qua toleramus malos, nostram beneuolentiam, qua persequentibus bona optamus, æterno premio remunerandam, & persecutores nostros, si poenitere noluerint, digno plectendos esse supplicio, si uero poenituerint, nos quodq; pro ipsorum salute, quam deprecabamur à Domino, coronam iustitiæ congratulationis accepturos.

Psal. 144.

Psal. 32.

Et quis est qui uobis noceat, si boni emulatores fueritis. De his dicit, quæ nobis aduersarijs per uerba contumeliosa, per damna rerum temporalium, per tormenta corporis accedunt. Hæc enim & huiusmodi omnia cum fidelibus irrogantur, his duntaxat, qui boni emulatores sunt, & hoc per scientiam, nequaquam eis nocere possunt, sed palmam magis poenitentiae æquanimitèr tolerantibus adferunt. Contra illis qui rogant poenam accumulando æterna plurimum nocent. Si quis autem huiusmodi aduersis uictus deuicit, non huic ille qui malum intulit, sed ipse sibi, qui hæc patienter ferre recusauit, nocuit, neq; eorum domus, quam uir sapiens edificauit, ideo non cecidit, quia uiolentias tempestatum non pertulit, sed quia fundata erat supra petram, nec rursus ea, quam stultus stulte fabricauit. Ideo cecidit, quia pulsata tempestatibus est, sed quia super arenam posita erat. Vtramq; etenim æqualiter aduersitas feriens tentauit, sed uni firmitas fundamenti coronam perseverantiæ tribuit, alteram flagellis structuræ stultitia frauit.

Math. 7.

Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati. Non solum, inquit, nihil uobis nocet, qui bonum facientibus male irrogat, sed etiam cum uos propter bona quæ excercatur, hostis insequitur, causam uobis maioris beatitudinis præstat, cum patientiæ uestre uires exercet, iuxta illud Euangelicum: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

Math. 5.

Dominum nostrum Iesum Christum sanctificate in cordibus uestris.)

Quid est Dominū sanctificare in cordibus uestris, nisi sanctitatem eius, quàm sit incõprehensibilis gloriæ, in timo cordis affectu cõtueri, quod est maximum nobis prædictū contra insidias, ac uiolentiam terrentis inimici, semper uidelicet intueri, quantū in se sperantibus uincendi fortitudinē dare ualeat, cuius inestimabilis sanctitas fulget.

x Item

## ITEM ALIA EXPOSITIO IN EANDEM EPISTOLAM.

**O**Mnes unanimes in oratione estote.) Fraternalitas, unanimitas, uelut urbs inexpugnabilis, hostium non patitur insidijs. Habet enim sancta Ecclesia, ut Salomon ait, castrorum aciem ordinatam, quã tyranni & persecutores, unã cum autore suo diabolo non ualent inuempere, quia muniunt Christo, nec martyres persecutio, nec uirgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ deuincit ambitio.

**Compatientes.)** Sicut enim gaudere debemus cum gaudentibus, ita & flere cum flentibus, sicut Paulus faciebat Apostolus, qui dicebat: Qui infirmatur, & ego non infirmor.

**Fraternalitatis amatores.)** Qui ergo amat homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint, amare debet. Sic enim & seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut ut iustus sit. Dilectionem autem fraternalitatem commendat Ioannes Apostolus ad attendam: Qui diligit, inquit, fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est. Et iterum: Dilectissimi Diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognouit Deum, & Dominus, inquit: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis uos inuicem, & in hoc scient omnes, quia discipuli mei estis, si uos inuicem dilexeritis.

**Misericordes.)** Scriptum quippe est: Facere misericordiam magis placet Deo, quã uisitare, & qui pronus est, inquit scriptura, ad misericordiam, benedicetur. Et Dominus ait: Estote misericordes, quia & pater uester misericors est.

**Humiles.)** Scriptum quippe est: Perdet Deus memoriam superborum, & reliquit memoriam humilium. Et Dominus, inquit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & ad quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad humilem & quietum.

**Non reddentes malum pro malo.)** Scriptum quippe est: Ne dicas: Reddam malum pro malo, expecta Deum & liberabit te. Et iterum: Qui uindictam uult, à Deo inueniat uindictam, & peccatum illius seruans seruabitur.

**Vel maledictum pro maledicto.)** In hoc enim exemplum Domini tenendum est, qui cum malediceretur, non maledicebat.

**Sed e contrario benedicentes.)** Vt illud: Benedicite maledicentibus uobis, benedicite, & nolite maledicere.

**Quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hereditatis possideatis.)**

Benedictio est hereditatis omnis uirtutum copia celestis, in qua sancti heredes quidam Dei, coheredes efficiuntur Christi, cum audierint: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi.

**Qui enim uult uitam diligere,) Id est, uitam æternam, uitam beatam, & in perpetuo sine fine mansuram.**

**Et uidere dies bonos.)** In quibus sancti cum sanctis iocundentur in cælis, qui dies non propter interruptionem noctis, sed propter perpetuitatem dicuntur luminis.

**Coherceat linguam suam à malo.)** Id est, à malo detractionis, maledictionis, ac murmurationis, siue generaliter omnino lingua refrenanda est à malo. Ait enim Iacobus: Si quis dicit se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius uana est religio. Nam & qui custodit linguam suam, inquit scriptura, custodit animam suam.

**Et labia eius ne loquantur dolum.)** Dolus nõ dolor, sed fraus intelligitur, quã do aliud corde tenetur, aliud ex ore profertur.

**Declinet à malo & faciat bonum.)** Id est, deseruat uitia & uirtutes ædificet, relinquat aut quæ instigat diabolus, & operetur quæ præcepit Christus.

**Inquirat pacem, & sequatur eum.)** Id est, diligenter orando & legendo, & humiliter interrogando perquirat Christum, qui factus est pax nostra, & immitetur eum. Sequi etenim imitari est, siue secundum Apostolum pacem sequatur & sanctimoniam, sine qua nemo uidebit Deum.

**Quia oculi domini super iustos.)** Id est, aspectus diuinitatis.

**Et aures eius in preces eorum.)** Id est, auditio diuina, qua dignatur preces audire iustorum,

**Vultus autem Domini super facientes mala.)** Vt quid uultus Domini super facientes mala, sequentia audi: Vt perdat de terra memoriam eorum, id est, de terra uiuentium, ut illud: Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur.

**Et quis est qui uobis nocet?)** Subauditur nullus, iuxta huius sententiæ locum, passionem uel persecutionem, non faciunt esse miseros, sed præstat esse beatos.

**Si boni æmulatores fueritis.)** Id est, boni Dei, de quo scriptum est: Nemo bonus nisi solus deus, siue generaliter, siue omnium bonorum æmulatores, id est, imitatores fueritis uirtutum.

**Sed & si quid patimini propter iustitiam beati.)** Subauditur, eritis, hanc sententiam, Dominum dicentem Petrus audierat, ubi ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.

**Timorem autem eorum.)** Id est, persecutorum ne timeritis, ut in fide non conturbemini, & hoc Dominus admonuit, ubi ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Sed potius eum timere, qui habet potestatem animam & corpus mittere in gehennam.

**Dominum autem Christum sanctificate in cordibus uestris.)** Vbi Dominus, qui cuncta creando sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto. Sic Dominus Iesus sanctificandus est in cordibus nostris, ut nomine eius uocemur, id est, Christiani, & ut nihil sancti eius nomine æstimemus. Sanctificemur enim eum in spe, fide, & charitate, credendo colendo, & adorando, ut ab illo sanctificari pariter mereamur & iustificari.

## EVANGELIUM LVCAE. CAP. V.

**V**m turbæ irruerent ad Iesum, ut audirent uerbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth, Et uidit duas naues stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum ut à terra reduceret pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas, ut autem cessauit loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Preceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concloserunt piscium multitudinem copiosam, Rumpebat autem rete eorum, & annerunt socijs qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent eos, & uenerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut pene mergerent. Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium quæ ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæ, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eritis capientes. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

**C**Vm turbæ irruerent ad Iesum, ut audirent uerbum Dei, & ipse stabat, &c.) Beda. Stagnum Genesareth idem dicunt esse, quod mare Galilææ ab adiacente provincia dictum. Mare Tyberiadis à proxima ciuitate, quæ olim Chennereth uocata, sed ab Herode Terrarcha instaurata, in honorem Tyberij Cæsaris, Tyberias est appellata. Porro Genesareth à Lacu ipsius natura, qua crispantibus aquis, de seipso sibi excitare aqua auram perhibetur, Græco uocabulo, quasi generans sibi auram dicitur. Neque enim in stagni morem sternitur aqua, sed frequentibus ac crispantibus uentis, agitur, haustu dulcis, & ad potandum habilis. Sed Hebrææ linguæ consuetudine, omnis aquarum congregatio, siue dulcis, siue salsa, mare nuncupatur. Qui lacus inter fluentia Jordanis, centum quadraginta stadijs, in longitudine, & quadraginta in latitudine extendit. Quia ergo stagnum siue mare præfens seculum designat, Dominus secus mare stat. Postquam uitæ labentis mortalitatem deuincens, in ea qua passus est carne, stabilitatem perpetuæ quietis adiit, turbam eum conuentus ad eum, gentium in fide concurrentium typus est, de quibus

**Esaías.** **C** **E**saías: Et fluent, inquit, ad eum omnes gentes, exhibunt populi multi & dicent: Venite ascenda mus ad montem domini.

**Et uidit duas naues secus stagnum.)** Duæ naues secus stagnum positæ circum cisionem & præputium significant, quas bene Iesus uidisse perhibetur, quia in utroque populo, nouit dominus qui sunt eius, eorumque corda fluctibus seculi huius ad futuræ uitæ tranquillitatem, quasi ad soliditatem litoris uidendo, hoc est, misericorditer uisitando prouehit.

**Piscatores autem descenderant, & lauabant retia.)** Piscatores sunt ecclesiæ doctores, qui nos rete fidei comprehensos, & de profundo ad lumen elatos, quasi pisces litori, sic terræ uiuentium aduehunt. Quasi enim quædam retia piscantium sunt complexæ prædicationum dictiones, quæ eos quos ceperint, in fide non amittant. Unde & retia, quasi retinentia sunt uocata, sed hæc retia modo laxantur in capturam, modo lota plicantur, quia non omne tempus est habile doctrinæ, sed nunc exerenda lingua doctoris, nunc suimet cura gerenda.

**Ascendens autem in unam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas.)** Nauis Simonis est ecclesia primitiua, de qua Paulus ait. Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Bene una dicta, quia multitudinis credentium erat cor & anima una, de qua docebat turbas, quia de auctoritate ecclesiæ docet usque hodie gentes.

**Gal. 1.**  
**Acto. 3.**

**August.**

**Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem, duc in altum, & laxate retia uestra in capturam.)** Quod primo rogauit Simonem nauem à terra reducere pusillum, significat uel temperate utendum uerbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profunda sacramentorum recedatur, ut ea pœnitentis non intelligant, uel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum, ut quod dicitur item Petro, duc in altum, & laxate retia uestra in capturam, ad remotiores gentes, quibus postea prædicandum est pertineat.

**Psal. 126.**

**Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete.)** Nisi dominus ædificauerit domum, in uanum laborant qui ædificant eam. Nisi dominus cor inlustrauerit auditorum, doctor in nocte laborat, nisi in uerbo gratiæ supernæ laxata fuerint instrumenta disputationis, frustra uocis suæ prædicator iaculum mittit, quia fides populorum, non sapientia uerbi compositi, sed diuinæ uocationis munere præuenit.

**Greg.**

**Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.)** Præ multitudine piscium rete rumpebatur, quia nunc ad confessionem fidei, etiam cum electis reprobis tanti intrant, qui ipsam quoque ecclesiam hæresibus seindant. Rumpitur autem rete, sed non elabatur piscis, quia suos dominus etiam inter persequentium scandala seruat.

**2. Timoth. 2.**

**Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut ueniret & adiuuarent eos.)** Alia nauis, ut præ diximus, est ecclesia de gentibus, quæ & ipsa non sufficiente una nauicula piscibus impletur electis, quia nouit dominus qui sunt eius, & apud ipsum certus est suorum numerus electorum. Dumque tot in Iudæa credituros non inuenit, quos ad fidem uitamque prædestinatos nouit æternam, quasi alia nauis receptacula piscibus quærens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet. Et bene rupto rete focia nauis aduocatur, quoniam ante Iudas proditor, ante Simon magus pisces nequissimi capti sunt. Antea Ananias & Saphira fidei rete subdole tentabant ingredi, ante, ut Ioannes testatur, multi discipulorum eius abierunt retro, etiam non cum illo ambulabant. Ac deinde Barnabas & Paulus ad salutem gentium sunt uocati.

**Acto. 5.**  
**Iohan. 6.**  
**Acto. 11.**

**Et uenerunt & impleuerunt ambas nauiculas ita, ut penè mergerentur.)** Harum impletio nauium, usque in finem seculi crescit. Sed quod implet merguntur, hoc est, in submersionem præmuntur. Non enim submersæ, sed tamen sunt periclitatæ, Apostolus exponebat dicens: In nouissimis diebus, erunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, &c. Nam mergi naues, est homines in seculum, ex quo elati per se dem fuerunt, morum prauitate relabi, qualis & ipse Petrus adhuc in infirmitate positus, hoc loco demonstrat, unde sequitur.

**August.**

**Quod cum uideret Simon Petrus, &c.)** Quia carnales quique in ecclesia regimur spiritualium, in quibus maxime Christi persona eminet, à se quodammodo repellunt. Non enim hac uocelinguæ dicunt bonis ministris dei, ut eos à se repellant, sed uoce morum & actu suorum suadent

**A** suadent à se recedi, ne per bonos regantur. Et eo uehementius quod deserunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere ammonent, ut honorificentiam eorum significauerit Petrus cadens ad pedes Domini. Mores autem in eo quod ait: Exi à me Domine, quia homo peccator sum, quæ tamè, quia non fecit Dominus, non enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad littus perduxit, significat in bonis & spiritualibus uiris, non esse oportere hanc uoluntatem, ut peccatis turbarum commoti, quo quasi securius tranquilliusque uiuant, munus Ecclesiasticum deserant.

**Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere.)** Confortat Dominus timorem carnalium, animosque fragillum consolando erigit, ne quis uel de sua conscientia, & culpa tremens, uel de aliorum innocentia stupens, sanctitatis iter formidet adgredi, quod autem sequitur:

**Ex hoc iam homines eris capiens.)** Ad ipsum Petrum specialiter pertinet. Exponit enim ei Dominus, quid hæc captura piscium significet, quod uidelicet ipse, sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per uerba sit capturus homines, totusque facti huius ordo quid in Ecclesia, cuius ipse typum tenet, quotidie geritur, ostendat, quod uero subiungitur:

**Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.)** Potest significare, sine temporis, quo ab huiusmodi seculo, qui Christo inhaerent, penitus recessuri sunt. Sciendum est autem hanc eandem non esse lectionem, qua Mathæus & Marcus hinc nos de nauiculis piscatores, primo Petrum & Andream, deinde filios Zebedæi à Domino narrat esse uocatos, non enim eos Lucas nunc à Domino uocatos, sed tantum Petro fuisse prædictum, quod homines esset capturus insinuat, quod non ita dictum est, quasi iam pisces nunc esset capturus. Nam & post resurrectionem Domini legimus eos iussisse piscari, unde datur intelligi, eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret, quod Mathæus & Marcus narrat, quando eos binos uocauit. Tunc enim non subductis à terra nauibus, tanquam cura redeundi, sed ita cum secuti sunt, tanquam uocantem ac iubentem, ut sequerentur.

## IN VIGILIA SANCTI IOANNIS

LECTIO Hieremiæ Prophetæ Cap. I

**B** **R**iusque te formarè in utero noui te & antequam exires de uulua sanctificauit te, & Prophetam in gentibus dedi te, & dixi ah ah ah Domine Deus: Ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, quia puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & uniuersa quæ mandaui tibi loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ecce constitui te super gentes & super regna, ut euelas & destruas & disperdas & dissipas, & ædifices & plantes, dicit Dominus omnipotens.

**P**riusque te formarem in utero noui te, & antequam exires de uulua sanctificauit te, & Prophetam in gentibus dedi te.) Non quod ante conceptionem, ut hæreses suspicantur fuerit Hieremias, sed quod præscierit eum futurum Dominus, cui necdum facta, iam facta sunt, secundum illud quod Apostolus loquitur, qui uocat ea, quæ non erant, Rom. 4. quasi ea quæ essent. Quidam hunc locum super saluatore intelligunt, qui propriæ Propheta est gentium, & per Apostolos uocauit omnes nationes. Iste enim uere priusquam in utero formaretur uirginali, & antequam exiret de uulua matris, sanctificatus in utero est, & notus patri, quippe qui semper in patre, & in quo semper pater.

**Et dixi, ah ah ah Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum, Noli dicere, quia puer sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & uniuersa quæ mandaui tibi loqueris, ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum ut eruam te dicit Dominus.)** Quando autem uenit in corpus humanum, dicit in exordio: nescio loqui, quia iuuenis ego sum: iuuenis propter dispensationem, senex iuxta hoc, quod primogenitus omnium creaturæ. Iuuenis, quia in consummatione etiam seculi & in

Cextremum huius uitae tempus aduenit, dicit itaq; nescio loqui. Scio enim quaedam maiora loqui, scio eloqui tui, uerbum tuum sum. Tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, iuuenis sum.

Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum & dixit Dominus, &c.)

2. Thessal. 2. Seruone Dei suffodietur atq; destruetur illa, quam consumet Iesus spiritu oris sui, & destruet aduentu praesentiae suae, omnem scilicet sacrilegam peruersamq; doctrinam disperdet in peperuum. Porro ea quae eleuantur contra scientiam Dei, & in sua confidunt sapientia, quae apud Deum stulticia est, dissipabit atq; deponet, ut aedificentur pro his similia, & in loco superiorum quae destructa sunt, & euulsa extruantur atq; plantentur, quae Ecclesiasticae conueniunt ueritati, & impleatur illud quod dicit Apostolus: Dei aedificatio, Dei agricultura estis. Multi hunc locum super persona Christi intelligunt. **2. Cor. 3.** enim interpretatur excelsus Domini, qui destruxit regna diaboli, quae sibi in excelsu monte ostenderat, aduersarias perdidit potestates, delens chirographum errorum in cruce, de quibus & in Psalmo post hystoriae ueritatem **Psalm. 2.** loquitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terrae & principes conuenerunt in unum: Pro his euulsis, destructis, perditis & in inferiora detractis, aedificatur Ecclesia Dei.

## EVANGELIUM LVC AE CAP. I.



Vit in diebus Herodis Regis Iudaeae sacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis, factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suae ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotum sorte exiit, ut incensum imponeret, ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris, hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est uidens, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quonia exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomen eius Ioannem. Et erit tibi gaudium & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & uinum & siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur, adhuc ex utero matris suae, & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu & uirtute Heliae, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

**F**Vit in diebus Herodis Regis Iudaeae sacerdos nomine Zacharias.)

**Beda.** Sacro sancta praecursoris Domini nobilitas non solum a parentibus, sed a progenitoribus gloriosa descendit, quatenus aduentus illius fidem, non subita inspiratione conceptam, uerum auita magis propagatione susceptam liberius praedicaret.

De uice Abia.) Viginti quattuor de sacerdotibus ordines in ministerio domus Domini sorte a Salomone sunt diuisi, in quibus Abia familiae, de qua Zacharias ortus est, fors conigit octaua. Non frustra primus Noui Testamenti praeco in octaua sortis uice nascitur, quia sicut septenario saepe numero propter sabbatum Vetus Testamenti, sic nouum aliquoties octonario propter sacramentum resurrectionis exprimitur, unde quia non aliter quam per obseruationem utriusque testamenti regni caelestis aula penetratur, recte & in templo Salomonis mysticus quiddecim graduum ascensus fuisse narratur.

Et uxor eius de filiabus Aaron.) Plena igitur laudatio, qua genus, mores, officium, factum iudicium comprehendit. Genus in maioribus, mores in equitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in iustificatione iudicium.

Erant

**A** Erant autem iusti ambo ante Deum.) Beatus qui in conspectu Dei iustus est, atq; laudabilis. Euenit quippe, ut laudent homines eum, qui non est laudabilis, & ei detrahant, qui minime detractio dignus est. Solus Deus, & in laude, & in uituperatione iustus est iudex.

Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.) Plerumque iustitia durior, hominum quarelam prouocat, quae uero temperata est, ipsa sua dulcedinis gratia etiam inuidiae quereioniam uitat.

Quando enim facimus mandatum Dei, & in conscientia nostra uanę glorię sordes spargimus, **Amb.** ut hominibus placeamus, non illud absque quarela facimus.

Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias, &c.) Qui enim forte eligitur, humano iudicio non comprehenditur, ille igitur querebatur, quem iste figurabat, uerus in aeternum sacerdos, cui dicitur: Tu es sacerdos in aeternum, qui non hostiarum cruore, sed proprio **Psalm. 110.** patrem Deum generi reconciliaret humano. Sed tunc sanguis fundebatur, in specie sacerdos ordinabatur. Nunc quia ueritas uenit, relinquamus speciem, & ueritatem sequamur. Tunc quidem uices erant, nunc autem est perpetuitas, quem alium significabat Zacharias sacerdos, nisi eum sacerdotem, cui sacrificium non esset commune cum caeteris, qui non in manu factis templi sacrificare pro nobis, sed in sui corporis templo nostra peccata uacuare.

Sorte exiit ut incensum poneret &c.) Incensum autem in sancta sanctorum &

Pontifice deseri, expectante foris templum omni populo, decima die septimi mensis est iustum. Et hanc diem expiationis, siue propitiationis uocari, quae apud nos ob uarium Lunę discursum, a qua mensis computant Hebraei, modo in septembri Mense, modo incipit in Octobri, quia scilicet mensis, quo pascha geritur, anni principium tenet, dicente Domino: Mensis iste uobis primus erit in mensibus anni. Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum, &c. Huius diei mysterium impleuit uerus Pontifex Iesus, quando completa dispensatione carnis in sanguine proprio, caeli secreta subiit, ut propitium nobis faceret patrem, & interpellaret pro peccatis eorum, qui ad huc praeforibus orantes expectant & diligunt aduentum eius.

**B** Apparuit autem illi angelus Domini, &c.) Non immerito angelus uidetur in templo, quia ueri sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & caeleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Vtinam & nobis a dolentibus uel sacrificium deferentibus, adfuit angelus. Non enim dubites adfuisse angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur, etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Bene angelus & in templo & iuxta altare & a dextris apparet, quia uidelicet, & ueri sacerdotis aduentum, & mysterium sacrificii, uniuersalis & caelestis doni gaudium praedicat. Nam sicut per sinistram praesentia, sic per dexteram saepe bona pronunciantur aeterna. **Beda:**

Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, &c.) Deprecationem dicens exauditam, partum continentem promittit uxoris. Non quod ille, qui pro populo oblaturus intrauerat, relictis publicis uotis, pro accipiendis filiis orare potuerit, sed quod dicit: Exaudita est deprecatio tua, pro populi redemptione significat. Quod uero adiungit, & uxor tua pariet tibi filium, eiusdem redemptionis ordinem pandit, quod uidelicet natus Zachariae filius, redemptori illius populi praekonando sit iter facturus.

Et erit gaudium tibi, & exultatio, &c.) Et notandum, quod nato praecursore, multi gaudent. Nato autem Domino, annunciat angelus gaudium magnum, quod erit omni populo, quia uidelicet hic salutem multis praedicare, ille omnibus, qui uelint, aduenit donare.

Et erit magnus coram Domino.) Non corporis hic, sed animae magnitudine declarauit. Est coram Domino magnitudo animae, magnitudo uirtutis, est etiam paruitas animae, & pueritia uirtutis. **Amb.**

Vinum, & siceram non bibet.) Sicea interpretatur ebrietas, Hebraice **Beda.** quo uocabulo Hebraei omne quod inebriari potest poculum siue de pomis siue de frugibus seu de qualibet alia materia confectum significant. Decet enim uas caelestis gratiae mancipatum a seculi illecebri castigare, nec uiuino, in quo est luxuria, inebriari eum, qui musto spiritus sancti desiderat impleri.

Et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.) Non est dubium uerum hoc angeli esse promissum, siquidem sanctus Ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus, spiritus accepti gratiam designauit. Cui enim adest spiritus gratiae, nihil deest, & cui spiritus sanctus infunditur, magnarum est plenitudo uirtutum. **Amb.** \* 4 Et mul-

**C** Et multos filiorum Israel, conuertet ad Dominum Deum ipsorum.)

Cum Ioannes qui Christo testimonium perhibens, in eius fide populos baptizabat, dicitur filios Israel ad Dominum Deum ipsorum conuertisse, patet profecto, Christum esse Dominum Deum ipsorum.

Et ipse precedet ante illum in spiritu & uirtute Heliae.) Bene in spiritu, & uirtute Heliae precedere dicitur, quia sicut ille praece uenturi iudicis, ita hic praece factus est redemptoris. Unde & conuersatione prorsus simillima, ambo deferta secuti, uictu frugi, uertitu inculti, cinctus sunt despecti, ambo regis & reginae ueniam tollerarunt. Ille Jordanem caelum petiturus diuisit, hic ad lauachrum salutare quo caelum petatur, conuertit. Hic cum Domino uersatur in terris, ille cum eo manifestatur in gloria.

Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam, &c.)

Corda patrum in filios conuertere, est spiritualem sanctorum antiquorum scientiam populis predicando infundere. Prudentia uero iustorum est, non de legis operibus iustitiam presumere, sed ex fide salutem quaerere.

### IN NATALI. S. IOANNIS BAPTISTAE

Lectio Esaiæ Cap. XLVIII.



**A** Videte Insule, & attendite populi de longe. Dominus ab utero uocauit me, de uentre matris meae recordatus est nominis mei. Et posuit os meum, quasi gladium acutum, sub umbra manus suae protexit me: Et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, et dixit mihi: Seruus meus es tu Israel, quia in te glorabor: Et nunc hec dicit Dominus, formas me ex utero seruum tibi, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Reges uidebunt & consurgent Principes, & adorabunt Dominum Deum tuum & sanctum Israel, qui elegit te.

Hiero.  
Esai. 48.

**A** Videte Insulae & attendite populi de longe.) Post uocationem ergo reliquiarum Israel & abiectionem, in incredulitate populi permanentis, de quibus dixerat: Non est pax impijs dicit Dominus, transit ad Ecclesias de gentibus congregatas, & eis sub Insularum nomine loquitur, quae persecutorum insidij, quasi maris fluctibus patent, & ex omni parte sequente naufragio rudentur potius quam mouentur. Ac ne quis putet uolentiam esse expositionem nostram, & non ad gentes pertinere quod dicitur, sed ad synagogas populi Iudeorum.

Et attendite populi siue gentes de longe.) Hoc est, ab extremis finibus terrae uelut septuaginta transfulerunt, *δια χειρὸς πολλοῦ στρατοῦ*. Post tempus multum stabit, hoc est, non hoc tempore quo dicuntur, sed post multa sient tempora, sequitur.

Dominus, inquit, ab utero uocauit me, de uentre matris meae, &c.)

Quod nunc interim audientibus uidetur obscurum, postea autem cunctis gentibus notum fiet, quando Gabriel Ioseph de partu dixerit uirginali, & uocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.

Matth. 1.

Et posuit os meum, quasi gladium acutum.) Posuit quoque os eius, quasi gladium acutum, ut spiritu oris sui interficiat impium. De quo gladio ipse in Euangelio loquitur. Non ueni pacem mittere in terra, sed gladium, malos a bonis separans. Venit enim diuidere hominem contra patrem suum, & filiam contra matrem suam, & nurum contra socrum suam.

Matth. 10.

Et in umbra manus suae protexit me.) In umbra manus Dei se esse protectum asserit, ut carnis uilitas diuinitatis potentia tegetur, angelo ad uirginem nunciante: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi.

Luce 1.

Et posuit me, quasi sagittam electam, &c.) Quando dicit sagittam electam, ostendit habere Deum sagittas plurimas, sed non electas, quae sagittae Prophetarum sunt & Apostoli, qui in toto orbe decurrunt, de quibus in alio loco canitur, Sagitte ruarum acutae, potentes sunt, populi sub te cadent. Et iterum, Sagitte potentis acutae, cum carbonibus desolatorijs. Christus autem de multis sagittis & filijs plurimis una sagitta electa, & filius unigenitus est, quia in pharetra sua abscondit, id est, in humano corpore, ut habitaret in eo plenitudo diuinitatis corporaliter. Raraque est creditum fides, cui & supra dicit: Tu es Deus absconditus, & nesciebamus. Quae sagitta & sponsa uulnus accipiens loquitur in Cantico canticorum: Vulnerata charitate ego sum. Seruus

Psal. 44.

**A** Seruus meus es tu, quia in te glorificabor.) Seruus, quia cum in forma Dei *Cant. 4.* *Phil. 2.* ex utero, qui & in Psalmo dicit: De uentre matris meae, Deus meus es tu. Et Israel, quia natus de femine Iudaeorum, quodque de nullo alio seruatorum intelligi potest, iungitur: Quia in te glorificabor. Dicit enim & ipse in Euangelio: Pater glorificauit nomen tuum, qui in Psalmo loquitur: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara, id est omnium uirtutum chorus.

Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea, usque ad extremum terrae.)

Id est, ut inluminem uniuersum mundum, & salutem meam, per quam omnes salui fiant usque ad extremum terrae facies peruenire. Haec enim per Apostolorum praedicationem facta cognoscimus, de quibus Psalmista praedicens, ait: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrae uerba eorum.

Reges uidebunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter dominum

**D** Deum tuum, & sanctum Israel, qui elegit te.) Haec sient quando uenerit Christus in gloria patris cum angelis suis, & sederit in throno gloriae suae, iudicare uiuos & mortuos, Tunc omnes adorabunt propter dominum patrem suum, quia fidelis est, qui elegit eum, siue ita intelligendum. Reges quorum cor in manu Dei est, & ecclesiae principes adorabunt eum, quia fidelis est dominus sanctus Israel. De Christo etenim & quae sequuntur intelligi possunt, dicit enim: in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui. Huius testimonio Apostolus usus est, dicens: Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Tempus placitum & opportunum, & dies salutis passio saluatoris est, & resurrectio, cui & idem pater in subsequens ait: Dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, ut dices his qui uincti sunt, exite & his qui in tenebris, reuelamini. In foedus populi subauditur Iudaeorum, his uidelicet, qui ex illis credere uoluerunt, & suscitauit terram, quae in idololatriae iacebat erroribus, & possidebit hereditates dissipatas, quae habitatorem non habebant dominum, & dicit his, qui peccatorum uinculis stringebantur, exite, quia funibus peccatorum suorum uniusquisque constringitur, & his qui sedebant in tenebris, & lucem uidere non poterant, ait, Reuelamini, hi enim omnes postquam conuersi fuerint, & clarum lumem Christi aspexerint, pascentur in uis & semitis sacrarum scripturarum, & dicent: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascae ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me. *2. Cor. 6.* *Psal. 22.*

B

### EVANGELIUM SECVNDVM LVCAM Cap. I.



**L**izabet impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo. Venerunt circūcidere puerum, & uocabant eum nomine patris sui Zachariae. Et respondens mater eius & dixit, nequaquam, sed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem uellet uocari eum. Et postulans pugilarem, scripsit dicens: Ioannes est nomen eius, & admirati sunt uniuersi. Apertum est autem illico os eius & lingua & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iudaeae diuulgabantur omnia uerba haec. Et posuerunt omnes qui audierunt in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto & prophetauit dicens: Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suae.

**E**Lizabet autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.)

Verbum impletionis sancta scriptura in bonorum tantum ortu, uel obitu, uel actu proprie consueuit, quarum uitam plenitudinem perfectionis habere significat. Denique Elizabeth impletum est tempus pariendi. Impleti sunt dies Mariae ut pareret. Impleuit Salomon aedificare domum Domini. Defunctus est Abraham uel alius aliquis patrum senex &



*Pfal. 54.* C plenus dierum, & postquam uenit plenitudo temporis misit Deus filium suum, at contra dies impiorum inanes, & uacui, uiri enim sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

*August.*

Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa & congratulabantur ei. Habet sanctorum editio laetitia plurimorum, quia commune est bonum. Iustitia enim communis est uirtus, & ideo in ortu iusti futuræ uitæ insigne promittitur, & gratia securæ uirtutis exultatione uiciorum prefigurante signatur.

Et factum est in die octaua, uenerunt circumcidere puerum & uocabatur eum nomine patris sui Zachariam, & respondens Mater eius dixit: nequam, sed uocabitur Ioannes. Mire sanctus Euangelista præmittendum putauit, quod plurimi infantem patris nomine Zachariæ appellandum putarunt, ut aduersas matris nomen alicuius displicuisse degeneris, sed id sancto inuisum spiritu, quod ab angelo ante Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille murus intimare uocabulum filij nequiuit uxori, sed per Prophetiam Elisabeth didicit, quod non dederat à marito.

Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. Innebant patri eius, quem uellet uocare eum, & postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius, & mirati sunt uniuersi. Ioannes est, inquit, nomen eius, hoc est, non ei nos nomen imponimus, quia iam à Deo nomen accepit, habet uocabulum suum, quod agnouimus non quod elegimus, nec miraris si nomen mulier, quod non audiuit adferuit, quando spiritus sanctus, qui angelo mandauerat, reuelauit. Neque poterat Domini ignorare prænunciatum, quæ Propheauerat Christum. Er bene additur: Quia nemo in cognatione eius uocat hoc nomine, ut intelligas nomen non generis esse sed uas.

*D*

Apertum est ilico os eius & lingua & loquebatur benedicens Deum, & factus est timor super omnes uicinos eorum. Quia uox clamantis in deserto est nata, merito est lingua parenti soluta, neque enim patrem à laudibus silere decebat, qui uerbi præcone sibi nato gaudebat, quippe cui labia quæ incredulitas uinxerat, fides iam soluit. Verum hæc etiā Allegorice, si quis perscrutari desiderat, Ioannis celebrata natiuitas, gratiæ Noui Testamenti est inchoata sublimitas. Cui uicini & cognati patris nomen, quia Ioannis imponere malebant, quia Iudei, qui legis ei obseruatione, quasi ad finitatem iuncti erant, magis iustitiam, quæ ex lege est, sectari, quam fidei gratiam suscipere cupiebant. Sed Ioannis, hoc est, gratiæ Dei uocabulum mater uerbis, pater literis intimare fatagunt. Quia & lex ipsa Psalmicæ ac Prophetæ apertis sententiarum uocibus gratiam Christi prædicant, & sacerdotium illud uetus figuratis ceremoniarum & sacrificiorum umbris eidem testimonium perhibet. Pulchreque Zachariæ octaua die prolis editæ loquitur, quia per Domini resurrectionem, quæ octaua die post septimam sabbati facta est, occulta sacerdotij legalis archana patuerunt, linguaque Pontificum Iudeorum, quam diffidentia uincula strinxerant, intelligentiæ rationabili est uoce soluta.

*Pfal. 110.*

Et super omnia montana Iudææ diuulgabatur omnia uerba hæc. Et posuerunt in corde suo dicentes: Quid putas puer iste erit, etenim manus Domini erat cum illo. Magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius. Ecce enim unum Zachariæ silentium, non ipsi tantum cum datur ad poenam incredulitatis, & signum credendi proficit, sed & cum auferitur, omnes uicinos eius miraculo ac timore stupefacit. Omnia circumquaque montana fama nati Prophetæ profundit. Omnes qui audire poterant, ad perquirendum diligentius pueri qui natus est modum, statumque sollicitat, ut his uidelicet atque huiusmodi futuris Christi Prophetæ commendetur auspicijs, iterque (ut ita dixerim) præcursori ueritatis præcurrentia signa præbeant.

Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, & Prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israël, quia uisitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Quanta superni muneris est largitas, si prompta ad accipiendum nostræ fidei sit pietas. Ecce loquela quæ sola est ablata diffidenti, cum spiritu Prophetæ est restituta credenti. Uisitauit autem Dominus plebem suam, quasi longa infirmitate tabescens, & quasi uenditam sub

*A* sub peccato uicini filij sui sanguine redemit. Quod quia beatus Zacharias proxime faciendum cognouerat, Prophetico more, quasi iam factum narrat. Et notandum quod uisitasse & redemisse plebem suam dicitur, non quia uidelicet, hanc ueniens suam inuenit, sed quia uisitando suam fecit, cui simile est, quod in prouerbiorum sine de eadem plebe cantatur: Mulierem fortem quis inueniet? Neque enim eandem mulierem uidelicet, Ecclesiam fortem, id est, fidem deuotam inuenit, sed sibi despondendo fortem reddidit, quia suæ fidei sublimitate perfecit. *Pro. ultimo.*

## IN VIGILIA SANCTI PETRI APOST. LECTIO

Actuum Apostolorum. Cap. III.



*B* Petrus & Ioannes, ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam uir, qui erat claudus ex utero matris sue baiulabatur, quem quotidie ponebant ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum uidisset Petrum & Ioannem, incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa eius manu dextera, alleuauit eum. Et protinus consolidate sunt bases eius & plantæ, & exiliens stetit & ambulabat. Et intrauit cum illis in templum, ambulans & exiliens & laudans Deum. Et uidit eum omnis populus ambulans & laudans Deum, cognoscebant autem illum, quoniam iam ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat, ad speciosam portam templi, & repleti sunt omnes stupore & extasi, in eo quod acciderat illi.

*B* Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Apostoli nona hora templum ingressuri, primo claudum diu debilem saluant, deinde ad uesperam usque laborantes, multa hominum milia, uerbo fidei imbuunt. Quia doctores Ecclesiæ, in finem mundi uenientes, & languenti prius Israël, & postmodum etiam gentilitati prædicant. Hij sunt enim operarij, quos nona & undecima hora in uineam patrisfamilias inducit. *Matt. 20.*

Et quidam uir, qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur. Quia populus Israël non solum Domino incarnato, sed à primis etiam legis temporibus datæ rebellis extitit, quasi ex utero matris claudus fuit, quod bene Iacob cum angelo luctante, benedicto quidem, sed claudicante figuratur, quia populus Domino in passione præualens, in quibusdam per fidem benedictus, in quibusdam uero est per infirmitatem claudus. *Ioan. 10.*

Quem ponebant quotidie ante portam templi quæ dicitur speciosa, &c. Porta templi speciosa Dominus est, per quem si quis introierit, saluabitur. Ad hanc portam debilis Israël ire non ualens, legis, prophetarumque uocibus adseruit, ut ab ingredientibus interiora sapientiæ fidei audiret deponeret auxilium, qui uaticinia futurorum, quasi ad portam pontificum auditores. Sed Petri est in templum perducere, cui pro confessione forti, & cognomen petreæ & clauis cæli sunt datæ.

Argentum & aurum non est mihi. Habuit quidem uetus tabernaculum iustificationes culturæ, & sanctum seculare auro argentoque distinctum, sed metallis legis sanguis Euangelij preciosior emicat, & populus ille, qui ante auratos postes mente debili iacuerat, in nomine crucifixi saluatus, templum regni celestis ingreditur. Alioquin beatus Petrus, Domini ci memor præcepti, quo dicitur: Nolite possidere aurum & argentum, pecuniamque ad pedes Apostolorum ponebant, non sibi recondere, sed ad usum pauperum, qui sua patrimonialia reliquerant, reseruare solebant. *Hebr. 7.*

Et adprehensa manu eius dextera, alleuauit eum, &c. Quem uerbo erigit, hunc etiam dextera confortat, quia sermo docentis, in corde auditorum minus ualeat, si non etiam propriæ actionis commendetur exemplis, *Matt. 10.*

Et exiliens

C Et exiliens stetit & ambulabat & intrauit cum illis in templum.) Ordo perfectionis egregius, primo illum resurgere qui iacuerat, deinde arripere uirtutē, & sic regni ianuam cum Apostolis intrare.

Et impleti sunt stupore & extasi, &c.) Extasi in pauorem dicit. Nam alio modo dicitur extasis, cum mens, non pauore alienatur, sed aliqua inspiratione aut reuelatione adsumitur.

## EVANGELIUM IOANNIS CAP. VLT.

**D**ixit Iesus Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pisce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pisce agnos meos. Dicit ei tertio: Simō Ioannis amas me? Et cōtristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Quia amas me, & dicit ei: Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pisce oues meas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas ubi uolebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quō non uis. Hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.

**D**ixit Iesus Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te.) Virtutem nobis perfectę dilectionis præsens Domini nostri interrogatio ostendit, perfecta enim dilectio est, qua Dominum ex toto corde, tota anima, tota uirtute, proximum autem tanquam nos ipsos diligere iubemur, & neutra harum dilectio sine altera ualet, aut est perfecta, quia nec Deus uere sine proximo, nec sine Deo uere potest proximus amari.

Dicit ei: Pisce agnos meos.) Ac si aperte diceret, & hæc sola & uera est probatio integri in Domino amoris, si erga fratres studueris curam solliciti exercere laboris. Nam qui cūq; fratri opus pietatis, quod ualet impendere, negligit, minus iuste se conditorem diligere ostendit, cuius mandata in sustentanda proximi necessitate contemnit.

Dicit ei iterum: Simon Ioannis amas me? at ille: etiam Domine, tu scis quia amo te.) Simon namq; obediens, Ioannes dicitur Dei gratia, & propter ea recte primus Apostolorum, cū de amore suo requiritur, Simon Ioannis, id est, obediens Dei gratia uocatur, ut liquido cunctis ostendatur hoc, quod maiore præ ceteris obedientia Deum iussis obsequitur, quod ardentiori illum charitate amplectitur non humani meriti, sed muneris esse diuini. Cautē ac temperatē & simplici uoce ait: Domine tu scis quia amo te, quod est aperte dicere, scio quia te, ut tu melius nocti, integro corde diligo, quā uero te alij diligant, mihi quidem ignotum, sed tibi sunt omnia nota.

Contristatus est Petrus, quia dixit ei ter amas me. Et dicit ei: Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te, dicit ei: Pisce agnos meos.) Prouida autem pietate Dominus tertio Petrum an se diligit interrogat, ut ipsa trina confessione uincula, quæ ille ter negando ligauit, absoluat, & quoties territus eius passione, qua illum nosse negauerat, toties resurrectione creatus, quod illum toto amet corde testatur. Sed hoc pastori est fixo corde tenendum, ut eos quibus præ est, nō quasi suos proprios, sed ut Domini sui gregem tractare meminerit iuxta illud quod Petro dicitur: Si diligis me, pisce oues meas: Meas, inquit, non tuas, meas tibi oues commendatas scio, & has quasi meas regere, si me perfecte amas recole, ut meam uide licet in eis gloriam, meum Dominiū, mea lucra non tua propria quæras.

Dilectio ampliorem quā amor retinet qualitatem, et ideo dicente Domino: Simon Ioannis diligis me, non ausus est Petrus sateri dilectionis se habere mensuram, sed humiliter profiteretur amare se. Superior enim amor dilectio reperitur, deniq; tertia appellatione Dominus interrogans Petrum, quia non sicut prioribus uicibus duabus dixerat, diligis, sed amas me. Contristatus est Petrus, cur in tertia interrogatione non dixerit, diligis me, sed amas me, uelut iam non

Vulg.

non de sublimi ordine dilectionis, sed de inferiore amoris gratia percunctatus.

A Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas ubi uolebas, cum autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget & ducet, quō tu non uis.) Ac si patenter dicat, Quanta me charitate diligas, hinc aliquando probabis, cum pro paruulorum meorum uita ad morte certando perueneris, ut & illi in corpore possint pariter & mente saluari, ipse tormenta corporis omnia, quæ aduersariū infligere liber, forti mentis constantia tolerabis. In extensione enim manū positionem membrorum eius, qua cruci erat aptandus insinuat. In cinctione alterius impositione uinculorum, quibus à persecutore erat arcendus exprimit. In ducto quō noller, ipsam mortis ac passionis acerbitatem indicat, quam corporalis eius infirmitas horrebat, cuius animi firmitas spiritalis etiam aduersa pro domino lætabatur cuncta perferre. Non enim uoluntatem suam, sed uoluntatem quærebat eius qui misit eum Christus.

Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.)

Clarificauit quippe Petrus morte sua Deum, quando hoc indicio cunctis quantum Deus esset colendus, amandusq; monstrauit, dum ipse data opatione mallet crucis subire tormentum, quam à celestis uerbi prædicatione cessare.

IN NATALI SANCTI PETRI LECTIO  
Actuum Apostolorum. Cap. XII.

**M**isit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradensq; quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, uolens post pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, uinctus duabus cathenis, & custodes ante hostium custodiebant carcerem, & ecce angelus domini astitit, & lumen reuulsit in habitaculo carceris, percussosq; latere Petri excitauit eum dicens: Surge uelociter, Et ceciderunt cathenę de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Precingere & calcia te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi uentimentum tuū, & sequere me. Et exiens sequebatur eum & nesciebat quia uerum est, quod fiebat per angelum, æstimabat autē se uisum uidere. Transseuntes autem primā & secundam custodiam, uenerunt ad portam ferreā, quæ ducit ad ciuitatem quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt uicum unum. Et continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio uere, quia misit dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia.) Hunc Herodē tertio Claudij anno, sui uero regni septimo, ab Angelo percussum, narrat historia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio &c.) De hoc Iacobo Clemens Alexandrinus historiam quandam dignam memoria refert. Et is, inquit, qui obtulerat eum Iudici ad martyrium (Iacobum scilicet) motus etiā ipse, confessus est se esse Christianum. Ducti sunt autem ambo pariter ad supplicium, & cum ducerentur in uia, rogauit Iacobum, dari sibi remissionem, ac ille parumper deliberans, Pax tibi, inquit, & osculatus est eum, & ita ambo simul capite plexi sunt.

Tradensq; quatuor quaternionibus militum, & reliqua.) Sicut centurio centum

Iosephus.  
Beda.

y

Crio centum, ita quaternio quatuor sub semilites habebat.

Percussioq; lateris Petri excitauit eum &c.) Percussio lateris, commemoratio passionis Christi est, de cuius uulnere salus nostra profuxit, & nobis quoq; pressuram cathena retentis, tale solatium ipse reddit Apostolus Petrus, dicens: Christo igitur passo in carne, & uos eadem cogitatione armamini.

Præcingere & calcia te caligas tuas. Et fecit, &c.) Et Prophetas & Apostolos singulis ufos fuisse legimus, cuius sibi Petrus ligamenta propter rigorem carceris ad horam laxauerat, ut tunica circa pedes demissa, frigus noctis utuncq; temperaret, exemplum præbens infirmis, uel cum molestia corporali, uel iniuria temptemur humana, licere nobis aliquid de nostri præpositi rigore laxare. Et quia dictum est: Sint lumbi uestri præcincti, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis. Spiritualiter uirtutum uerbisq; prædicandi resumere iubemur insignia.

Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ ultro aperta est eis, &c.) Angusta immo ferrea erat porta, quæ ducit ad Hierusalem coelestem, sed Apostolorum uestigijs nobis iam facta est meabilis, qui sanguine proprio ferreum uicerunt ostium, de hoc Arator. Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro, Quem Deus ætheræ custodem deputat aulae, Ecclesiæq; suæ faciens retinere cacumen. Infernum superare iubet.

Et Petrus ad se reuersus dixit.) Id est, à contemplationis culmine ad hoc regressus, quod in intellectu communi & prius fuit.

Nunc scio uere, quia misit dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, &c.) Quod unusquisq; nostrum habeat Angelum, & in libro Pastoris & in multis sanctæ scripturæ locis inuenit. Nam & Dominus de paruulis: Angelus, inquit, eorum semper uident faciem patris mei. Et Iacob de se loquitur: Angelus qui eruit me de cunctis malis. Et hic discipuli, Angelum Apostoli Petri uenire credebant.

D EVANGELIUM MATTHAEI. CAP. XVI.



Enit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt, alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij uero Hieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei uiui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non perualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauas regni cælorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi.) Philippus iste est frater Herodis, de quo supra diximus. Tetrarcha Ithureæ & Trachonitidis regionum, qui in honorem Tyberij Cæsaris Cæsaream, quæ nunc Paneas dicitur appellatum, & est in prouincia Phœnicis.

Et interrogabat Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis.) Non dixit, quem me dicunt esse hominis, sed filium hominis, ne tantar de se querere uideretur. Et nota quod ubicunq; scriptum est in Veteri Testamento filius hominis, in Hebræo positum sit אדם בן אדם filius Adam. Illudq; quod in Psalmo legimus: Filij hominum, usq; quo graui corde, in Hebræo dicitur בני אדם filij Adam. Pulchre autem interrogat: Quem dicunt esse homines filium hominis, quia qui de filio hominis loquitur homines sunt. Qui uero diuinitatem eius intelligunt, non homines, sed Dñj appellantur.

At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij uero Hieremiam, aut unum ex Prophetis.) Miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum

A singulorum & disputationem longissimam texere, quare dominum nostrum Iesum, alij Ioannem putauerunt, alij Heliam, alij Hieremiam, aut unum ex Prophetis, cum sic errare potuerint in Helia & Hieremia, quomodo Herodes errauit in Ioanne, dicens: Quem ego decollauit Ioannem, ipse surrexit à mortuis, & uirtutes operantur in illo.

Vos autem, quem me dicitis? Respondit Simon Petrus: Tu es Christus filius Dei uiui.) Prudens lector attende, quod ex consequentibus textibus sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dñj appellentur. Cum enim dixisset: Quem dicunt homines esse filium hominis, subiicit: uos autem, quem me esse dicitis, illis quia homines sunt, humana opinantibus, uos qui Dñj estis, quem me existimatis: Petrus ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus filius Dei uiui. Deum uiuum appellat, ad comparationem Deorum eorum, qui putantur Dñj, sed mortui sunt, Saturnum, Iouem, Cererem, Liberum & cætera idolorum portenta significans.

Respondens Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.) Quod caro & sanguis reuelare non potuit, id est, doctrina humana, spiritus sancti gratia reuelatum est. Ergo ex confessione sortitur uocabulum, quod reuelationem ex spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit. Siquidem Bariona in lingua nostra sonat, filius columbæ. Alij simpliciter accipiunt, quod Simon, id est, Petrus filius sic Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem: Simon Ioannis diligis me? qui respondit: Domine tu scis. Et uolunt scriptorum uitio deprauatum, ut pro Bar Ioanna, hoc est, filius Ioannis, Bariona scriptum sit, una detracta syllaba. Ioanna autem interpretatur Domini gratia, utrunq; autem nomen mystice intelligi potest, quod & columba spiritum sanctum & gratia Dei donum significet spirituales. Illud quoq; quod ait: Caro & sanguis non reuelauit tibi Apostolicæ narrationi comparatur, in qua ait: Continuo non adqueiui carni & sanguini, carnem tibi & sanguinem Iudæos, ut his quoq; sub alio sensu demonstretur, quod ei non per doctrinam Phariseorum, sed per Dei gratiam Christus Dei filius reuelatus sit.

Et ego tibi dico.) Quid est quod ait: Et ego dico tibi, quia tu mihi dixisti, tu es Christus filius Dei uiui, & ego tibi sermone casto, & nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse fecisse est.

Quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.)

Sicut ipse lumen Apostolis donauit, ut lumen mundi appellentur, cætera quæ ex domino sortiti uocabula sunt, ita & Simoni, qui credebat Petram Christum, Petri largitus est nomen. At secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei, ædificabo ecclesiam meam super te.

Siue super hanc Petram, id est, super illum, quem ore tuo confessus es dicens: Tu es Christus filius Dei uiui, siue super hanc Petram, super confessionem Petri.

Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.) Ego portas inferi uitia reor atq; peccata, uel certe Hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. Nemo itaq; putet de morte dici, quod Apostoli conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyria uideat coruscare.

Et tibi dabo clauas regni cælorum, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.) Istum locum Episcopi & presbiteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum adsumunt supercilio, ut uel damnent innocentes, uel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum uita queratur. Legimus in Leuitico de leprosis, ubi iubent, ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fi-

ant, non quod sacerdotes leprosos & immundos faciant, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus quæue immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum uel immundum facit, sic & hic alligat uel soluit Episcopus & Pres-

byter, non eos qui infontes sunt uel noxij, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit uarietates, scit qui ligandus sit qui soluendus.



**A**utem enim uobis facio Euangelium, quod Euangelizatum est a me, quoniam non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quia supra modum persequabar ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coetaneos meos, in genere meo abundantius aemulator existens patrum traditionum. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ab utero matris meae, & uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut annuntiarem illum inter gentes, continuo non acquieui carni & sanguini, neque ueni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abi in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum, deinde ueni Hierosolymam uidere Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim, alium autem Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, quae autem scribo, ecce coram Deo, quia non mentior.

**N**otum uobis facio Euangelium, quod Euangelizatum est a me, quoniam non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Verbum ipsum ἀποκαλύπτω, id est, reuelationis proprie scripturarum est, & a nullo sapientium seculi apud Graecos usurpatum, hoc est, reuelationem illam signat, quam uidit cum Damascum uadens in itinere Christi uocem meruit audire, & caecis oculis, uerum lumen mundi intuisit. Si enim Euangelium Pauli non est secundum hominem, neque ab homine accepit illud aut didicit, sed per reuelationem Iesu Christi, non est utique homo Iesus Christus, qui Paulo Euangelium reuelauit, quod si non est homo, conuenienter Deus est. Non quod hominem adsumptum, sed quo tantum hominem rennuamus. Inter accipere autem & discere hoc interest, quod accipit per alium, cui primum insinuat, ut ad fidem eius adducatur, ut credat uera esse quae scripta sunt, discit autem is, qui ea quae per enigmata & parabolis figurata sunt, explanata & aperta cognoscit, & non homine reuelante, sed Christo qui reuelauit Paulo.

Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quia supra modum persequabar Ecclesiam Dei, & expugnabam, &c. Quam elegans obseruatio pondusque uerborum: Audistis, inquit, conuersationem non gratam aliquando modo in Iudaismo, non in lege, Dei supra modum persequabar ecclesiam Dei, non ut caeteri. Hinc quoque ammiratio nascitur, quod non unusquisque de his qui leuiter persequabantur Ecclesiam Dei, sed ille qui caeteros in persecutione uincebat, conuersus ad fidem sit, Ecclesiam dicens Dei, uel ipsum Christum Deum esse significat, uel eiusdem Dei esse ecclesiam, qui quondam Legis dator fuit.

Cum autem placuit ei, qui me segregauit ab utero matris meae, & uocauit per, &c. Non solum in hoc loco, sed & ad Romanos Paulus segregatum in Euangelio Dei esse se scribit, & Hieremias antequam formaretur in utero, notus deo, sanctificatusque perhibetur. Siue uerum matris legem dicere possumus, quae Christo grauida erat. A cuius carnali obseruantia separatum se dicit per gratiam Christi. Non est autem: ipsum reuelaret filium suum in me, quod si diceret: Reuelaret mihi filium suum, Cui enim quid reuelatur, huic illud potest reuelari, quod ante in eo non erat. In quo uero reuelatur, illud reuelatur, quod prius fuit in eo, & postea reuelatum est. Simile est illud in Euangelio: Medius stat quem uos nescitis. Et alibi: Erat lux uera, quae illuminat omnem hominem uenturum in mundum. Ex quo perspicuum fit naturam omnibus dei inesse notitiam. Nec quenquam sine Christo nasci, & non habere germina in se sapientiae & iustitiae, reliquarumque uirtutum.

Vnde

**A** Vnde multi absque fide & Euangelio Christi, uel sapienter faciant aliqua, uel sancte, ut parentibus obsequantur, & ut inopi manum porrigant, non opprimant uicinos, non aliena rapiant. Potest & aliter accipi in Paulo: Dei filius reuelatur, quod predicant illo, agnitus sit gentibus, quem ante nesciebant.

Continuo non acquieui carni & sanguini. Siue, ut in Graeco melius habetur, *διωρασθημι κρεσσειν ποσιν μου αιματι*. Non contulit plane Paulus post reuelationem Christi cum carne & sanguine, quia noluit margaritas proicere ante porcos, nec dare sanctum canibus. Vnde de quid de peccatoribus scriptum sit: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Cum talibus, qui caro & sanguis erant, non contulit Apostolus Euangelium, quod ei fuerat reuelatum, sed paulatim eos de carne & sanguine uertit in spiritum, & tunc demum eis occulta Euangelij sacramenta commisit.

Neque ueni Hierosolymam, &c. Quid mihi prodest ista religio, si legam, quod Paulus post reuelationem Christi statim ierit in Arabiam, & de Arabia Damascum fuerit reuersus, nec sciam quid ibi gesserit, exitus ac reditus, dat mihi occasionem altioris intelligentiae. Arabia quae interpretatur humilis & occidua, uetus significat testamentum. Statim itaque ut creditur Paulus, ad legem, ad Prophetas, ad Veteris Testamenti iam in occiduo posita sacramenta conuersus, quesiuit in eis Christum, quem iussus fuerat in gentibus predicare, & reperit illo, non est ibi diutius commoratus, sed reuersus est Damascum, hoc est ad sanguinem & ad passionem Christi, & in de Prophetica lectione firmatus pergit Hierosolymam, locum uisionis & pacis, non iam disciturus aliquid de Apostolis, quam cum eis Euangelium, quod docuerat, collaturus.

Deinde post triennium ueni Hierosolymam uidere Petrum. Non ut oculos, genas uultumque eius aspiceret, utrum macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, & utrum frontem uestiret coma, an (ut Clemens in periodis eius refert) caluicem haberet in capite, nec puto Apostolicae uisus grauitatis, ut post tantam triennij praeparationem aliquid humanum in Petro uoluerit aspiciere, sed his oculis aspexit eum quibus & modo in Epistolis suis uidetur, his oculis Paulus uidit Cepham, quibus nunc prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Na & quod uisus sit in Hierosolyma ad hoc ipse, ut uideret Apostolum, non descendit studio, qui & ipse eundem predicationis haberet auctorem, sed honoris prioris Apostolo deferendi.

**B** Et mansi apud eum diebus quindecim. Non grandi indiguit magisterio, qui tanto se ad uidendum Petrum tempore praeparauit. Et licet quibusdam superfluum uideatur numeros quoque qui in scripturis sunt obseruare, tamen non absque re arbitror quindecim dies, quibus apud Petrum Paulus habitauit, plenam significare scientiam, consummatamque doctrinam, siquidem quindecim sunt carmina in Psalterio, & quindecim gradus per quos ad canendum Deo in atrijs eius consistendum iustus ascendit.

Alium autem Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Et caeteri Apostoli fratres Domini dicunt, sicut in Euangelio: Vade dic fratribus meis, uado ad patrem meum & ad patrem uestrum. Sed quomodo Iob, & caeteri Patriarchae dicti sunt quidem famuli Dei, sed quasi egregium quidem Moyses, ut scriberetur de eo, sed non sicut Moyses famulus meus, sic & beatus Iacobus specialiter frater propter egregios mores & incomparabilem fidem sapientiamque non modicam appellatus est Domini frater, & quod primus ei Ecclesiae praefuerit, quae prima in Christo credens ex Iudaeis fuerat congregata.

Quod autem exceptis duodecim quidam uocentur Apostoli, illud in causa est, omnes qui Dominum uiderant, & eum postea predicabant, fuisse Apostolos appellatos, ut illud ad Corinthios scribitur, uisus est illis undecim, de inde uisus est & Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nam & alij ab his quos Dominus elegerat ordinati sunt Apostoli, sicut ad Philippenses ait: Necessarium existimaui Epaphroditum commilitonem meum, uestrum autem Apostolum mittere ad uos. Et ad Corinthios de talibus scribit. Siue Apostoli Ecclesiarum in gloria Dei. Silas quoque & Iudas ab Apostolis Apostoli nominati sunt.

Quae autem scribo uobis, & coram Deo, quod non mentior. Siue simpliciter accipiendum, ut sit, quae scribo uobis uera sunt, & Deo teste confirmo, quia nulla arte uerborum, nullo sunt fucata mendatio, siue alius, ut legatur, quae scribo uobis coram Deo sunt, id est, Dei digna conspectu, quia scilicet non mentior, & quomodo oculi Domini super iustos, avertit autem faciem suam a conspectu impiorum, ita nunc ea, quae scribuntur coram Deo sunt, me non mentiente, qui scribo, quae non essent coram Domino si mentirer.

Y 3 IN

Hiere. 1.

Ioh. 1. 14.

Phillip. 2.

2. Cor. 8.



Aulus autem adhuc spirans minarū & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo Epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos inuenisset huius uig uiros ac mulieres, uinctos perduceret in Hierusalem. Et cū iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subito circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit uocem dicentem sibi: Saule, Saule quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris: Durum est tibi contra stimulū calcitrare. Et tremens ac stupens dixit: Domine quid me uis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autē illi qui comitabantur cum illo, stabant stupefacti, audientes quidem uocē, neminem autem uidentes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil uidebat. Ad manus autē illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat tribus diebus non uidens, & non manducauit neq; bibit. Erat autē quidam discipulus Damasci, nomine Ananias. Et dixit ad illū in uisū Domini: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum: Surge & uade in uicū, qui uocatur rēctus, & quere in domo Iudæ Saulum nomine, Tharsensem, ecce enim orat. Et uidit uirū Ananiam nomine introeuntem & imponentem sibi manus, ut uisum recipiat. Respondit autem Ananias: Domine audiui à multis de uiro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem. Et hic potestatem habet à principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Va de, quoniam uas electionis est mihi iste, ut portet nomen meū coram gentibus & regibus & filijs Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eū pro nomine meo pati. Et abiit Ananias, & introiuit in domum, & impos uens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uideas, & implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanq; squamę, & uisum recepit. Et surgens baptizatus est, & cum accepisset cibum confortatus est.

Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini.) Præsentēs uidelicet cædis afficiens, & minis deterrens absentes.

Beda.

Matth. 25.

Saule, Saule quid me persequeris? Non dixit quid persequeris membra mea, sed quid me persequeris: quia ipse in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur iniquos, & in cuius etiam membris beneficia conlata, sibi facta esse denuntiat, cum ait: Esuriui & dedistis mihi manducare, & exponendo subiunxit, quā diu uni ex minimis meis fecistis. Ego sum quem tu persequeris. Non dixit ego sum Deus, ego sum Dei filius, sed humilitatis, inquit, meæ infirma suscipe, & tuæ superbiz squamas depone.

Sed surge & ingredere ciuitatē, & dicet tibi quid te oporteat facere, &c.) Non continuo quæ essent facienda monstrauit, sed in ciuitate postmodum facienda præmonuit, ut tanto post in bonis solidius staret, quanto prius funditus euersus à pristino errore cecidisset.

Apertis oculis nihil uidebat & rel.) Nequaquam potuisset bene rursus uidere, nisi prius excæcatus fuisset. Bene propriam sapientiam, quæ perturbatur, excludens, fidei semper cuncta committeret.

Et

Et erat tribus diebus non uidens, &c.) Quia Dominum non crediderat tertio die mortem resurgēdo uicisse, suo iam instruitur exemplo, qui tenebras triduanas, luce reuerfa, mutaret.

Ego enim ostendā illi, quanta oporteat eū pro nomine meo pati, & rel.) Non debet, inquit, timere quasi persecutor, sed potius quasi frater amplecti, quia diuersa quæ sanctis intulerat promptus est sustinere cum sanctis.

Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanq; squamę, &c.) Draconis omne corpus dicitur squamis esse contextum. Quia ergo Iudæi serpentes & genimina sunt uiperarū uocati, quia illorum perfidiam sectabatur, quasi pelle serpentina oculos cordis obtexerat, sed cadentibus sub manu Ananiæ ab eius oculis squamis, monstratur in facie, quod uerum lumen iam recipit in mente.

EVANGELIUM MATTHAEI. CAP. XIX.



Nunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum uel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem aut uxore aut filios aut agros, propter nomen, centuplum accipiet & uitam æternam possidebit.

Nunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis? Grandis fiducia, Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter, reliquimus omnia. Omnia enim relinquit, qui uoluntatem habendi deserit. Sed quia nō sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est, & secuti sumus te, fecimus quod iussisti, quid igitur dabis premiū?

B

Iesus autem dixit illis: Amen dico uobis, quod uos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis, in sede maiestatis sue, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.) Non dixit, qui reliquistis omnia, hoc enim & Socrates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt. Sed qui secuti estis me, quod propriæ Apostolorum est, atq; credentium, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, quando ex mortuis de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis & uos in solijs iudicantium, condemnantes duodecim tribus Israël, quia uobis credentibus credere noluerunt.

Hic dicitur cum suis discipulis iudicaturum Iesum. Vnde & alibi Iudæis dixit: Si ergo in Bælzabub eijcio demonia, filij uestri in quo eijciunt: ideo ipsi iudices uestri erunt. Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse, aut duodecim solos homines cum illo iudicatuos putare deberemus. Duodenarij quippe numero uniuersa quædam significata est iudicantium multitudo, propter duas partes septenarij, quod significatur plerumq; uniuersitas, quæ duæ partes, id est, tria à quatuor, altera per alteram partem multiplicatæ duodecim faciunt. Nam & quatuor ter, & tria quater duodecim sunt. Alioquin quoniam in locum Iudæ traditoris Apostolū Matthiam legimus ordinatum, Apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laborauit, ubi ad iudicandum sedeat nō habebit, qui profecto cum alijs sanctis ad numerum Iudæi cum se pertinet demonstrat cum dicit: Nescitis quia Angelos iudicabimus, de ipsis quoq; iudicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, iudicantes duodecim tribus Israël, tribus Leui, quæ tertia decima est ab eis iudicanda non erit, aut solum illum populum, non cum gentes cæteras iudicabunt. Quod autem ait, in regeneratione, proculdubio mortuorū resurrectionē nomine uoluit regenerationis intelligi, sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionē, quemadmodū est anima nostra regenerata per fidē. Quid ergo de Paulo dicemus, nunquid tertius decimus iudicabit, quomodo in centū quinquaginta tribus piscibus ingentē numerū sanctorū, & in quinque uirginibus innumerabiles uirgines, quomodo in quinque fratribus illius, qui torquebatur apud inferos, milia populi Iudæorum & septem milia uiro-

Hiero:

August. Matth. 14.

1. Cor. 6.



**C**um de quibus Helix dicitur, milia milium, sicut in duodecim sedibus non duodecim homines, sed magnus numerus perfectorum. Orbis enim terrarum quattuor designatis partibus continetur. Ab his omnibus partibus uocatur in trinitate, quoniam ter quaterni duodecim sunt, perfectum numerum significat. Duodecim ergo tribus Israel, totus Israel duodecim tribus sunt, sicut enim iudicaturi ex toto mundo, sic & iudicandi ex toto mundo erunt.

Et omnis qui reliquerit domum uel fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet & uitam aeternam possidebit. Sensus igitur iste est, qui propter Euangelium Christi carnalia reliquerit, spiritalia bona recipiet, quae comparatione, & merito sui ita erunt, quasi paruo muneris Centenarius numerus comparatur, quia nimirum a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spiritali glutino conligantur, multo gratior est, etiam & in hac uita recipi & charitatem, lege Acta Apostolorum: Quia multitudinis credentium erat cor & anima una, & erant illis omnia communia. Nullusque egerat inter eos, qui sua pro Domino reliquerant, de quibus, & Apostolus ait: Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Potest sane hoc, quod ait: Accipiet Centenarius tantum nunc in tempore hoc, domos & fratres & sorores & matres & filios & agros cum persecutionibus per significationem altius intelligi. Centenarius quippe numerus de leua translatus in dexteram, licet eandem inflexu digitorum uideatur tenere figuram, quam habuerat denarius in leua, nimirum tamen quantitatis magnitudine supercreuit, quia uidelicet omnes, qui propter regnum Dei, & temporalia sperunt, etiam in hac uita persecutionibus plenissima, eiusdem regni gaudium fide certa degustant, atque in expectatione patrie caelestis, quae iure in dextera significatur, omnium pariter electorum sincerissima dilectione fruuntur.

## HEBDOMADA VII. POST PENTECOST.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Romanos. Cap. VI.

**Q**uicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitae ambulemus. Si enim coplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam uiuemus cum illo, scientes quod Christus resurgens a mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato semel mortuus est. Quod autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos existimate uos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.

**Q**uicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Praecepit Apostolus, ut quia propter nos Christus mortuus & sepultus est, & resurrexit, nos quoque ad passionis suae similitudinem, uoluntates & cupiditates nostras crucifigamus, & in baptismate mysterium mortis sepulture & resurrectionis eius imitemur.

Mori prius oportet peccato, ut possis sepeliri cum Christo, mortuo enim sepultura debetur. Nemo enim uiuus sepelitur aliquando, si enim uiuus adhuc peccato, consepeliri non potest Christo, nec in nouo eius sepulchro collocari. Vetus enim homo tuus uiuit, & ideo non potest in nouitate uitae ambulare. Quid est, quod cum ipse Dominus dixerit discipulis, ut baptizarent omnes gentes in nomine patris & filii, & spiritus sancti, Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumit nisi quod in presenti loco, non tam baptismatis ratione, quam mortis Christi discutere cupiebat. Ad cuius similitudinem, etiam nos suaderet mori debere peccato, & consepeliri Christo. Et non erat utique conueniens, ut ubi de morte dicebat, uel patrem nominaret uel spiritum sanctum. Verum

**A** Verbum enim caro factum est, & merito ubi caro est, ibi de morte tractatur. Nec conueniebat ut diceret: Quicumque baptizati sumus in nomine patris, uel in nomine spiritus sancti, in morte ipsius baptizati sumus.

Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in morte. Si consepulti sumus cum Christo, secundum ea quae superius diximus, id est, secundum quod mortui sumus peccato, consequenter utique resurgente Christo a mortuis, & nos cum ipso simul conseruamus, & illo ascendente ad caelos, cum ipso simul ascendemus, & sedente ipso ad dexteram patris, cum ipso simul in caelestibus sedere dicemur, sicut alibi ipse Apostolus ait: Quia coexcitauit nos Christo, simulque fecit sedere in caelestibus.

Ut quomodo surrexit &c.) Nouitas autem uitae est, ubi ueterem hominem cum actibus suis deposuimus, & induimus nouum, qui secundum Deum creatus est, & qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius, qui creauit eum. Nam & si is qui foris homo noster, inquit Apostolus, corrumpitur, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Intuere eos, qui in fide proficiunt, & coridie in uirtutibus enitescunt, quomodo semper bonis operibus adhaerent meliora, & honestis honestiora conquiruntur, quomodo in intellectu, in scientia & sapientia crescunt, & intelligis eos coridie innouari. In nouitate ergo uitae ambulemus, ostendentes nosmetipsos ei, qui nos cum Christo suscitauit, quotidie nouos, & ut ita dixerim, pulchriores, decorem uultus nostri in Christo, tanquam in speculo colligentes, qui surgens a mortuis ab humilitate terrena, ad gloriam paternae maiestatis ascendit, ut uideant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum qui in caelis est, & sic merito Christo consurrexisset per gloriam patris dicemur.

Si enim coplantati &c.) Veluti alicuius plantae arboris ostendit mortem Christi, cui nos coplantatos uult esse, ut succo radice eius, radix quoque nostra suscipiens, producat ramos uitae, & fructus afferat uitae. Christus ergo qui est Dei uirtus & Dei sapientia, ipse est arbor uitae, cui nos coplantari debemus, & nouo quodam atque amabili Dei dono, mors illius nobis uitae arbor efficitur. Bene autem Apostolus non dixit: Si enim coplantati facti sumus morti eius, sed similitudini mortis eius. Ipsam quidem mortem, qua Iesus mortuus est peccato, ut peccatum omnino non fecerit. Nos non possumus mori, ut omnino nesciamus peccatum. Similitudinem tamen habere possumus, ut imitantes eum, & uestigia eius sequentes, abstinemus nos a peccato. Hoc est ergo, quod recipere potest humana natura, ut in similitudinem mortis eius fiat, dum ipsum imitando non peccat. Nam omnino ex integro nescire peccatum, solius est Christi. Igitur cum plantari nos uult mortis eius similitudini, qua peccato mortuus est semel, ut possumus & resurrectioni eius esse coplantati. Ad utrumque enim subaudire debet coplantati & mortis & resurrectionis.

Hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est. Vetus autem homo noster intelligendus est, uita prior, quam duximus in peccatis, cuius sinem & interitum quandam facimus, ubi receperimus in nobis fidem crucis Christi, per quam ira destruitur corpus peccati, ut membra nostra, quae seruiabant peccato, ultra ei non seruiant sed Deo.

Ut destruat corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato. Diligentius intuemus, quomodo dixerit corpus peccati, in quo duplex dari uidetur intellectus, uel quia nostrum corpus peccati esse dixerit corpus, uel quia peccati ipsius dicat esse proprium aliquod corpus, quod destruendum sit, his qui non debent ultra seruire peccato: Quia ergo uterque sensus in loco amitti potest, de utroque quod nobis uideatur exponimus. Etenim si proprium corpus ponamus esse peccati uidebitur quod sicut de his qui in nouum hominem reparati sunt, dictum est, quia uos estis corpus Christi, & membra ex parte. Ita & de his qui ueterem hominem nondum crucifixerunt dici posse, quod sint corpus peccati & membra eius, cuius caput corporis fit diabolus, sicut Christus caput est corporis ecclesiarum, non habentis maculam aut rugam. Possunt autem membra, ex quibus corpus istud peccati constat illa uideri, quae superius enumerauit Apostolus, membra esse super terram, hoc est, fornicationem, immunditiam, impudicitiam, auaritiam, contentionem, iram, dolos, rixas, dissensiones, haereses, inuidiam, comestiones, & his similia, ex quibus omnibus membris digne dicitur corpus constare peccati, & hoc corpus ueteris hominis appellare, quod si quis per crucem Christi destruat, & in nouum hominem, qui secundum Deum creatus est commutetur, ultra non dicitur seruire peccato, cui sine dubio seruit, donec alicui eorum subiacer, quae supra exposuimus membra esse peccati. Si uero magis corpus nostrum hoc dixisse intelligatur Apostolus corpus peccati, secundum illam profecto accipietur intelligentiam, qua & David de semetipso dicit: Quia in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

**C** pro quo peccato & Ecclesia ab Apostolo traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare. **Primal.** Siue ut destruat corpus peccati, hoc est, ut non ex parte, sed omnia uicia destruantur, quia unum uicium membrum est peccati, corpus uero est uniuersitas delictorum, quorum plenitudo est originale peccatum. Christus autem non ex parte, sed integer est crucifixus, ut nos ex toto moriamur peccato, & uiuamus Deo, siue ut corpus nostrum destruat a seruitute peccati, & fiat iustitiae mancipium, quod solebat esse delicti. **Ioh. 8.** Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. Siue corpus peccati intelligitur is, qui adhuc extra baptismum originali subditus est conditioni, & nondum ulla uita suscepit inicitia, sed ex toto alienus est a salute.

Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Hoc est, alienatus est a peccato. Mortuus enim omnino non peccat. Vel, sicut praefati sumus, prioris uitae erroribus mortuus, innouatus in Christo & membrum eius effectus, concupiscentijs & passionibus contradicit.

Si enim mortui sumus cum Christo, credimus quia simul & iam uiuimus cum Christo. **Origenes.** Praesenti sermone Apostolus conclusionem facit omnium quae in superioribus construxerat, & dicit: Si autem mortui sumus cum Christo, per haec scilicet, quae superius ostendimus credimus, & quia conuiuemus ei. Non dicit: & conuiximus, sicut dicit: mortui sumus, sed: conuiuemus, ut ostendat, quia mors in praesenti operatur, uita autem in futuro, tunc scilicet cum Christus manifestatus fuerit, qui est uita nostra abscondita in Deo.

Scientes quod Christus surgens a mortuis iam non moritur. Duplex intelligitur resurrectio, una qua mente & fide cum Christo a terrenis resurgimus, ut coelestia cogitemus, alia quae generalis erit in carne, haec in secundo erit, illa in primo Domini fuit aduentu, idcirco absoluta sententia definiuit Apostolus, quod Christus iam non moriretur, ut & hi qui conuiuent ei, de eternitate uitae securi sint.

Mors illi ultra non dominabitur. Potest autem quis compendiosus in his dicere, quia hic mortem communem hanc dicit & mediam, qua mortuus est, sicut idem Apostolus dixit secundum scripturas, & nihil absurdum uideri, si is qui formam serui suscepit, dominatum pertulerit mortis, quae sine dubio dominatur omnibus qui in carne positi, sub seruili forma esse sent. Alius uero qui profundior est in his Pauli sensum in uirtute spiritus conuenerit, dicit: Quia mors hic, de qua dixerat: Quod ultra non dominabitur Christo, ille ipse intelligendus est nouissimus inimicus, qui figuram habuit ceti illius, qui absorberat Ionam, in quam mortem, tanquam Ionas in uentre ceti ingressus est, in eum scilicet locum, quem saluator ipse cor terrae nominauit, in quo tres dies & tres noctes exemplo Ionae futurum esse filium hominis dicit, ut eos qui inibi a morte detinebantur, eximeret, unde recte Apostolus in praesenti loco dicit: quia mors ei ultra non dominabitur. Non enim ultra dabit semetipsum in dominationem tyranni, neque iterum exinaniet se, ut formam serui accipiat, & fiat obediens usque ad mortem, ne rursus in forma serui, quamuis uoluntate, & non necessitate positus, dominationem tantum tyranni mortisque patiat, & hoc est quod ait: Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel.

Quod autem uiuit, uiuit Deo. Viuere autem Deo, ita intelligendum est, quasi expleto eo, quod in forma Dei positus, exinanit semetipsum, & formam serui accepit, & factus est obediens usque ad mortem, rursus permaneat in forma Dei, atque equalis patri, unde merito in consequentibus ponit, ita & uos existimate, uos quidem mortuos esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro, quo scilicet imitatione Christi peccato moriamur, alieni ab eo effecti, & Deo uiuamus iungentes nos, & unum cum ipso spiritum facti.

Ita & uos existimate, &c. Qui enim cogitat moriturum se esse non peccat, uerbi gratia, si me concupiscentia mulieris trahit, si argenti, si auri, si praedia, si cupiditas pulset, & ponam in corde meo, quod mortuus sum in Christo, extinguet continuo concupiscentia & effugatur, peccatum extinguitur, furor cessat, ira, odium coalescit, & hoc modo quis mori inuenitur peccato & uiuere Deo. Quid est aliud, quod dicit: Viuetes Deo in Christo Iesu, nisi uiuere in sapientia, in iustitia, in pace, in sanctificatione, quae omnia Christus est.

Siue existimate uos mortuos esse peccato, id est, sicut caput uestrum semel est mortuum, sic & uos membra illius effecti uitae, eius exempla sectamini, ut nihil morti ulterius debeatis, hoc est, ut in uobis locum mors sectanda non habeat. Ille autem uiuit Deo, qui Christi uestigia humilitate, sanctificatione, pietate sectatur.

EVAN.

## EVANGELIUM MATTHAEI CAP. V.

**A** Men amen dico uobis, nisi abundauerit iustitia uestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit Gehennae ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo. Et tunc ueniens offeres munus tuum.

**A** Men amen dico uobis, nisi abundauerit iustitia uestra, plusquam &c. Hoc est, nisi non solum illa minima legis praecpta impleueritis, quae inchoant hominem, sed etiam ista, quae a me adduntur, qui non ueni soluere legem, sed implere, non intrabitis in regnum caelorum. Iustitia Phariseorum est, ut non occidant, iustitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei est, ut non irascantur sine causa. Minimum est ergo non occidere, & qui illud soluerit, minimum uocabitur in regno caelorum. Qui autem illud impleuerit, non occidat, non continuo magnus erit, & idoneus regno caelorum, sed tamen ascendit aliquem gradum. Perficitur autem, si non irascitur sine causa, quod si perfecit, multo remotior erit ab homicidio. Quia propter qui docet, ut non irascamur non soluit legem, ne occidamus, sed implet potius, ut & foris, dum non occidimus, & in corde, dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. In lege autem iudicabatur, ut & qui occidebat, & ipse occideretur.

Ego autem dico uobis. Id est, ego nouus homo, uobis nouis noua loquor.

**B** Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Videndum est, quantum inter sit inter iustitiam Phariseorum & Christianorum, quae introducit in regnum caelorum. Ibi enim occiso reum facit iudicio. Hic autem ira reum nihilominus facit iudicio.

Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Hoc uerbum proprie Hebraeorum est, רָחָה Racha enim dicitur רָחָה, hoc est, inanis & uacuum, quem nos possimus uulgata iniuria absque cerebro nuncupare. Si de ocioso sermone reddidit sumus rationem, quanto magis de contumelia? Sed & signanter additur, qui dixerit fratri suo racha. Frater enim noster nullus est, nisi qui eundem nobiscum habet patrem, cum ergo similiter credat in Deum, & Christum Dei nouerit sapientiam, qua ratione stultitiae elogio denotari potest?

Quid interest inter reum iudicio, & reum concilio, & reum gehennae ignis? Nam hoc postremum grauissimum sonat, & admonet gradus quosdam factos a leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis ueniretur, & ideo si leuius est, reum esse iudicio, quam esse reum concilio, item leuius est esse reum concilio, quam dicere racha. Et rursus, leuius esse racha, quam dicere fatue. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur. Racha enim obscurum est, quia nec Graecum est nec Latinum, nonnulli autem de Graeco trahere uoluerunt eius interpretationem, putantes pannosum dici, Graecae enim pannus rachus dicitur. Probabilius autem dicitur uocem esse, non significantem aliquid aliud, nisi indignantis animi motum exprimentem, ut sunt apud Grammaticos interiectiones, cum dicitur a dolente, heu, uel ab irascen te, hem, quae uoces quarumque linguarum sunt propriae, nec in alia linguam facile transferunt, quae causa utique coegit tam Graecum interpretem, quam Latinum uocem ipsam ponere, quomodo eam interpretaretur, non inueniret. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam si extorserit uocem indignantis, ipsa commotio non significantem aliquid, sed illi animi motum ipsa eruptione restantem, qua feriat ille, qui irascitur, plus est utique quam si surgens ira silentio praemeretur. Si uero non solum uox indignantis audiat, sed etiam uerbum quod iam certam eius uituperationem, in quem profertur, designet & notet, quis dubitet amplius, hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederet. Itaque in primo unum est, id est, ira sola, in secundo duo, & ira & uox, quae iram significat, & in

**C** & in uoce ipsa certæ uituperationis expressio. Vnde nunc etiam tres reatus iudicij gehennæ ignis. Nam iudicio adhuc defensionis datur locus. In concilio autem quanquā & iudicium esse solet, ramen quia interesse aliquid hoc loco lateri cogit ipsa distinctio, uideatur ad concilium pertinere sententiæ prolatio, quando non iam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se, qui iudicant, conferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna uero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicij, nec damnati poenā, sicut concilium, in gehenna uero ignis certa est & damnatio, & poenā damnati.

Gehenna nomen compositum est, גיהנום ארץ. Fuit enim uallis filiorum Ennon iuxta Hierusalem, in qua multa iacere cadauera mortuorum, unde & inferno gehennæ congruit nomen.

Si ergo offers munus tuū ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, &c.)

Hiero.

Non dixit, si tu habes aliquid aduersum fratrem tuum, sed si frater tuus habet aliquid aduersum te, ut durior reconciliationis tibi imponatur necessitas. Quamdiu ergo illum placare non possumus, nescio an consequenter munera nostra offeramus Deo.

August.

Docet utique eum qui in fratrem in pacificus est, pacis hostiā iuste Domino offerre nō posse. Si in mentem uenerit, quod aliquid habeat aduersum nos frater, id est, si nos eum aliquid lesimus, tūc enim ipse habet aduersus nos, nam nos habemus aduersum illum, si ille nos lesit, ubi non opus est pergere ad reconciliationem. Non enim ueniam postulabis ab eo, qui tibi fecit iniuriam, sed tantum dimittis, sicut tibi à Domino dimitti cupis, quod ipse commiseris. Pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem uenerit, quod nos sorte fratrem in aliquo lesimus. Pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosterne fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu eius, cui munus oblaturus es. Spiritualiter, templum nostrum interior homo est, altare fides, munus, prophetia, doctrina, oratio, hymnus, psalmus, & si quid tale aliud spiritualium donorum aliquid occurrerit. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo, lenite atque in gratiam reuocare, ueniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris, pargens ad eum non pigre motu corporis, sed & celerimo dilectionis affectu, atque inde ueniens, id est, intentionem reuocans ad id quod agere ceperis, offerres munus tuum.

#### HEBDO. VIII. POST PENTECOST. LECTIO

Beati Pauli Apostoli ad Romanos. Cap. VI.

D



Vmanum dico propter infirmitatē carnis uestre. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationē. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis, tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. Nam finis illorum mors est. Nunc uero liberati à peccato, serui autē facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autē Dei uita æterna, in Christo Iesu domino nostro.

Origenes.

**H**Vmanum dico propter infirmitatem carnis uestre. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatē, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem.)

Pudorem quendam per hæc inquit Apostolus auditoribus, ut hoc saltem dependant iustitiæ & sanctificationi, quod prius immunditiæ, iniquitatiq; de tulerunt. Quid ergo tam humanum, hoc est, qui tam leue, quid tam sine onere, & quod nulla prorsus possit carnis infirmitas excusare? multo enim amplius, & multo intensius honoranda iustitia est. Sed ego, inquit, humane & communiter ago, eadem postulo, similia requiro, dudum currebant pedes uestri ad dæmonum templa, nunc currant ad Ecclesiam Dei, currebant prius ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currant, protendebantur prius manus, ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi mulierem ad concupiscendum,

nunc

**A** nunc circumspiciant pauperes, debiles, egenos ad miserandum. Aures delectabantur auditu uano uel honorū derogationibus, nunc conuertantur ad audiendum uerbum Dei, ad explanationem legis & ad capiendum sapientiæ disciplinam. Linguaq; conuicijs, maledictis & turpiloquijs aduersa est, conuertatur nunc ad benedicendum dominum, in omni tempore sermonem sanum proferat & honestum, ut det gratiam audientibus.

Humanum dico propter infirmitatem carnis uestre, hoc est, maiora quidem exigere à uobis pro diuinæ seruitutis retributione deberem, sed conscendens & temperans infirmitati uestre. Humana & possibilia prædico atque suadeo, ut sicut prompti fuistis ad sectanda noxia atque contraria, ita alacres sitis ad ea, quæ utilia & saluti amica sunt peragenda.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.) Cum ergo, quis peccato seruit, iustitiæ liber est, hoc est, alienus est à iustitia. Hic enim liberū alienum dicit, & recte quidem, nemo enim potest simul & peccato seruire & iustitiæ, ut illud: Nemo potest duobus dominis seruire. Illud sane notandum est, esse & libertatem culpabilem & laudabilem seruitutem. Nam liberū esse iustitiæ, crimen est. Seruum uero esse iustitiæ, laudabile. Quod autem dicit, seruum iustitiæ fieri, simul intellige, & sapientiæ & pietati & pudicitie, & omnibus simul uirtutibus. Sicut è contrario qui peccati seruus est, simul & concupiscentiæ malæ, & iræ & furori & impudicitie & rapinæ & omnibus simul uicijs ac sceleribus seruit.

Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis, nam finis illorum mors est.) Ac si diceret, qualem fructum in actione rei illius habuistis, in cuius etiam recordatione uerecundia est: in Dei uero cultu hoc ipsum iam fructus est, quod uiuistis sanctificati per baptismum.

Fructū & honorū & malorū esse docet scriptura diuina, ut ipse Saluator in Euangelij dicit: Aut facite arborem bonam, & fructū eius bonum, aut facere arborem malā, & fructus eius malos. Si quis igitur conuertat animum & propositum ad iustitiam, erubescit sine dubio, & ipse se notat de prioribus gestis quæ egit, positus sub peccato, quia finis illorum mors est. Sed requiror quæ mors? certum est non ista communis. Non enim quis post mortem conuertitur ad iustitiam, uel pro malis gestis præteritis erubescit. Quid ergo est? Nunquid nunc peccati mortē dicere uidetur, quoniam anima quæ peccat ipsa morietur? An illud magis potest intelligi, quod istam mortem dicat, qua cum Christo peccato morimur, & uicijs ac sceleribus finem damus, ut post hæc dixisse uideatur, quia finis illorum mors est?

Nunc uero liberati à peccato, serui autē facti Deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam.) Fructus fructibus comparat, & peccati quidem fructus, pro quibus nunc hoc est, posteaquam liberati à peccato & serui facti Deo, erubescunt, pronunciat morte finiri. Fructus uero iustitiæ, qui sunt in iustificatione, finem dicit accipere uitam æternam.

Stipendia enim peccati mors.) Romanis enim militibus pro labore militiæ stipendia apendebantur pecuniæ. Ergo stipendium laboris est fructus, ab stipe pendenda nominatur. Antiqui enim adpendere pecuniam solebant magis quam adnumerare. Ergo qui peccato militat, stipendium, id est, remunerationem laboris malitiæ suæ accipiet mortem.

Gratia autem Dei uita æterna in Christo Iesu Domino nostro.)

Non dixit similiter stipendia iustitiæ, quia non erat antequam remuneraret in nobis. Non enim nostro labore quæ sita est, sed Dei munere condonata.

#### EVANGELIUM MARCI.

Caput VIII.



Vm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent. Conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducarent. Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficiēt in uia.

z Quidam

**C** Quidam enim ex eis de longe uenerunt, & responderunt ei discipuli sui. Unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine? & interrogauit eos: Quot panes habetis? qui dixerunt, septem. Et praecepit turbae discumbere super terram, & accipiens septem panes, gratias agens, fregit, & dabat discipulis suis, ut apponerent & proposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt & saturati sunt, & sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducauerant quasi quatuor milia, & dimisit eos.

Beda.

**C**um multa turba esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis, &c.) In hac lectione consideranda est, in uno eodemque redemptore nostro distincta operatio humanitatis scilicet atque diuinitatis, quis enim non uideat hoc quod super turba miseret dominus, ne uel media, uel uia longioris deliciarum labore, affectu esse, & compassiorem humanam fragilitatis. Quod uero de septem panibus, & pisciculis paucis, quatuor milia hominum saturauit, diuinum opus esse uirtutis. Mystice autem hoc miraculo designatur, quod uitam seculi praesentis aliter incolumes transire nequimus, nisi nos gratia redemptoris nostri alimur. Hic autem noui ueritas ac gratia testamenti, fidelibus ministranda monstrata est. Sane utraque refectione in monte celebrata est, ut aliorum Euangelistarum narratio declarat, quia utriusque scriptura testamenti recte intellecta, altitudinem nobis caelestium & praeceptorum mandat, & praemiorum, utraque altitudinem Christi, qui est mons domus domini in uertice montium consona uoce praedicat. Qui enim edificatam super se ciuitatem, siue domum domini, id est, ecclesiam in altum bonorum extollit operum, & cunctis manifestam gentibus exhibet, ipse hanc ab infirmis delectationibus abstractam, pane caeli reficit, atque ad appetitum supernae suauitatis dato pingnore cibi spiritualis accendit.

Gregor.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant.) Turba ergo triduo dominum propter sanationem infirmorum suorum sustinet, cum electi qui quae fide sanctaeque trinitatis lucidi, domino pro suis suorumque peccatis, animae uidelicet languioribus perseveranti instantia supplicant. Item turba triduo dominum sustinet, quando multitudo fidelium peccata, quae perpetravit per poenitentiam declinam, ad dominum se in opere, in locutione, atque in cognitione conuertit.

Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia.) Dimittere ieiunos in domum suam Dominus non uult, ne deficient in uia, quia uidelicet conuersi peccatores in praesentis uitae uia deficient, si in sua conscientia sine doctrinae sanctae pabulo dimittantur. Ne ergo lassentur huius peregrinationis itinere pascendi sunt sacra ammonitione.

Quidam enim ex eis de longe uenerunt.) Est autem qui nihil fraudis & nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei seruitium festinauit, iste de longinquo non uenit, quia per incorruptionem & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitijs inquinatus, solum autem coniugium expertus, ad ministerium spirituale conuersus est. Neque iste uenit de longinquo, quia usus coniunctione concessa, per illicita non errauit. Alij uero post carnis flagitia, alij post falsa testimonia, alij post facta surta, alij post illatas uiolentias, alij post perpetrata homicidia ad poenitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei seruitium conuertuntur. Hi uidelicet ad Dominum de longinquo ueniunt. Quanto enim quisque plus in praesentis opere errauit, tanto ab omnipotente domino longius recessit. Dentur igitur alimenta eis, etiam qui de longinquo ueniunt, quia conuersi peccatoribus, doctrinae sanctae cibi praebendi sunt, ut in Deum uires repparent, quas in flagitijs amiserunt. Item Iudaei quicunque in Christo crediderunt, de prope ad illum uenerunt, quia legis & Prophetarum erant literis edocti de illo. Credentes uero ex gentibus de longe utique uenerunt ad Christum, quia nullis paginarum sanctarum

Qui de longinquo ueniunt.

**A** sanctarum monumentis de eius erant fide praemoniti. Et responderunt ei discipuli sui, unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine, & interrogauit eos: Quod panes habetis? qui dixerunt: Septem.) Bene septem panes in ministerio Noui Testamenti ponuntur, in quo scripturae gratia spiritus sancti plenus fidelibus cunctis & credenda reuelatur & credita datur. Neque hordeaci fuisse produntur, sicut illi quinq; de quibus quinq; sunt hominum milia saturata. Ne iterum sicut in lege uitalem animae alimentum corporalibus sacramentis obtegatur, hordei etenim medulla tenacissima palea regitur.

Et praecepit &c.) Supra in refectione quinq; panum turba supra foenum uiride discubebat. Nunc ubi septem panibus reficienda est, supra terram discubere praecipitur, quia per scripturam discumbere praecipitur, quia per scripturam legis carnis desideria calcare & comprimere iubemur. Omnis enim caro foenum, & omnis gloria eius tanquam flos foeni. In Nouo autem Testamento ipsam quoque terram ac facultates temporales derelinquere praecipimur, uel certe quia mons, in quo turba dominicis panibus reficiebatur, altitudinem, ut supra diximus, redemptoris nostri significat, ibi super foenum, hic super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines, & Hierusalem terrenam carnali spe & desiderio tegitur. Hic autem remota omni cupiditate carnali, conuiuas Noui Testamenti, spei permanentis firmamentum, tanquam ipsius montis soliditas nullo foeno interposito continebat.

Esaie. 40.

Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit & dabat discipulis suis, ut apponerent & proposuerunt turbae.) Dominus accipiens panes, dabat discipulis, ut ipsi acceptos turbae adponerent, quia spiritualis dona scientiae tribuens Apostolis, per eorum ministerium uoluit ecclesiae suae per orbem uitae cibaria distribui. Quod autem fregit panes, quos discipulis daret, apertionem designat sacramentorum, quibus ad perpetuum salutem nutriendus erat mundus. Cum enim ait ipse dominus: Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit, nisi filius & cui uoluerit filius reuelare, quid nisi panem uitae nobis per se aperendum monstrauit. Ad cuius interiora cernenda, per nos ipsos penetrare nequimus. Cui contra Propheta miserabilem quorundam famem deplorans ait: Paruuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis. Quod est alijs uerbis dicere: indocti quaesierunt pabulum uerbi Dei, nec erat magistris deficientibus, qui eis scripturae archana patefaceret. Acceptis autem ad frangendum panibus, dominus gratias agit, ut & ipse quantum de salute generis humani congaudeat ostendat, & nos ad agendas semper Deo gratias informet, cum uel terreno pane carnem uel animam caelesti superna gratia largiente reficimus.

Matth. 10.

**B**

Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit adponi.

Si in panibus septem scripturae noui Testamenti designatur, in cuius lectione per gratiam sancti spiritus internas mentium epulas inuenimus, quid in pisciculis, quos benedicens pariter dominus, turbae iussit adponi, sanctos accipimus illius temporis, quo eadem est condita scriptura, uel quorum ipsa scriptura fidem, uitam & passiones continet, qui de turbulentis huius seculi fluctibus erepti, ac diuina benedictione consecrati, refectionem nobis internam, ne in huius mundi transeuntis excursu deficiamus, exempla suae uel uitae uel mortis praebuerunt.

Et manducauerunt & saturati sunt.) Manducant de panibus domini ac piscibus, & saturantur, qui audientes uerba Dei, & exempla intuentes, ad profectum uitae correctio nis per haec excitari atque assurgere festinant, quibus aperte congruit illud Psalmistae: Edent pau peres & saturabuntur & laudabunt Deum, &c.

Psalm. 21.

Et sustulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas. Quod turbis saturatis supererat Apostoli sustollunt & septem sportas implent, quia sunt altiora perfectionis praecipua, uel potius exhortamenta & consilia, quae generalis fidelium multitudo nequit seruando & implendo attingere, quorum executio illos proprie respicit, qui maiore sancti spiritus gratia plenius, generale populi Dei conuersationem mentis atque operis sublimitate transcendunt. Quilibet dicitur: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quae habes, &c.

Matth. 19.

Vnde bene sportae, quibus dominicorum sunt condita fragmenta ciborum, propter septiformem spiritus gratiam septem fuisse memorantur. Nam quia sportae iunco & palmarum folijs solent conteri, merito in sanctorum significatione ponuntur. Iuncus quippe super aquas

C nati confuevit. Palma uero uirtricem ornat manum, & iuncis uasis recte comparantur electi, cum radicem cordis, ne forte ab amore æternitatis arefeat, in ipso uitæ fonte collo cant. Adsi mulantur & eis quæ de palmarum sunt folijs contexta, cum inde festiuam æternæ retributio nis memoriam puro corde retinent, & bene turba quam uis reliquias dominici prandij non ca peret, manducasse tamen & saturata esse narratur, quia sunt nonnulli, qui etsi omnia sua relin quere nequeunt, tamen esurientes & sitientes iustitiam, saturantur, cum audiendo mandata le gis Dei ad uitam perueniunt æternam.

Erant autem qui manducauerunt, quasi quatuor milia, & dimisit eos, Bene quatuor milia, ut ipso etiam numero docerent Euangelicis se pastos esse cibarijs.

HEBDOMADA NONA POST PENTECOSTES

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Romanos Cap. VIII.



**D**ebitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hii filij sunt Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij Dei & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Orig.

**D**ebitores sumus non carni, ut secundum carnem, uiuamus.) Debites sumus eorum, sine dubio, quæ ab spiritu consecuti sumus, carni autem, inquit, non sumus debitores. Neque enim propterea nos fecit Deus ad imaginem suam, ut carnis seruitio esse mus obnoxij, sed potius ut creatori suo anima deseruiens, ipsa seruitio ac ministerio carnis uteretur. Hoc totum agit, ut ostendat eis legem non esse necessariam, quæ carnalibus data est.

Primas Orig.

Si enim secundum carnem uixeritis moriemini. Quid est secundum carnem uiuere, nisi carnis desideria implere? Nam & alibi dicit: Et carnis curam ne feceritis in concupiscentijs. Non utique negans curam carnis habendam in necessarijs, sed in concupiscentijs. Ita ergo & hic: Si enim, inquit, secundum carnem uixeritis, moriemini. Significat autem mortem pœnæ æternæ. Hoc enim dicit, ostendere uolens, maxima in partem passionum desideria humani corporis esse.

Orig.

Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis.) Qui ergo secundum spiritum agens, mortificat actus carnis uiuere, propter inhabitantem in se spiritum uitæ. Mortificat autem quis actus carnis hoc modo, fructus est spiritus charitatis, odium carnis est, actus, odium ergo per charitatem mortificatur & extinguitur. Gaudium similiter fructus est, spiritus, tristitia uero huius seculi, quæ mortem operatur carnis est actus. Hæc ergo extinguit si sit in nobis gaudium spiritus, pax fructus est spiritus. Dissensio & discordia carnis est. Sed certum est, discordiam mortificari per pacem. Sic & patientia spiritus in patientia carnis extinguitur, & bonitas malitiam perimit, & mansuetudo ferociam & continentia intemperantiam, & castitas impudicitiam necat. Taliq; ordine qui per spiritum actus carnis uiuificauerit uiuet.

Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hii filij Dei sunt.) Ac si diceret, quicumque merentur spiritu sancto gubernari, uel secundum doctrinam spiritus sancti uiuere, hii sunt qui spiritu Dei aguntur, id est, gubernantur uel mouentur. Sicut enim multi filij Dei, ut scriptura dicit: Ego dixi, Dii estis, & filij excelsi oēs. Unus tamen est natura filius & unigenitus de patre, per quæ omnes filij appellantur. Ita & spiritus multi quidem sunt, sed unus est, qui uere ex ipso Deo procedit, & cæteris omnibus uocabulis ac sanctificationis suæ gratiam donat.

Psal. 82.

Primas

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.) Iudæi acceperunt spiritum, qui nullos ad seruitutem cogeret per timorē. Timere enim seruator est, diligere filiorum. Sicut scriptum est: Seruus dominum suum timebit, & filius diliget patrem suum. Illi ergo qui operari charitatis

**A** charitatis uoluntate nolebant, timoris necessitate cogantur, nos uero omnia uoluntarie operemur, ut filios nos esse probemur.

Qui timore pœnæ, non amore iustitiæ opus legis facit. Ac per hoc legis, quam uelit non esse August. non est amicus, sed potius inimicus, nec mundetur opere, qui immundus est uoluntate.

Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater.)

Qui uocat patrem, filium se esse profiteretur, debet ergo patri in moribus filius similis inueniri, ne pro nomine quoque in uacuum usurpato maiori pœnæ subiaceat, item uos Romani in adoptionem filiorum uocati estis, non sicut Iudæi, qui subditi legis imperio, in seruitute tenabantur. Quod uero addidit: Abba pater, patriæ linguæ uocabulum, id ipsum iterauit, uelut si dixisset: pater pater idem namque Abba que & pater significat, sed Abba Hebræum, pater Græcum est & Latinum. Ut ergo utrumque populum in eum crediturum, ab utroque eum inuocandum esse doceret, utramque linguam Apostolus posuit, ut Abba illi, qui de Israëlito populo, nos pater clameremus, qui de gentibus ad fidem Christi uenimus.

Abba pater. Abba clament. Israëlita, pater Gentes.

Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, &c.) Ipse ergo spiritus adoptionis, per quem in filium quis adoptatur, reddit testimonium & confirmat spiritum nostrum, quia sumus filij Dei. Posteaque ab spiritu seruitutis in adoptionis spiritum uenerimus, cum iam nihil timoris inest, nihil propter metum pœnæ gerimus, sed propter amorē patris cuncta perficimus.

Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, &c.) Post hæc iam ex consequentibus syllogismum necit Apostolus & dicit: Si spiritum adoptionis accepimus, ergo filij sumus. Quod si filij sumus, sine dubio & hæredes, mercedem namque seruus expectat, hereditatem filius sperat. Et rursus alius addidit conclusionis augmentum: Hæredes quidem autem Dei, cohæredes autem Christi. Hæres quis efficitur Dei, cum que Dei sunt meretur accipere, id est, incorruptionis, & immortalitatis gloriæ, thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos. Cohæredes autem Christi, cum transformauerit corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ, sed & cum illud adipsi meruit, quod dixit ipse saluator: Pater uolo, ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Est præterea & illa dignitas cohæredum Christi, quod pater quidem omne iudicium dedit filio, sed & filius dicit ad cohæredes suos: Sedebis & uos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël, & hoc modo hæredes suos Christus non solum in partes hereditatis, sed etiam in consortium potestatis adducit.

Hæredes Dei.

10411 13.

**B**

EVANGELIUM MATTHÆI. CAP. VII.



**T**rendite a falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit. Mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui facit uobis dixit: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

**A**t tendite a falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, &c.) Et de omnibus quidem intelligi potest, qui aliud habitum ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant, sed specialiter de hereticis intelligendum, quia uidentur continentia, castitate, ieiunio, quasi quadam pietatis se ueste circundari, intrinsecus uero, habentes animum uenentium, simpliciora fratrum corda decipiunt. Ex fructibus ergo animæ, quibus innocentiam ad ruinam trahunt, lupis rapacibus comparantur.

Hiero.

A fructibus eorum cognoscetis.) Dixit enim Dominus ad quosdam, qui ouium uestitu se induunt, intus sunt lupi rapaces, & ne forte fragilitas humana dinoscere non possent lupum sub ouina pelle, ait: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Querimus fructus charitatis, inuenimus spinas dissensionis: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

August.

Qui sunt fructus, quibus boni malitiam dinoscuntur: Apostolus ostendit, dicens: Manifesta Beda,

z 3 autem



**C**autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitia, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, diffensiones, hyrcres, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comestationes, & his similia. Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, & his similia. In his etenim fructibus qualis sit unusquisque cognoscitur homo.

**Nunquid colligunt de spinis uuas aut de tribulis ficus? Spinas reor & tribulos seculi curas, & punitiones esse uitiorum, de quibus peccandi homini dictum est, terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Ficus uero & uua dulcedinem conuersationis nouæ, quæ Dominus in nobis elurrit, & feruorem dilectionis, qui lætificat cor hominis. Non autem de spinis uuas neque de tribulis ficus colligitur, quia mensa adhuc ueteris hominis consuetudine depressa simulare potest, sed fructus noui hominis ferre non potest.**

**Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor, fructus malos facit, non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala**

August.

**fructus bonos facere.** Arbor est ipsa anima, id est, ipse homo, fructus uero, opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, nec bonus mala. Ergo si uult bona operari, bonus primo fiat. Prius enim mutandus homo, ut opera mutantur, si enim manet homo in eo quod malus est, & bona opera habere non potest, si manet in eo quod bonus est, mala opera habere non potest. Sit ergo unusquisque arbor bona, non se arbitretur habere fructus bonos. Si manet arbor mala, non erit fructus bonus, nisi arboris bonæ, mutat cor, & mutabitur opus. Extripa cupiditatem, planta charitatem. Sicut enim est radix omnium malorum cupiditas, sic & radix omnium bonorum charitas.

Beda.

**Omnis arbor que non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.** Quia unusquisque peruersus paratam cicius gehennæ concremationem inuenit, qui hic boni operis fructum facere contemnit.

**Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit, &c.**

Sicut supra dixerat eos, qui haberent ueterem uitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam, ita nunc e contrario adserit, ne his quidem ad commodandam fidem, qui cum polleant integritate fidei, turpiter uiuant, & doctrinæ integritatem malis operibus destruant, utrunque enim Dei seruis necessarium est, ut & opus sermone, & sermo operibus comprobetur. Huic sententiæ potest illud uideri contrarium. Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in spiritu sancto, sed moros est scripturarum dicta pro factis accipere, ut statim in consequentibus adprobatur, refutari eos, qui iactant sine operibus scientiam Domini, & audiunt à saluatore: Recedite à me operarij iniquitatis nescio uos, & Apostolus in hunc sensum loquitur: Cōstitentur se Deū scire, factis autem negant.

Math. 7.

## HEBDOMADA X. POST PENTECOST.

Lectio Epistolę beati Pauli Apostoli ad Corinthios. I. Cap. X.



**Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt, neque idololatę efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere. Neque fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die uiginti tria milia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & a serpentibus perierunt. Neque murmuraueritis sicut eorum tentauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deueniunt. Itaque qui se existimat stare, uideat ne cadat. Tentatio uos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, ut possitis sustinere.**

Non

**A** **Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.** In tertia decima mansione, quæ uocat sepulchra concupiscentię, populus fastidians coelestem panem, carnes Aegyptias desiderauit, multosque subito uorauit incendiū de quibus edocemur, ut qui co uersatione relinquunt seculum, & Aegyptias ollas, id est, carnalium desideriorum feruores co tempisimus, non debere murmurare contra coelestem panem, nec uiulentas Aegyptiorum, qui sunt magnarum carniū, sed simpliciter cibū Manne, id est, purā coelestem uitā querere, alioquin si post perceptam angelicam Mannā, quæ est coelestis uita siue doctrina rursum carnes Aegyptias, quæ sunt carnales huius seculi uoluptates, & concupiscentiæ pristinorum morum uoluerimus appetere, uorabimur nauis, & statim Domini igne torquebimur. Desyderium quoque nostrum uertitur in tumulos, ut simus sepulchra dealbata, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum.

Isidorus.

Math. 23.

**Neque idololatę efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum, &c.**

Illos tangit qui in idolo exultabantur, putantes se immunes à crimine, & comparat eis, qui sibi in heremo uitū fecerunt, & adorauerunt ludentes, sed multi ex eis intempti perierunt, ut intelligatur in illorum hominum interemptione significari uitiorum necē. In talia quippe uitia sequere nos iubet Apostolus, cum dicit: Mortificate membra uestra super terram, fornicationem, immunditiam, luxuriam, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.

Exod. 32.

Num. 21.

Col. 3.

**Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, &c.** Consiliū quippe dederat Balaam Regi Balaac, ut mulieres in meritorio poneret, & ante ianuas eorum aras, ut uenientes filij Israël, prius sacrificarent idolis, & sic ingrederentur ad mulieres, unde est fornicatus Israël cum filiabus Madian. Sed quid est quod iste Balaam populū Dei posse certa ratione colligit, dans consiliū, ut ex illa parte, qua infirmari nouerat filios Israël, perniciosus eis laquei tenderentur, non dubitans eos oblata copia foeminarum, fornicationis ruina prolixius conlapsuros, quia concupiscentes animæ eorum partes sciebat esse corruptas. Ita ergo unumquemque nostrum nequitie uersuta malignitate, in figura Balaam peritentant, illis precibus affectibus animę invidiosos laqueos perfruentes, quibus nos senserint egrotare, ut uerbi gratia, enim uiderint rationabiles animæ nostræ partes esse uiciatas, illo nos ordine decipere moliantur. Sed Phineas sacerdos zelatus, ut Dei furorem placaret, Zambriam & scortum Madianitidam, in pugione transfixit, significans per crucē Domini, non solum idololatriam, sed etiam omnem carnis affectum, uel concupiscentiam perimi seculi, & tunc placari Deū, dum carnis extinguit uitium.

B

**Neque temptemus Christum, sicut quidam eorum, &c.** Hoc est, nec in tribulationis pressura temptetis eum, qui uos tribulationibus probat. Narrat quippe liber numerorum quia percussus in heremo populus Israël, itinere longi, ac laboris onere murmurauit, ideo Dominus miserit in illum ignitos serpentes. Plage igitur serpentium ignorantium uena sunt uitiorum, quæ animam quæ tangunt spiritali morte perimunt, & bene murmurans contra Dominum populus serpentium morsibus sternebatur, ut ex ordine flagelli exterioris agnosceret, quantum intus perniciem murmurando pateretur. Recte etenim per serpentes peccata, quæ animam simul & corpus ad interitum trahunt, exprimuntur.

**Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, &c.** Quod autē dicit perierunt ab exterminatore, aut ab angelo intelligitur percutienti, aut ignideuorante.

**Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.** Omnia quæ eis contigerunt secundum facta sua receperunt,

Primas.

sed tamen ideo scripta sunt, ne nos putemus impune peccare. Si enim adhuc paruulis aut rudibus non peperit, quanto magis, qui legis perfectionem accipimus non parcat, si talia fecerimus.

In illa scriptura quæ Veteris Testamenti dicitur Nouum Testamentum absconditum latet, tanquam in fece corporalium sacramentorum. Circuncisio carnis intelligitur circuncisio cordis. Templum intelligitur corpus Domini. Terra repromissionis intelligitur regnum celorum. Est typus uel figura presentium & præteritorum, & futurarum rerum ignotarum præteritorum. Typus est Cathecuminoꝝ humilitas, typus enim gerunt Adæ de Paradiso expulso, & ex conscientia delictorum diuinum meuentis aspectum, propter quod & per publicum capitibus rectis incedunt. Presentium typus est uestis Aaron, quæ duodecim tribuum nomina lapidibus insignita gestabat, ostendens se pro omnibus quodammodo populis supplicare. Futurorum typus est in duabus filiis Isaac, in quibus duo Testamentum amonstrata sunt.

Hiero.

**In quos fines seculorum deueniunt.** Id est, in quos tota iustitiæ perfectio cadit, sicut scriptum est: Finis enim legis, Christus ad iustitiam,

Rom. 10.

= 4 Itaque

**C** Primas. Itaq; qui se existimat stare, uideat nec cadat. ) Hoc est, ne cadat in idololatriam, uel scandalum fratru, propter hoc ipsum quod stare gloriatur, cadit enim dum superbit.

**Humana tentatio.** Tentatio uos non apprehendat, nisi humana. ) Humana tentatio intelligi potest ciuilis, & ut dictum est, tollerabilis afflictio. Sicut in alio loco dicit: Humanu dico propter infirmitatem carnis uestre, id est, quod facile & suscipi & impleri possit cum bona uoluntate. Quis uel sibi uel alijs consultit, si fallatur in aliquo per ignorantiam temporalium, quia & hoc temporaliter agit, & modum agendi non teneat quem debebat, humana tentatio, siue irasci est humanum, iram perficere diabolicum.

**August.** Fidelis autē Deus est, qui non patitur uos tentari super id q; potestatis. ) Fidelis qui se pollicitus est sui nominis causa tribulationem sustinentibus ad futurum, ut illud: Multę tribulationes istorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus. Iple uos faciat stare firmiter, & uirtutem tribuet tollerandi, qui uos docuit rogare dicens, ne patiaris nos induci in tentationem.

**Psal. 33.** Sed faciet cum tentatione etiam prouentum ut possitis sustinere. ) Id est, non ampliore uobis tribulationem uenire patietur, quam sustinere possitis, sed faciet prouentum, id est, illud uobis faciet prouenire, quod possitis sustinere, aut de ipsa tribulatione lucrum animę acquirere.

## EVANGELIUM LVCÆ. CAP. XVI.



Omo quidam erat diues, qui habebat uillicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et uocauit illum & ait illi. Quid hoc audio de te, redde rationem uillicationis tue, iam enim non poteris uillicare. Ait autē uillicus intra se. Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me uillicationem, fodere non ualeo, mendicare erubescō. Scio quid faciā, ut cum amotus fuero à uillicatione recipiant me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito scribe quinquaginta. Deinde alio dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum choros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas & scribe octoginta. Et laudauit Dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego dico uobis: Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiāt uos in æterna tabernacula.

**Aug.** Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & uocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationē uillicationis, iam enim nō poteris uillicare. ) In uillico hoc, quē Dominus eieciēbat de uillicatu, & laudauit eū, quod in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus ad imitandū sumere. Nō enim aut Domino nostro faciēda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude elemosynas faciamus, aut eos, à quibus recipi uolumus in tabernacula æterna, tanq; debitores Dei & Domini nostri, fas est intelligi, cum iusti & sancti significentur hoc loco, qui eos introducunt in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona cōmunicauerint, sed etiam e contrario dicuntur istę similitudines, ut intelligamus, si laudari potuit ille à Domino, cui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo qui secundum eius preceptum illa opera faciūt. Villici sane uocabulo discimus eos, qui peccunias habēt, non iam domui suę, sed alienę potius rei dispensatores esse putandos, qui si iuxta huius serui exemplum sedulo finiendę uillicationis ac rationis reddendę tempus preuiderint, facile terrenorum delectatione simul & dilectione nudati, plus sibi de amicis conquirendis in futuro, quam diuitijs in præsentī colligendis prospicere curabunt.

Ait

**A** Ait autem uillicus intra se, quid faciam, quia Dominus meus aufert à me uillicationem, fodere nō ualeo. ) Ablata quippe uillicatione, fodere non ualeamus, quia finita hac uita, in qua tum licet operari, nequaquam ultra bene cōuersationis fructū ligone deuotę compunctionis licet inquirere.

Mendicare erubescō, & c. Mendicare confusio est, illo scilicet pessimo genere mendicandi, quo uirgines illę fatę mendicasse referuntur, quę ingruente tempore nuptiarum oleo uirtutum deficiente sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostrę extinguntur, & quod Salomon ait: Propter frigus piger ara re noluit, medicabit ergo æstas, & non dabitur ei.

**Mat. 25.** Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei, dixitq; illi: Accipe cautionem tuam, & sede cito scribe quinquaginta, deinde alio dixit: Tu uero quantum debes? qui ait, centum choros tritici, ait illi: Accipe literas tuas, scribe octoginta. ) Cados Græcæ amphora est, continens urnas tres. Chorus uero modios triginta cōplectitur. Quod autem de centum chadis olei, quinquaginta scribi fecit à debitore, & de centum choris tritici octoginta, ad nihil aliud ualere arbitror, nisi ut ea quę similiter in Sacerdotes atq; in Leuitas Iudæus quisq; operatur, in Christi ecclesia abundet iustitia eius super Scribarum & Phariseorum, ut cum illis decimas darent, isti dimidias dent, sicut non de fructibus, sed de ipsis suis bonis fecit Zachæus. Aut certe duplices decimas, aut duas decimas dando superet impendia Iudeorum. Nisi forte quis simpliciter accipiendum puret, quod omnis qui indigentiam cuiuslibet pauperis sanctorum, uel ex dimidia uel certe ex quinta parte, quantum uiginti uel quinquaginta ad centum sunt adleuauerit, certa suę miserę cordiæ sit mercede donandus.

**B** Et laudauit Dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. )

Audiant sapientes huius seculi, ut stultam sapientiam deserere, & sapientem Dei stultitiam quæant discere, quanti eorum sapientia diuina æquitas æstimauerit, quos non uere prudentes, sed in generatione sua prudentes esse commemorat. Iuxta hoc quod alibi dicitur: Væ qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobis metipsis prudentes. Nec non & amatores æternæ uitæ filios lucis appellando, non aliud eos qui sapientes sunt, ut faciant, mala bene aut facere ne scierunt, quos filios arguit esse tenebrarum. Filij autem lucis & filij huius seculi uocantur, quo modo filij regni & filij perditionis, cuius enim agit quisq; opera eius cognominatur & filius.

Et ego uobis dico, facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. ) Mammona iniquitatis, ab hoc appellat istam pecuniam, quam possidemus ad tempus, quia mammona diuitię interpretantur. Nec sunt istę diuitiæ nisi iniquis, qui in eis constituunt spem atq; copiam beatitudinis suę. A iustis uero cum hæc possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt illis diuitiæ nisi cœlestes & spirituales, quibus indigentiam suam spiritualiter suppletes, exclusa ægestate miserię, beatitudinis copia ditabuntur. Si autem hi qui præbent elemosynam de iniquo Mammonę faciunt sibi amicos, à quibus in æterna tabernacula recipiantur, quanto magis hi, qui spirituales largiuntur epulas, qui dant cibaria conferuis in tempore suo, certissima debent spe summæ retributionis erigi.

## HEBDOMADA VNDECIMA POST PENTECOSTES

Lectio Beati Pauli Apostoli ad Corinth. I. Cor. XII.



Citis quoniam cum gentes essetis ad simulachra muta, pro ut ducebamini euntes. Ideo notum uobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Diuisiones uero gratiarum sunt, idē autem spiritus, & diuisiones ministratorum sunt, idē autē Dñs & diuisiones operationum sunt, idē uero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq;

**C** Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanctorum, in uno spiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Haec autem omnia operantur unus atque idem spiritus, diuidens singulis pro ut uult.

**S**citis quoniam cum gentes essetis, &c.) Hic sensus dicentis est, hoc parum uerbis uideatur apperire cum gentes essetis à magis uel ab aruiscibus idolorum obedientiam praestabatis, qui uos ad simulacra muta & mortua perducebant. Nunc uero, quia religione suscepta, capitoris sensu esse debetis, libentius ad quiescite salutem, & promptius obedite ueritati, & quod in noticiam uestram depono, ad tenta mente percipite. Prout ducebamini, à quo uel à quibus ab spiritibus nempe malignis ducebamini ad opera peccatorum.

Origenes.

**I**deo notum uobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit, &c.)

Quia anathematizat, id est, qui cum quadam detestatione abnegat Dominum Iesum, non habet spiritum sanctum, & qui credit in Dominum Iesum spiritum sanctum habet, & quia legimus, qui filium non habet nec patrem habet, agnoscere ex hoc testimonio possumus, quod qui Christum non credit, nec spiritum sanctum habere credendus est, sicut legimus ad Romanos: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quomodo ergo operarios iniquitatis Dominus non cognoscit, etiam si uirtutes sint operati, ita & Deus malis operibus denegatur.

Rom. 8.

**E**t nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto) Hoc est, sine causa fatetur aliquis Dominum Iesum, qui non integre credit in spiritum sanctum, uel sine causa cum uerbis confitetur, qui factis negat. Docet ad Corinthios, nisi in spiritu sancto, id est, in bonis operibus conuersantes Dominum Iesum dicant, aliter eis prodesse non posse.

**D**iuisiones gratiarum sunt &c.) Hoc est, non solum dona linguarum, sed diuersorum charismatum genera dispensant à Domino, hic uult ostendere gratias spiritus sancti diuinas esse, non ipsius.

**E**t diuisiones ministracionum sunt, &c.) Quibus Ecclesiastica mysteria distribuuntur, officia quae ministeria in sequentibus spiritu sancto, id est, Deo desponente ordinata commemorat dicens: Quosdam quidem posuit in Ecclesiam primum Apostolos deinde Prophetas &c. Dicendo enim, idem autem spiritus, idem uero Deus, ostendit se omnino de spiritus sancti diuinitate desistere.

**E**t diuisiones operationum sunt.) Id est quibus diuersas uirtutes operantur, hoc est dicere, idem spiritus sanctus qui operatur omnia haec in omnibus, id est fidelibus atque credentibus

**V**nicuique datur manifestatio, &c.) Manifestatio spiritus, id est, ut manifestetur illum spiritum sanctum accepisse ad utilitatem salutemque multorum. Non enim pro sua tantum, sed pro fidelium causa gratiarum muneribus locupletantur. Siue ad utilitatem incredulorum, ut credant & credentes, ut firmetur. Siue manifestatio spiritus, eo quod per doctrinam spiritalem unicusque manifestam faciat conscientiam suam, sicut in consequentibus dicit, quia per prophetica castigatione occulta cordis eius manifeste fiunt. Vel quod spiritu illuminatus sensus hominum spirituali discretione cognoscat.

**A**lij quidem per spiritum sanctum datur sermo sapientiae.) Hoc est, ut sapienter & apte, & rationabiliter possit differere & docere, quod gratiae inspiratione percepit.

**A**lij quidem sermo scientiae.) Scientia est, aut aperire mysteria, aut scire, aut narrare praerita, aut iudicij futura praedicere.

**A**lteri fides in eodem spiritu.) Hic fides dupliciter intelligitur, non solum quae trinitatem capaci corde percipiat, sed quae ardenti perfectione signa & prodigia possit operari, de qua Dominus in Euangelio dicit: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, & reli.

Luc. 17.

**A**lij gratia curationum in uno spiritu.) Id est, per quam infirmis conferat sanitatem.

**A**lij operatio uirtutum.) Per quam illuminare caecos, obsessos absolvere, mortuos ualeat suscitare.

**A**lij prophetia.) Per quam moralia docet uel de retributionis die aut metuenda aut speranda praedicat.

Alij

**A** Alij discretio spirituum.) Id est, ut qualis unusquisque spiritus ueniat, uel quid ex Deo, quid ex aduersario in hominum actione ueretur, prudenti examinatione discutiat.

**A**lij interpretatio sermonum.) Id est, quia altius interpretari poterat, quae peregrino sermone alius loquebatur.

**H**ec omnia operatur unus &c.) Hic ostendit se superius totum de sancti spiritus differuisse uirtutibus, & ipsum iugi sermone Deum se & Dominum praedicasse.

**D**iuidens singulis pro ut uult.) Diuidens non ipse diuisus, diuisiones uero dictae sunt, sicut membrorum in corpore, quia non idem ualent aures quod oculi, atque ita membra caetera diuersis officijs atque concorditer distributa. Quae tamen cum sani sumus, una aequae diuersa, nec alibi maiore, alibi minore, sed cum sint communi & parili salute congaudent.

## EVANGELIUM LUCAE. CAP. XIX.



**C**um appropinquaret Iesus Hierusalem, uidens ciuitatem, fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia uenient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosterment te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuae. Et ingressus in templum, cepit eiecere uendentes in illo & ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea, domus orationis est, uos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo.

**C**um appropinquaret Iesus Hierusalem, uidens ciuitatem, fleuit super illam.) Fleuit etenim pius redemptor subuersionem per fidem ciuitatis, quae à Vespasia Beda, no & Tito Romanis Principibus facta est ei.

**D**icens, quia si cognouisses & tu.) Subaudi feres, quae modo, quia nescis quae iminet, exultas. Ruina enim quae illi iinebat, ipsa sibi ciuitas, id est, ipsa plebs ciuitatis ignorabat.

**E**t quidem in hac die, quae ad pacem tibi.) Cum enim carnis se uoluptatibus daret, uenit mala non prospiceret in die sua, quae ad pacem eis esse poterant, habebat. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Si enim à cordis eius oculis mala quae imminerent abscondita non essent, laeta in praesentibus prosperis non fuisset.

**Q**uia uenient dies in te, & circundabunt te inimici, &c.) Haec omnia à Vespasiano & Tito facta, nullus qui historiam euerfionis eiusdem ciuitatis legit, ignorat.

**E**t non relinquent in te lapidem, &c.) Haec etiam ipsa iam eiusdem ciuitatis transmigratio testatur, qui dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat dominus crucifixus, prior illa Hierusalem, ut dicitur, funditus est euerfa, cui ex qua culpa euerfionis suae poena fuerit inlata subiungitur.

**E**o quod non cognoueris, &c.) Creator quippe omnium per incarnationis suae mysterium, hanc uisitare dignatus est, sed ipsa timoris & amoris illius recordata non est.

**E**t ingressus templum, &c.) Qui enim narrat futura mala uentura, & protinus templum ingressus est, ut de illo uendentes & ementes eieceret, profecto innotuit, quia ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, qui ad hoc in templo adhaerere nouerant, ut aut non dantes munera studerent, ut corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare.

**V**idens enim ciuitatem, &c.) Hoc semel legit cum perituram ciuitatem esse nunciauit. Hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere non cessat, cum quosdam ex bona uita sus. ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit eos, qui nesciunt, quare plangantur, qui iuxta Salomonis uerba laetantur cum male fecerint & exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam, quae eis imminet agnouissent, semetipsos cum lacrimis electorum plangerent.

Et

**C** Et quidē in hac die tua, quæ ad pacē tibi.) Suam hic diem habet anima peruersa, quæ transitorio gaudet in tempore, cui ea, quæ ad sunt ad pacem sunt. Quia dum ex rebus temporalibus letantur, dum honoribus extollitur, dum in carnis uoluptate resoluuntur, dum nulla uenturæ poenæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ graue damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est, ubi iusti lætabuntur.

Nunc autem abscondita sunt, ab oculis tuis.) Peruersa quippe anima rebus presentibus dedita, interrenis uoluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ presentem lætitiā perturbent, dum quæ in presentis uitæ oblectatione deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem uadit.

Quia ueniēt dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo.) Qui unquā sunt humanæ animæ maiores inimici quā maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntē obfidunt, quam in carnis amore positam deceptoris delectationibus fouēt, quam uallo circūdant, qui ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant.

Circundabunt te, & coangustabunt te undiq̄.) Maligni quippe spiritus, undiq̄ animam angustant, quando ei non solum operis, sed etiam locutionis, atq̄ insuper cogitationis iniquitates replicāt, ut quæ prius se per multa dilatauit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione.

Et ad terram consternent te, & filios tuos qui in te sunt.) Tunc anima per cogitationem reatus sui ad terram consternitur, cum caro quam uitam suam credidit, redire ad puluerem urgetur. Tunc in mortem filij illius cadunt, cum cogitationes inlicitæ, quæ modo ex illa prodeunt, in extrema uitæ ultione dissipantur: Sicut scriptū est: In illa die peribunt omnes cogitationes eorū. Quæ scilicet duræ cogitationes intelligi etiā per lapidā significationē ualēt.

Psal. 145.

Et non relinquent in te lapidem super lapidem.) Peruersa etenim mens cum peruersæ cogitationi adhuc peruersiorem adijcit, quid aliud quā lapidem super lapidem ponit: Sed in destructa ciuitate super lapidem lapis non relinquetur, quia cum adulationem suam anima ducitur, omnis ab illa cogitationum suarum constructio dissipatur.

**D** Eo quod non cognoueris tempus uisitacionis tuæ.) Pravam quancq̄ animam omnipotens Deus modis multis uisitare consueuit. Nam ad sua hanc uisitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando uero miraculo, ut & uera quæ nesciebat audiat, & tamen adhuc superbians atq̄ contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficijs deuicta, malū quod fecit erubescat. Sed quia uisitacionis suæ tempus minime cognoscit, illis in extremo uitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ societate colligatur.

Templū Dei.

Et ingressus templum cœpit eijcere uendentes, &c.) Sicut templum Dei in ciuitate est, ita in plebe fidelium uita religiosorum, & sepe nonnulli religionis habitum sumunt, sed dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercio terrenæ negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitia enim, uendere est hanc pro præmij acceptione seruare, ementes uero in templo, sunt qui dum hoc persoluere proximo quod iustum est nolunt, dum quæ rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio emunt peccatum.

Vendentes in templo.

Domus mea domus orationis est, uos autē fecistis illam speluncā &c.) Quia dum non nunq̄ peruersi homines locū religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladijs occidunt, ubi uiuificare proximos orationis suæ intercessione debuerunt. Templū quoq̄ & domus Dei est ipsa mens atq̄ conscientia fidelium, quæ si quando in lesione proximi, peruersas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones relident, & simpliciter gradientes interficiunt, quando in eos qui in nullo rei sunt, lesionis gladios desigunt. Mens enim fidelium, non iam domus orationis, sed spelunca latronis est, quando relicta innocentia & simplicitate sanctitatis, illud conat agere, unde ualeat proximis nocere, sed quia cōtra peruersa hæc omnia, uerbis redēptori nostri per sacras paginas indefinēter instruiuntur. Nūc usq̄ hoc agit, q̄ factū fuisse perhibet cū dicitur:

Et erat docens quotidie in tēplo.) Cum enim mente fidelium ad cauenda mala subtiliter erudit quotidie ueritas in tēplo docet, sed tunc ueritatis uerbis ueraciter docemur, si extrema mala nostra formidolose & indefinēter aspiciamus, iuxta illud: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

IN

## IN NATALI SANCTAE FELICITATIS LECTIO

Prouerbiorum Capite ult.

A



Mulierem fortē quis inueniet? procul & de ultimis finibus præcium eius. Confidit in ea cor uiri sui, & spolijs non indigebit, reddet ei bonum & non malum, omnibus diebus uitæ suæ. Quæsiuit lanam & linum, & operata est, consilio manuum suarum, facta est quasi nauis infitoris, de longe portans panem suū. Et de nocte surrexit, deditq̄ prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consi-derauit agrum & emit eum, de fructu manuum suarum plantauit uineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Gustauit & uidit, quia bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fufum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ à frigoribus hiuis, omnes enim domestici eius uestiti sunt duplicibus. Stragulatam uestem fecit sibi, bissus & purpura uestimentum eius. Nobilis in portis uir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit & uendidit, & cingulum tradidit Chananeo. Cōsidera uir semitas domus suæ, & panem ociosa non cōedit. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius, fortitudo & decor indumentum eius, & redebit in die nouissimo. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, uir eius & laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas. Fallax gratia & uana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur. Date ei de fructu mannū suarum, & laudent eam in portis opera eius.

B

Mulierem fortem quis inueniet.) Mulier fortis ecclesia Catholica uocat, quam Beda. Ioannis in Apocalypsi amictam cum sole, id est, Christo uidisse perhibetur. Quæ spirituales Deo filios ex aqua & spiritu sancto generare non cessat, quæ ideo fortis uocatur, quia cuncta seculi aduersa simul & prospera pro conditoris sui fide contemnit, quā ipse in carne apprensus infirmam inuenit, sed uisitacione sua fortem reddidit. Videns ergo Salomon genus humanum multis implicatum erroribus, ait: Mulierem fortem quis inueniet? ac si diceret: Quis Patriarcha aut Propheta, uel quis talis aut tantæ uirtutis uel meriti esse potest, qui de tot incredulis mundi nationibus, unam sibi electorum ecclesiam congreget: quam sua gratia fortem & insuperabilem aduersantibus cunctis efficiat? subintelligitur nullus nisi Christus.

Procul.) Procul, pro statu posuit temporis, id est, à diebus Salomonis usq̄ ad partum uirginis.

Et de ultimis finibus præcium eius.) De ultimis finibus dicit, quia à summo cœlo egressio eius, quia semetipsum præcium redemptionis pro salute nostra obtulit patri. Vnde Apostolus ait: Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Aliter præcium sanctæ ecclesiæ procul positum est, quia incarnatio uerbi Dei & conuersatio eius inter homines, & passio & resurrectio eius longe est à nostra conditione discreta.

Psal. 118. Eph. 5.

Confidit in ea cor uiri sui.) Virum sanctæ ecclesiæ, qui etiam & præcium eius fieri dignatus est, dominum dicit: Sicut enim is qui fortem fidelemq̄ & castam habet coniugem, confidit in ea, quia nihil contra suam uoluntatem adulterina saltē cogitatione possit cōtamina re, sed quoscūq̄ ualet ad sua amicitia, ad suū uirum cōuētere desiderat. Sic redemptor noster in sibi coniuncta confidit ecclesia. Nouit enim spiritū gratiæ & uirtutem charitatis, quā eius præcordijs infudit. Ideo non dubitat eam, non solum à suæ fidei integritate posse corrūpi, sed & perseveranter insistere, ut plures ad eiusdem fidei congreget unitatem.

A Et

**C** **Et spolijs non indigebit.)** Spoliat enim diabolus ecclesia, cum per prædicatores suos, eos quos ipse deciperat ad ueritatis iter reuocat, & nunquam diabolica fraude decipias liberare animas cessat. Donec cõpleto mundi cui su suorũ præfinita cõpleat summa mēbrorũ.

**Reddet ei bonũ & nõ malũ.)** Reddit quippe ecclesia, siue una quæcũq; anima Christi bonum cum perceptis ab eo uitæ muneribus, recte uiuendo respondet, cum ea quæ ipsa scire uel facere ab illo adiuta potuit, etiã alijs intimare fatagit. Econtrario sunt, qui à domino acceptis bonis mala reperiunt, id est, uel fidei mysteria, quæ perceperunt hæretica sece scedandũ, uel fidem quã professione seruanti prauis operibus blasphemando, uel mores bonos per colloquia mala corrumpendo.

**Omnibus diebus uitæ suæ.)** Omnibus diebus reddit domino bonum, qui in his quæ bene inchoat usq; ad finem uitæ præsentis persistere curat. Cui simile est illud Euangelicum: Seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

**Quæsiuit lanam & linum, & operata est, consilio manuum suarum.)**

Hæc & secundum literam sancta ecclesia obseruare consuevit, iuxta illud propheticum: Cum uideris nudum operi eum, & carnem tuam ne disprexeris, &c. Et hæc non superuacue, sed cum consilio operatur, ut ab ipso uiro suo domino audiat in iudicio: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi, quia nudus fui & operuistis me, &c. Myrtice aut in lana, quia unus est habitus pietatis & simplicis, quæ in proximis impendimus opera designat. In lino uero castigatio uel mortificatio carnis nostræ intimat.

**Facta est quasi nauis institoris, de longe portat panem suum.)** Institor rem negotiatorem dicit, qui pro eo sic uocatur ab antiquis, quia in requirendis, multiplicandisq; mercibus sedulus insistat. Facta est ergo anima sancta, quasi nauis institoris, quæ transit de desiderio fluctus seculi præsentis, sola quæ in cœlis accipere sperat æterna gaudia meditat. & pro his adipiscendis quicquid ualet, instanter agit, & aduersa omnia fortiter superare conrendit. De qua recte subdit, de longe portat panem suum, quia in cunctis quæ temporaliter bene agit, æternam solummodo retributionem expectat, & eius uitul panis fauritatem desiderat, qui dixit: Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi, & qui suis auditoribus pie promittit, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

**D** **Et de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.)** Quasi enim nocte quiescit, cum aliquis fidelium intermissa sollicitudine externa sibi met uacare spiritualiter incipit, & uel lectionibus sacris, orationibus, sanctis uel lacrimis secretis, exercendo securare non cessat. Nam confurgit de nocte, cum ad agendam etiam proximorum curã se sollicitè accingit atq; componit. Dat namq; prædam domesticis, cum eos quos ab antiquo hoste docendo eripere potuit, societati illorum, qui in fide præcesserunt reconciliat. Dat ancillis cibaria, cum humiles sua iussa seruantes, ne in labore lassescant, supernæ mercedis commemoratione reficit.

**Considerauit agrum & emit eum.)** Agrum dicit possessionem supernæ hæreditatis, unde iacob ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agris pleni cui benedixit dominus. Quæ considerauit ecclesia, siue electa anima & emit, quia studiose didicit, quæ sunt gaudia uitæ perennis, & pro eorum perceptione quicquid potuit laborauit. Aliter: Considerauit agrum, id est, orbem uniuersum, & emit eum, cum missis doctoribus talentum uerbi contulit, ut credentes felicissimo Christi mancipatui subderet.

**De fructu manuum suarum plantauit uineam.)** Plantauit autem uineam cū in agro mundi de nouis credentium populis fecit ecclesiam, & eam planè Euangelicæ ueritatis institutione firmavit. Quam uineam de fructu manuum suarum plantauit, quia non solum uerbo Apostoli, Apostolorumq; successores, sed & miraculo & bonæ operationis doctrina credentes infruxit, sed & usq; hodie, & usq; ad finem seculi sancta ecclesia sollicitè perquirat, quos ad fidem cõuenter possit, & quoscunq; dociles inuenerit, hos data pecunia uerbi in seruitũ Christi emit, atq; in eis uineam Christi plantare, uel potius eos uineam Christi facere fatagit.

**Accinxit fortitud. &c.** Accinxit ergo ecclesia, lumbos suos fortitudinem, cum supernorũ desiderijs intenta, carnalibus inlecebris succumbere dispexit. Roborauit brachiũ suũ, cum se ad agenda uirtutũ opera præparauit. Et bene primo lumbos fortitudine accingere, ac postmodum roborare brachium dicitur, quia nimirũ actio boni operis acceptabilis Deo esse, minime

**A** **minime ualet, si non fluxa luxuriæ quis prius à carne simul & mente restringat.**

**Gustauit quia bona est negociatio eius.)** Negociatio eius agri utiq; significat illius, de quo supra ait: Considerauit agrum & emit eum. Gustauit igit ecclesia siue anima sancta intimo mentis desiderio, & cognouit quia bona est negociatio uitæ immarcescibilis, quam relictis inlecebris temporalibus æterna mercata est in cœlis.

**Non extinguet in nocte lucerna.)** Eorũ namq; lucerna nocte extinguit, qui sicut Dominus ait: Ad tempus credunt, & ad tempus tentationis recedunt. Sed & illorum nocte media extinguetur lucerna, qui ueniente iudice, oleum charitatis in uasis precordiorum suorum non habebunt. Sanctæ uero ecclesiæ lucerna non extinguitur in nocte, quia cum à negotio quiescit, actionis uacat liberius lucis supernæ contemplationis.

**Manum suam misit ad fortia.)** Fortia dicit perfecta in Christi charitate opera, ut ipse Dominus ait: Diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro calumniantibus & persequētibus uos. Et illud: Si uis perfectus esse, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus. Nam & de eius fortitudine alibi dicit: Regnum cœlorũ uim patitur, & uiolenti rapiunt illud.

**Et digiti eius adprehenderunt fufum.)** Solent scemina nentes fufum in dextera, colũ tenere in sinistra. In colo eni lana inuoluta est, quæ filo ducenda, nendõ transit in fufum. Dextera uitæ perpetua, lœua præsentia Dei dona significat, hoc est, opulentia rerũ, pacẽ tẽporũ, sospitatẽ corporũ, scientiã scripturarũ. Hęc & similia bona cū Deo largiẽte percipimus, quasi lanã colo inuolutã in lœua gestamus. At cū ea pro amore cœlestiũ exercere incipimus, iam lanã agni immaculati de colo in fufum, id est, de lœua in dextrã traicimus, quia de donis nostri redẽporis, de exẽplis operũ eius, stolã nobis gloriæ cœlestis ac uestẽ charitatis & nuptialẽ facimus. Digiti namq; quibus adprehendere fufum dicitur, ipsam intẽtionẽ discretionis quam quisq; operatur insinuant.

**Manũ suam, &c.)** Hæc de operibus elemosynarũ quæ generaliter fiunt in pauperes accipi potest. Sed melius de uerbo Dei, quod indumentũ salutis animabus confert, intelligitur. Aperuit ecclesia manũ inopi, cū miseria fidei ignorantibus per operarios ueritatis reuelauit. Palmas extendit ad pauperem, cum late longeq; prædicatores æternæ salutis in gentes disperfit.

**Non timebit, &c.** Frigora niuis corda sunt reproborũ perfidiæ suæ corpore rigentia, quibus abundat iniquitas, & refrigescit charitas. Non timebit ergo ecclesia domui suæ à frigoribus niuis, quia domino pollicente credit, quia portæ inferni non præualebunt aduersus eam.

**Omnes enim domestici eius trestiti duplicibus.)** Vestiti sapientia ad repellendas hæreticorũ doctrinas. Vestiti sapientia ad tollerandas prauorũ hostium pugnas. Siue induti sunt domestici ecclesiæ duplici ueste, una operis, altera mentis, id est, fidei & operationis, & sacramentis uidelicet sui redemptoris imbuti, & informati exemplis, uel certe uestiti sunt duplicibus, quia promissionem habent uitæ præsentis & futuræ. Nunc in peregrinatione temporalis adiuti, tunc in patria perpetua, ubi semper foelices uiuant gratia diuina adleuati.

**Stragulatam uestem fecit sibi.)** Stragulata uestis quæ uariante textura solet firmissima confici, fortia ecclesiæ opera & diuersa uirtutũ ornamenta significat. De quibus Psalmista, in laudem summi regis cecinit dicens: Adstitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato, circumamicta uarietate.

**Byffus & purpura indumentum eius.)** Byffus in castitate puræ conuersationis, purpura in effusione præciosi sanguinis. Hinc enim pulchre dictum est à patribus, quia sancta ecclesia electorum florum uernans in pace habet lilia, in bello rosas. Byffo ergo induitur ecclesia, cum castigant corpora sua electi, & seruituti subijciunt, purpura cum eandem continentiam non ob fauorem uulgi, sed pro adquirenda beatitudine regni perennis exercent.

**Nobilis in portis uir eius.)** Vir sanctæ ecclesiæ uel cuiuscunq; animæ fidelis domus est, qui uidebatur ignobilis, cum ante tribunal præsidis stare iudicandus, cum probra, flagella, spura, crucẽ, mortemq; susciperet, sed nobilis apparebit cum uenerit iudicaturus orbẽ in æquitate, & omnes angeli cum eo, & tunc congregabuntur ante eum omnes gentes.



**C** Quando federit cum senatoribus terræ.) Ipse enim qui nunc contemnendus putatur à multis, paganis uidelicet, Iudæis, hæreticis, siue prauæ uiuentibus Christianis, ubi seculi finis adfuerit, ubi ingressum patriæ cœlestis aperuerit, electis cunctis parebit, nobilis & sublimis, sedens cum senatoribus terræ, illis uidelicet, quibus ipse promittit dicens: Amen dico uobis, quia uos qui secuti estis me in regeneratione, cū federit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebit & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.

**Sindonem fecit & uendidit.)** In lintheo Sindonis subtilis intextio signat sanctę prædicationis, in qua molliter quiescit, quia mens in illa fidelium spe superna refouetur. Unde & Petro animalia in lintheo demonstrantur, quia peccatorum animæ misericorditer adgregatæ, in blanda fidei quiete continentur. Hanc ergo sindonem ecclesia fecit & uendidit, quia fidem, quam credendo texerat, loquendo dedit, & ab infidelibus uitam rectę cōuersationis accepit.

**Et cingulum tradidit Chananæo.)** Chananæo cingulum tradidit ecclesia, quia per uigorem demonstratę iustitiæ fluxa opera gentilitatis adstringit. V hoc quod uerbo præcipitur, uiuendo teneatur, ut illud: Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes. Bene etenim nomine Chanaan, qui & in gentiliū est populo procreatus, & interpretatur cōmutatus, conuersa ad fidem gentilitas designatur. Quæ felicissima commutatione à uicijs ad uirtutes, à diabolo transfingrauit ad Christum, & impletum est illud uaticinium psalmi: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum, id est, uitia & peccata & domum patris tui, id est, hostis antiqui, & sic concupiscet Christus rex decorem tuum.

**Fortitudo & decor indumentum eius.)** Fortitudo ad tollerandā peruersorū improbitatem. Decor ad exercendam uirtutum gratiam. Fortitudo, quia persecutionem patitur propter iustitiam. Decor quia operatur iustitiam. Similem huic sententiam Psalmista de Domino posuit dicens, Dominus regnauit, decorē induit: induit dominus fortitudinē. Cū enim prædicaret Dominus Euangelium regni, alijs placebat, alijs displicebat: Alij bene loquebantur, alijs detrahebant, lacerabant, mordebant, conuiciabantur. Ad eos ergo, quibus placebat, decorem induit. Ad eos ergo quibus displicebat, fortitudinem. Imitare ergo tu dominum, ut possis esse uestis ipsius, esto cum decore ad eos, quibus placent bona opera tua, esto fortis aduersum detractores.

**E ridebit in die nouissimo.)** Ridebit, id est, gauidebit in retributione regni cœlestis, quæ dolebat in certamine uitæ præsentis. Mos etenim scripturæ est, pro gaudio risum ponere. Sicut & Dominus ait: Beati qui nunc stertis, quia ridebitis. Et beatus Iob: Os autem ueracium replebitur risu.

**Os suum aperuit sapiētia.)** Ad hoc tantum loquens, os aperuit, ut sapientiam doceret, iuxta illud Apostoli: Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus, uel certe os cordis aperuit ad discendam ab ipsa sapientia interior ueritatem, quam alios forsas doceret, utriusque autem sensui, quia utrunque laicit ecclesia, conuenit apte quod sequitur:

**Et lex clementiæ in lingua eius.)** Lex uidelicet illa, quæ nō statim more legis Moisaicæ peccantes puniret, sed misericorditer ad poenitentia remedia reuocaret, cuius exemplum clementiæ ab ipso Dei sapientia Domino & saluatore nostro manifeste præcipitur, cum oblata ei peccatrice muliere: Si quis, inquit, sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, & sic eam à crimine, quod patrat, sub conditione amplius non peccandi miseratus absoluit.

**Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non cōmēdit.)**

Ociosa panē non cōmēdit, quia hoc quod de sacro eloquio intelligēdo perceperit, ante æterni iudicis oculos exhibendo operibus ostendit. Item domus uulueris fortis, habitatio est patrię cœlestis: semite domus illius præcepta iustitiæ, quibus ad æternam uitæ mansionem peruenerunt. Quas profecto semitas anima bene considerat, cum & diligenter quibus actibus ad superna peruenire debeat inspicit, & quæ agenda didicit, sedula exercere non desinat. Panem quoque ociosa non commēdit, cum sacrificiū dominici corporis percipiens, studet imitari actum, quod in ministerio celebrat, multum sollicita, ne indigne panem domini commēdendo, & calicem bibendo iudicium sibi manducet & bibat. Sed ut patiendo pro Christo, lachrymis fundendo, bonis quoque actibus insistendo, passionem exempla ipsius quantum ualeat sequatur.

Potest

**A** Potest & simpliciter accipi, quia panem ociosa non cōmēdit mulier fortis, iuxta illud Apostoli: Qui non operatur, nec manducet, & ipse de se: Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istę. Unde merito luxuriantes uiduas arguens adiungit: Simul autē & ociosę discunt circūire domos, non solum ociosę, sed & uerbosę & curiosę.

**Surrexerunt filij eius & beatissimam prædicauerunt.)** Quod futurum pro certo nouerat, more Prophetico, quasi iam factum refert: Surgent enim filij Ecclesię, uidelicet, omnes electi in nouissimo carnis immortalitate donati, & tunc matrem suam, quæ eos ex aqua & spiritu sancto Deo genuit, beatissimam prædicant, quæ nunc ab infidelibus, quasi misera contemnitur, & reuera, sicut Apostolus ait: Si in hac uita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quia uero pro uita aliā in præsentem militamus, merito cum apparuerit quid erimus, matrem nostrā quæ ex omnibus iustis collecta, una Christi columba, sponsa & amica uocatur, beatissimam prædicabimus. Potest & hoc quod dicit: Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, etiam in hoc tempore conuenienter accipi, cum quilibet fidelium transcens seculi ærnis ad cœlestia regna perducitur. Sedere namque ad humilitationem, aliquoties furgere ad gloriam pertinet. Surgunt ergo filij Ecclesię, & beatissimam eam prædicant, cum cœlestibus bonis sublimati, quanta sit illius patrię beatitudo, cuius participes esse meruerit aspiciunt, & hanc debita laudationē in diuina uisione cōcelebrant.

**Vir eius & laudabit eam.)** Laudabit eam & uir ipsius cum bona, quæ ipse in præfenti seculo donat, in futuro remunerat, dicens in iudicio: Venite benedicti patris mei, percipite regnū, quod uobis præparatū est ab origine mundi: Quia esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Ipse quidem primitiæ dormientium, resurrexit à mortuis, sed in die iudicij manifestus omnibus, quos sua laude dignos iudicauerit, quanta sit eiusdem suæ resurrectionis gloria demonstrabit. Quibus autem uerbis eam laudet consequenter ostenditur.

**Multe filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas.)**

Multas filias Ecclesiās dicit hæreticorum & malorum turbas Catholicorum, quæ filia dicuntur, uel Christi, uel Ecclesię, quia etiam ipse sunt dominici renatę sacramentis, & ad adoptionē filiorum, quam non custodire perceperunt. Unde & Ioannes ait: De nobis exierunt, sed non erant ex nobis, quæ congregauerunt diuitias, uidelicet bonorum operum, orationes, ieiunia, elemosinas, afflictionē, & castimoniam carnis, continentiam linguę, meditationē scripturarū, &c. Huiusmodi quæ uerę sunt diuitiæ, spiritus ubi pura mentis sinceritate geruntur. Vbi autē sine fide quę per dilectionē operatur, nihil agentibus profunt. Sed & illę filie frustra cōgregauerunt diuitias, de quibus Dominus ait: Multi dicent mihi illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus & in tuo nomine demonia eiecimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus, & tunc constiterit illis, quia nunquā noui uos. Sed omnes istiusmodi filiarum Ecclesię catholica supergreditur, quæ fide casta & opere perfecta redemptoris sui uestigia sectantur.

**Fallax est gratia, &c.)** Fallax est gratia laudis, quā ab homine accepit. Vanā pulchritudo castitatis uel operationis bonę, quā omnibus ostendat anima quæ timore caret diuino.

**Mulier timens Deum ipsa laudabitur.)** Illa anima, cuius conscientia sincera est, uera est & laude digna, quia timorem Dei in omnibus seruat. Timor est enim principium cunctarum uirtutum, scriptura dicente: Timor Domini principium sapientię. Et iterum: Qui timet Deum nihil negligit, hinc est enim, quod ideo beatus Iob & in prosperitate uirtutibus incomparabiliter floruit, & in aduersitatibus insuperabilis hosti permansit. Quia ueraciter dicere potuit, semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum & p̄dus eius ferre non potui. Fallax est ergo simulatorum gratia, uanus decor operis stultorum. Ecclesia autem quæ in timore incolatus sui tempore conseruatur, quoniam ardentes uirtutum lampadas uentis ad iudicium suo sponso offerret, iure à Deo laudata, ianuā cū eo regni cœlestis intrabit. Qualiter autem eam laudet, terminali uersu docetur.

**Date ei de fructu manuum suarū, & laudent eam in portis opera eius.)**

Hęc sunt enim uerba uiri illius, de quo dictum est: Vir eius laudabit eam, id est, Domini & Saluatoris nostri, qui angelis in sine præcepturus est, ut Ecclesiam post huius uitę certamen postturationem, afflictionem terrestrium ad cœlestis regni gaudia introducant, ac uitæ immortalis sibi sociam adgregent, iuxta illud Euangelicum: Triticum autem congregate in horreum meum: Date, inquit, ei de fructu manuum suarum, quia fructum spiritus ferre curauit, Charitatem, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modestiam, continentiam, fidem, patientiam.

A 3. Pro

Math. 19.

Asto. 10.

Luc. 12.

Psal. 44.

Psalm. 92.

Luc. 6.

Eph. 4.

IOAN. 3.

1. Cor. 16.

2. Thessal. 3.  
Act. 20.  
1. Thess. 4.

1. Cor. 15.

Math. 23.

1. Ioan. 2.

Pro. 1.

Eccle. 7.

Iob 3.

Math. 13.

**C** Pro hoc illi debitam rependite mercedem. Et laudent eam in portis, hoc est, in iudicio, siue in ingressu patrie celestis non hominum fauore superuacui, sed opera ipsa quae fecit, examinante, probante, hanc remunerante, illo cuius haec donante gratia perfecit, à quo ut laudari mereamur in futuro cōcedat ipse propitius nos eū dignis in presenti uita cōlaudari seruijs, Amen.

## E V A N G E L I V M M A T T H A E I. CAP. XII.

**I** Oquente eo ad turbas. Ecce mater eius & fratres, stabant foris quærentes loqui ei: Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant querentes te: Et ipse respondens, dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei. Et extendens manū in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei, quicumque nō fecerit uoluntatē patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est.

**L** Oquente Iesu ad turbas, & ecce mater eius & fratres stabant foris quærentes loqui ei.) Occupatus erat Dominus in opere sermonis, in doctrina populorū, in officio prædicandi. Sane quod Dominus ad matrem fratresque rogatus ab officio uerbi distimulatur egredi, non maternæ refutat obsequia pietatis, cuius præceptum est: Honora patrem tuum & matrem, sed paternis se mysterijs amplius, quam maternis debere monstrat effectibus, idem nobis exemplo, quod uerbo cōmendans cum ait: Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Mysticæ autē mater, & fratres Iesu synagoga ex cuius carne est editus & populus est Iudæorum, qui saluatore intus docente uenientes intrare nequeunt. Cuius spiritaliter intelligere dicta negligunt, præoccupans enim eius ingreditur domum, quia differente Iudæa gentilitas confluxit ad Christum, atque in æterna uitæ mysteria quanto fide uicinior tanto mente capatior hausit, iuxta quod Psalmus ait: Accedite ad eum & illuminamini.

**D**ixit autem ei quidam.) Videtur mihi istę qui nūciat, non fortuito, & simpliciter nuntiare, sed insidias tendere, utrum spiritali operi carnem & sanguinem præferat. Vnde & Dominus non quo matrem negaret, & fratres exire contempsit, sed quo responderet insidiant, extendens manum in discipulos ait: Ecce mater mea & fratres mei, isti sunt mater mea, qui me cotidie in credentium animis generant, isti sunt fratres mei, qui faciunt opera patris mei.

**E**t ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.) Apostolus cognitionē prætulit, ut & nos in cōparatione dilectionis carni spiritū præferamus. Fratres cōsobrinos saluatoris foris Marię liberos intelligimus mater terrę Domini, quę esse dicat mater Iacob minoris, & Ioseph, & Iudę, quos in alio Euangelij loco fratres Domini legitimus appellatos.

Foris enim stantes uolunt Dominum uidere cognati ipsius, cum Iudæi spirituales in lege non quærentes intellectum, sese ad custodiam literæ foris fixerunt, & quasi Christum potius ad carnalia docenda cogunt exire, quam se ad discenda spiritalia consentiunt ingredi.

**A**t ipse respondens, dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt, &c.) Cum is qui uoluntatē Dei fecerit soror & frater Domini dicitur, propter utrūque sexum, qui ad fidē colligitur, mirum nō est. Mirandum uero ualde est, quomodo etiam mater Domini dicatur, fideles etenim discipulos, fratres uocare dignatus est, dicens: Ite & nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater Domini fieri ad fidem ueniendo potuerit, quærendū est etiam, quomodo mater esse possit. Sed sciendum est, quia qui Iesu frater & soror esse credendo, mater efficitur prædicando, quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & mater eius efficitur, si per eius uocem amor Domini in proximi mente generatur.

## H E D O M A D A X I I. P O S T P E N T E C O S T.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. Cap. XV.

**N** Otum uobis facio Euangelium, quod prædicauit uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini. Quæ ratio ne prædicauerim uobis si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim uobis in primis, quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundū scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundū scripturas, & quia uisus est Cephæ & post

**& post hæc undecim. Deinde uisus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde uisus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus. Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo uisus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus uocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei, Gratia autē Dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non fuit.**

**N** Otum enim uobis facio Euangelium, &c.) Hic prætermisso ordine prædicandi, ad doctrinam se contulit resurrectionis, eo quod nonnulli Corinthiorum de resurrectione dubitarent. Primas,

**Q**uod & accepistis.) Id est, quod acceptum habuistis, & hæc dicit, ne illi hoc non cre didisse uiderentur.

**I**n quo & statis.) Id est, in bonis operibus perseverantes, in cuius doctrina ad celestia estis erecti.

**P**er quod & saluamini.) Id est, per cuius doctrinam salutem speratis animarum & à diuersis infirmitatibus corporum, quia sine fide resurrectionis perit omnimodo spes salutis.

**Q**uæ ratione prædicauerim uobis.) Ac si diceret, tota ratio prædicationis nostræ hæc est, ut resurrectionem credatis, hoc est, præmium omnium qui Christum crediderunt. Alioquin superfluous est omnis labor ieiuniorum, & omnium tribulationum, quas in hac uita pro Christo patimini.

**S**i tenetis, nisi frustra credidistis.) Id est, nisi oblitus estis, uel certe si fidei uestrę, uel laboris premium resurgendo, non speratis uane creditis.

**T**radidi enim uobis in primis.) Id est, ex quo uobis in primordio prædicauit, tradidit mysterium resurrectionis, quod fidei nostræ constat esse, uel primum.

**Q**uod & accepi.) Accipere se dixit, siue à lege, siue à senioribus, siue ab ipso Domino per reuelationem.

**Q**uoniam Christus mortuus est, pro peccatis nostris secundū scripturas.) Vt maiore possit beatus Apostolus autoritate firmare, quod prædicabat, hunc esse Christum saluatorem mundi, dicit: Quem Moyses & Prophete adnuntiauerunt, ideo & secundum scripturas prædictum esse eum cōmemorat, ut illud, sicut ouis ad occisionē ducitur, & quasi agnus coram tonante se obmutescit, & illud: Traditus est, propter iniquitates nostras, & liuore eius sanatus sumus, & multa alia in diuinis de passione eius inuenies scripturis. Esa. 53.

**E**t quia sepultus est.) Vt illud Esaię: Et dabit impios pro sepultura & diuites pro morte sua. Item ipse: Sepultura eius sublara est de medio.

**E**t quia resurrexit tertia die secundum scripturas.) Habes in Hosea, uiuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & uiuemus in conspectu eius. Osee, 6.

**E**t quia uisus est Cephæ.) Id est Petro, Cephas enim Syrum nomen est, apparuit Petro, sicut in Euangelio scriptum est, quia apparuit Simoni.

**E**t post hæc undecim.) Quando ad eos ianuam clausis intrauit, hoc intelligendum, quia in Euangelio non omnes scriptæ sunt uisiones, sed tantū quæ ad audientium sufficeret fidē.

**D**einde uisus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus, &c.) Vt enim maior fides haberet multitudinem testium interposuit, ex quibus multi uiuere dicuntur, qui possint interrogati dicere quæ uiderunt, multi uero iam dormire dicuntur in morte.

**D**einde uisus est Iacobo.) Iacobo Alphę seorsum apparuit, ferunt enim quod ipse Iacob Alphę testatus est in cæna Domini, dicens: non se cōmessurū panē, usque dum uideret Christum resurgentem à mortuis.

**D**einde Apostolis omnibus.) Multi hic Apostolos illos omnes septuaginta, quos Dominus misit binos ad prædicandum intelligi uolunt.

**N**ouissime autē omnium, &c.) Uisus est illi in uia, quando lux circumfulsit eum, si-

## D. ZMARAGDI COLLECTIONE 3

**C**ue in templo hæc ideo dicit, ne putarent eū audita potius, quam uisa narrare, tanq̄ ab ortiuo dicit, quia est Sinagogæ mortuus & natus Ecclesiæ tanq̄ ab ortiuo, de cuius uita fuerat desperatum, nisi per gratiam Domini uiolenter fuisset adtractus. Adtractus autem prædicationibus non cathenis. Et pro stupore nouitatis in uitijis qui erat, in legis eruditione perfectus. Siue ideo abortiuus, quia mater synagoga eū male cōceptum imperfectumq̄ peperit.

Ego enim sum minimus Apostolorum.) Hæc enim de se propter humilitatem dicit, cæterum erat minimus tempore non labore. Nam alibi ait: Plus omnibus laborauit.

Quia non sum dignus uocari Apostolus, &c.) Quare non sit dignus ipse exponens ait: Quoniam perlecutus sum Ecclesiā Dei, docet nos exemplo suo, etiam si ad præsens proficiamus deslere præterita. Melius est enim dimissa recordari peccata, quam obliuisci commissa. Scriptum est enim: Fili peccasti, ne adijcias iterum, sed & depræteritis deprecare.

Gratia autem Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me uacua nō fuit.) Quia gratia qua redempti sumus, laborem, conatum, meritum non quæsiuit. Cotidiana autem gratia post baptismum cotidianum seruitium laboris expectat.

## EVANGELIUM LVCÆ. CAP. XVIII.

**D**uo homines ascenderunt in templum, ut orarent, unus Pharisæus & alter publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic Publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad coelum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico uobis, descendit hic iustitiae eatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

**D**uo homines ascenderunt in templum, ut orarent unus Pharisæus & alter Publicanus.) Publicanus humiliter orās, ad illa præfate uisus, hoc est, Ecclesiæ membra pertinet, de quibus supra dicitur: Deus autem non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se. Pharisæus autem merita iactans ad ea de quibus terribilis in cōclusionem sententia subditur. Verumtamen filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra?

Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia, &c.) Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. Cum bonum aut à semetipsis habere estimāt, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum iactant se habere, quod non habent, aut dispertis cæteris singulariter uideri appetunt habere quod habent, qua Pharisæus istæ iactantiæ peste laborasse deprehenditur, qui idcirco de templo absq̄ iustificatione descendit, quia bonorum operum merita sibi, quasi singulariter tribuens oranti Publicano se prætulit.

Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.) Iezechiel Propheta de ostentis sibi cœli animalibus scribit: Et totū corpus plenum oculis in circuitu ipsarū, quatuor corpora quippe animalium quatuor, idcirco plena oculis describuntur, quia sanctorum actio ab omni parte circumspēta est bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens. Sed nos sepe dum alijs rebus intendimus, fit ut alia negligamus, & ubi negligimus, ibi proculdubio oculum non habemus. Nam ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad impendendam misericordiam, & referendas Deo gratias oculum habuerat, sed ad humilitatis custodiam non habebat, & quid prodest, quod contra hostium insidias pene tota ciuitas caute custoditur, si unum foramen apertum relinquitur unde ab hostibus intratur.

Et Publicanus à longe stans, nec nolebat oculos ad, &c.) Quantæ ueniæ fiducia dignæ poenitentibus præbet, quod Publicanus, qui reatum suæ nequitiae perfecte cognouit, fleuit, confessus est, & si iniustus ad templum uenit, iustificatus à templo rediit. Typice autem Pharisæus ludgorum est populus, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua. Publicanus uero gentilis est, qui longe à Deo positus, confitetur peccata sua, quorum unus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus.

Quia

**A** Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.) Et de utroq̄ populo præfate & de omni superbo, uel humili recte potest intelligi, sicut & illud, quod alibi legimus: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur, quapropter & de uerbis elati Pharisæi, quibus humiliari meruit, possumus ex diuerso formam humilitatis, qua sublimemur assumere, ut sicut ille consideratis, & peiorum uicijs, & suis uirtutibus est eleuatus ad ruinam, ita nos non nostra solum pigritia, sed & meliorū uirtutibus inspectis, humiliemur uel gloriam, quatenus unusquisq̄ nostrū hæc apud se supplex ac submissus obsecreret: Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri serui tui contemptu seculi sublimis, iustitiæ merito gloriosi, castitatis laude angelici, uelut etiam multi illorum qui post flagitia publica poenitendo tibi meruerunt esse deuoti, qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, quo sine hæc faciam, quauē à te districtione penetur ignoro.

## IN NATALI SANCTI LAURENTI LECTIO

Epist. Pauli Apostoli ad Corinth. II. Cor. Cap. IX.



**Q**ui parce seminat parce & metet. Et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Vnusquisq̄ pro ut destinauit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus, potens autem est Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habeantes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit. Et multiplicabit semen uestrum, & auget incrementa frugum iustitiæ uestre.

**B** Qui parce seminat parce & metet.) Id est, qui parum tribuit egenti, parum accipiet mercedis, secundum misericordiae opera unusquisque & præmia recipiet æterna.

Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.)

Qualis fuerit deuotio talis erit & remuneratio, qui grato animo & sufficienter, aut rerum temporalium elemosynam, aut prædicationis indigenti ministrauerit uerba, sufficienter & largè à Domino accipiet præmia. Auarus enim mercedem ex eo quod inuitus dederit, non habebit, benedictio enim & dantis æterna, accipientis præsens efficitur elemosyna.

Vnusquisq̄ prout destinauit corde suo, nō ex tristitia aut ex necessitate.

Id est, quantum statuit uel elegit pauperibus dare, non coactus sed uoluntarius. Tobias enim filio suo ait: Si plurimum tibi est, plurimum tribue, si exiguum, exigua indigentibus communica.

Hilarem enim datorem diligit Deus.) Salomon enim dicit, in omni dato Hilarem fac uultum tuum. Nam & in diuinarū scripturarum sermone, Dominus uult Hilarem suum datorem.

Potest autem Deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ne timeant inopiam elemosynarū.) Ideo in opere misericordiae Dei, præponit potentiam. Omnem gratiam dicit siue copiam frugum, fructusq̄ prouentum, siue sensus abundantiam, sapientiæq̄ intellectum.

Ut in omnibus semper sufficientiam habentes.) Ac si diceret, omnem sufficientiam tam spiritualium quam etiam carnalium dabit uobis Dominus, ut omne opus bonū, siue deuotionis in misericordia, siue eruditionis in doctrina implere possitis mentelibera.

Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.)

Id est, diuisit, dedit pluribus, ideo non uui, sed pluribus, quia maius est oratio multorum quam unus. De rebus enim temporalibus, si bene dispensentur, æterna iustitia comperatur.

Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandū, &c.)

Hoc

1. Cor. 15.

Eccle. 25.

Beda.

Ezech. 4.

Pro. 16.

Primal.

Tob. 4.

2. Cor. 9.

Eccle. 35.

Psalm. 110.

**C** *Math. 12.* Hoc enim de uerbi semine dictum in sancto intelligimus Euangelio, ubi Dominus exponens discipulis parabolam seminis ait: Semen est uerbum Dei. Ac si prædicatoribus Apostolus diceret: Deus qui uobis dedit officium docendi, escam non subtrahit corporis: Siue qui uobis dispensando tribuit facultatem, uos minime patietur esurire.

Et multiplicauit semen uestrum.) Id est, rerum uobis augmentum faciet, uel sermonum: Date & dabitur uobis dicit Dominus, qui enim pro Deo siue prædicationis uerbum, siue misericordiam dederit alimentum, & hic & in futuro accipiet illud multiplicatum.

Et auget incrementa frugum iustitiæ uestre.) Incrementum frugum iustitiæ dicit, siue facultates rerum, siue doctrinam sermonum, de fructu enim laborum suorum, ait Salomon, faciebatur sapiens.

## EVANGELIUM IOANNIS, CAP. XII.



Men amen dico uobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat me sequatur, & ubi sum ego, ibi & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui in cælis est.

**A** Men amen dico uobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.) Se autem dicebat ipsum esse mortificandum, & multiplicandum. Mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide omnium populorum.

Qui amat animam suam perdet eam.) Quod duobus modis intelligi potest, qui amat perdet, id est, si amas perdes, si cupis uitam tenere in Christo, noli timere mori pro Christo. Item alio modo, qui amat animam suam perdet eam: Noli amare in hac uita, ne perdas in æterna uita.

Et qui odit animam suam in hoc mundo, in uita æterna custodit eam.) Ergo quod supra dictum est, qui amat subintelligitur in hoc mundo, ipse itaq; perdet. Qui autem odit utiq; in hoc mundo, in uita æterna custodit eam. Magna & mira sententia, quemadmodum hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat, si male amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant hic amando. Hic animæ nomine uita præfens designatur, uel etiam huius uitæ delectatio, quæ perdenda est, ut feliciter inuenias uoluntatem tuam in regno Dei, quam fortiter uicisti in hoc seculo. Nam sancti martyres odio habuerunt hanc præsentem uitam pro Christi nomine, dum magis uoluerunt hanc præsentem uitam perdere, quam Christum negare.

Si quis mihi ministrat, me sequatur.) Quid est me sequatur, nisi me imitetur? Ministrant ergo Iesu Christo, qui non sua querunt, sed quæ Iesu Christi, hoc enim est, me sequatur. Vias ambulet meas non suas, sicut alibi scriptum est: Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare. Etiam si porrigit esurienti panem, de misericordia facere debet, non de iactantia, non aliud querere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextera, id est, ut alienaretur intentio cupiditatis ad opera charitatis.

Et ubi ego sum, illic & minister meus erit.) Merces est amoris & præcium operis, ei qui ministrat Christo, esse cum Christo, & quem fructum, quam mercedem, quod præmiu illi promittat audiamus.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui est in cælis.) Quo honore, nisi ut sit cum filio eius, quod enim superius ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, hoc intelligitur exposuisse cum dicit, honorificabit eum pater meus. Niquam maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus diuinitati, sed consocius æternitati.

HEBDO.



**I**duciam talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Qui & idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti, non litera sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent filij Israel intendere in faciem Moysi, propter gloriam uultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.

**F**duciam talem habemus per Christum ad Deum.) Ac si diceret: Illa fiducia inexpugnabilis est, quæ non ex nobis, sed ex Christo est, quæ nos per fidem nostram gratia magis quam Epistola humana commendat.

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis.) Id est, nihil nostra sapietia uel uirtute in causa uestre salutis operamur. Vult enim ostendere nihil se suo sensu ac possibilibus in saluandis gentibus uel cogitare uel facere, cum utiq; pauci homines, humiles, imperiti, & poenæ rusticus, sine Dei gratia nunquam uniuersum mundum saluare potuissent. Ideo autem hoc præmisit, quia dicturus erat, tanto maius se ministerium suscepisse, quam Moysen, quanto maius est Noui Testamentum à lege, quæ absconditum in se Christum mysterijs adumbrata retinebat. Nō quod aliquid sibi arroget, sed ut per doctrinam suam, quæ in Christo est, facilius eos à falsis Apostolis reuocet.

**Qui idoneos nos fecit ministros Noui Testamenti.)** Id est, ad implendum Apostolatus officium.

**Non litera sed spiritu.)** Id est, non carnalis legis, sed spiritualium præceptorum.

**Litera enim occidit.)** Vbi est mors contentio tua, ubi est aculeus tuus? Exponit, ac August. Ier. Aculeus, inquit, mortis peccati, & adiungit rem mirabilem, uirtus peccati lex, peccati enim ardentius excitatur, quando prohibet, sed si litera adsit, gratia desit. Lex litera est, ecce legem: Non concupisces, ego dico, quia nisi te adiuuet gratia ardentius concupisces, hoc est, quod dictum est, litera occidit. Si ad præteritum legis tempus aspicias, tum litera occidebat præuaricatores, si aut Sabbata non obseruassent, aut carnales uictimas non obtulissent. Nunc uero ita occidit, si carnales ceremoniæ in offerendis tauris & uittulis custodiantur, quas obseruandis gratiæ iam remouit, quæ utiq; nunc si obseruentur occidunt.

**Spiritus autem uiuificat.)** Id est, spiritualis intellectus legis, æternam confert salutem. Sed nō ex toto scripturarum textu generaliter accipiendum est, nam sunt aliqua quæ nunc secundum historiam ordinem debent custodiri, ut est illud: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, & similia talia.

**Quod si ministratio mortis literis formata in lapidibus fuit in gloria.)**

Id est, si lex apud antiquos dabat præsentem gloriam, qui eam secundum literam sequebantur, quanto magis eos nunc glorificat, qui eam spiritualiter exequentur.

**Ita ut non possint filij, &c.)** Quia uisibilis carnalium operum gloria euacuatur, per spirituales Euangelij gloriam, sed ita euacuatur, ut in melius sensu interiore proficiat, sicut infantia per adulescentiam senectute euacuatur, sicut & semen in fructu. Melior quidem fructus semine, sed nunquam sine semine fructus exurgit, & non perit, sed multiplicat semen in fructu. Sic ergo euacuatur ut dilateat, sicut ipse, dicit: Cum autem uenerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.

**Quomodo non magis, &c.)** Id est, nostra, quæ non euacuat, quia perfecta est.


**Nam si ministratio damnationis gloria est.)**

Superius legis ministracionem, nunc ministracionem damnationis uocauit, Ideo ministratio mortis, quia sola per se non liberabat à morte, Ideo etiam ministratio damnationis, quia

C quia reos sine ullo poenitentiae remedio praesenti addicebat exitio.

Multo magis abundet ministerium iustitiae in gloria.) Abundat uere in gloriam, id est eternam, quia iustitia gratis, sine legalium praecceptorum obseruatione iustificat.

## EVANGELIUM MARCI. CAP. VII.



**I**Xiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines decapoleos. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius. Et suspiciens in caelum ingemuit, & ait illi: Effeta quod est adaperire. Et statim aperti sunt aures eius, & solutum est uinculum linguae eius, & loquebatur recte. Et praecipit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis praecipiebat tanto magis plus praedicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui.

**E**Xiens Iesus de finibus Tyri, uenit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines decapoleos.) Decapolis est, ut ipso nomine probat regio decem urbium trans Iordanem ad Orientem, circa Hippum, & Pellam, & Gadaram, contra Galilaeam. Quod ergo dicitur, quia Dominus uenit ad mare Galilaeae, inter medios fines decapoleos, non ipsos fines decapolis eum intrasse significat, neque enim mare trans nauigasse dicitur, sed potius ad mare usque uenisse, atque ad ipsum peruenisse locum qui medios fines decapolis longe trans mare positos respiciebat.

Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.) Surdus & mutus est, qui nec aures audiendis Dei uerbis, nec os aperit proloquendis. Quales necesse est, ut hi qui loqui iam, & audire diuina eloquia longo usu didicerunt, Domino sanando offerant, quatenus eos, humana fragilitas nequit ipse gratiae suae dextera saluat.

Et adprehendens eum de turba seorsum.) Adprehendens namque infirmum de turba seorsum educit, cum mentem peccatis languidam uisitationis suae pietatis illustrans, a consuetis humanae conuersationis moribus auocat ad sequenda praecceptorum suorum itinera uocat.

Misit digitos suos in auriculas.) Mittere digitos in auriculas est, cum per dona sancti spiritus aures cordis ad intelligenda ac suscipienda uerba salutis aperit. Nam digitum Dei appellari spiritum sanctum testatur, ipse Dominus cum dicit Iudaeis: Si ego in digito ejectionis daemonia, filij uestri in quo eijciuntur? Quod exponens alius Euangelista dicit: Si ego in spiritu Dei ejectionis daemonia, & Magis in Aegypto superati dixerunt, spiritus Dei est hic. Et lex in tabulis digito Dei scripta est lapideis: Digito ergo Dei in auriculas missi eius, qui sanandus erat, dona sunt sancti spiritus, quibus corda, quae a uia ueritatis aberrauerunt, ad scientiam salutis audiendam, descendamque reuolat. Et quia cognita ueritatis luce sequi confessio debet, apte subiungitur:

Et expuens tetigit linguam eius.) Et expuens, quippe Dominus linguam tangit, cum ad confessionem fidei ora catheizatorum instruit, cum ora diu bruta ad uerba sapientiae proferenda, cum tactu suae pietatis informat. Sputum namque Domini saporem designat sapientiae, quae teste uiro sapiente loquitur: Ego ex ore altissimi prodij primogenita.

Et suspiciens in caelum.) Suspexit namque in caelum, ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmitatibus medelam doceret esse querendam.

Ingemuit.) Ingemuit autem, non quia ipsi opus esset, cum gemitu aliquid petere a patre, qui cuncta petentibus donat cum patre, sed ut nobis gemendi daret exemplum, cum uel pro nostris, uel pro nostrorum erratibus proximorum supernae praesidua pietatis inuocamus.

Et

**A** Erat illi, effeta, quod est adaperire.) Quod autem ait, effeta, id est, adaperire, ad aures proprie pertinet. Aures etenim ad audiendum aperiendae, lingua uero, ut loqui possit, a retinaculis erat suae tarditatis soluenda.

Et statim aperta sunt aures eius & solutum est uinculum linguae eius, & loquebatur recte.) Ille etenim solus recte loquitur, siue Deum confitendo, siue alijs praedicando, cuius auditum ut caelestibus possit auscultare & obsecundare mandatis, diuina gratia referat, cuius linguam dominus tactu sapientiae, quae ipse est, ad loquendum instituit. Talis autem merito potest dicere cum Psalmista: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiet laudem tuam. Et cum Esaia: Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est. Verbo erigit mane, mane erigit mihi aurem ut audiam quasi magistrum.

Et praecipit illis ne cui diceret, quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, surdos fecit audire & mutos loqui.) Si sciebat eos, sicut ille qui notas habebat & praesentes & futuras hominum uoluntates, tanto magis praedicaturos, quanto magis ne praedicarent eis praecipiebat, ut quid hoc praecipiebat, nisi quia piger uolebat ostendere, quanto stultius, quantoque seruentius eum praedicare debeant, quibus iubet ut praedicent, quando illi qui prohibebantur tacere non potuerant.

## HEBDOMADA DECIMAQUARTA POST PENTECOSTES

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Galatas. Cap. III.



**A**Brahæ dictae sunt repromissiones & semini eius. Non dicit & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo quod est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum a Deo, quae post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege haereditas, iam non ex promissione. Abraham autem per promissionem donauit Deus. Quis igitur lex? propter transgressores posita est, donec ueniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est. Lex ergo aduersus promissa Dei: absit. Si enim data esset lex, quae posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

**A**Brahæ dictae sunt repromissiones & semini eius.) Simplex autem sensus, Hiero. qui in hoc loco textitur, hanc uim habet, ut doceat Apostolus non posse per legem, quae postea data est, repromissiones, quae antea facta sunt ad Abraham destrui, & posteriora prioribus praediacare, cum repromissiones ad Abraham ante quadringentos triginta annos datae sint, quod benedicerentur in illo uniuersae nationes. Legis autem obseruatio, quod qui fecisset eam, uiuere in ea, post quadringentos triginta annos Mosis data sit in monte Sinai.

Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno & semini tuo quod est Christus.) Semen Abraham Apostolus Christum interpretatus est. Omnes scripturas sensu ac memoria peragrans, nunquam plurali numero semina scripta reperi, sed siue in bonam siue in malam partem semper singulari.

Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo.) Testamentum uocat promissiones Abraham factas, quae non possunt ab homine euacuari, cum etiam hominum testamenta ius suum teneant, & resolui non possint nisi solenniter fuerint ordinata.

Hic certe si quaeramus utrum hoc testamentum quod dicit, confirmatum a Domino non in firmari a lege, quae post quadringentos triginta annos facta est, utrum nouum an uetus intelligendum sit, quis responderi dubitet nouum: sed in Prophetis latebris occultatum, donec ueniret tempus, quo reuelaretur in Christo.

B Quae

Matth. 23.  
Luce 12.  
Exod. 7.

Psal. 50.  
Esa. 50.

August.



**C** **Quæ post quadringentos &c.)** Supputandi in hoc loco anni ab eo tempore, quo Dominus ad Abraham locutus est dicens: Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, usque ad legislatorem Moysen, utrum quadringenti & triginta sint, uel quomodo in Genesi ipsi Abraham dominus pollicetur, quod post quadringentos annos de terra seruitutis filij eius exituri sint, non enim parua res est, & à multis quæ sita, nescio an ab aliquo sic inuenta.

**Primas. Gen. 15.** Nec quis putet esse contrarium, quoniam in libro Geneseos Abraham à Deo dicitur: Scito, prænosces, quod peregrinū futurum sit semen tuū in terra nō sua, & subijciet eos seruituti, & adiligent quadringentos annos, & hic Apostolus triginta annos amplius ponit. Quod dicit autē hoc est septuagesimo ætatis suæ anno Abraham accepit à Deo repromissionē. Ex quo tempore usque ad initium legis Mosaicæ, quadringenti & triginta anni, hac ratione cōplētur, ex tempore repromissionis usque ad centesimū annum Abraham, quando Isaac nasciturus filius, uiginti quinque anni numerantur, postea quinto ætatis anno Isaac paruulus ab Ismahele cepit adiligere, sicut idē Apostolus in hac ipsa Epistola memorat. Euidēter ergo monstrat fecū dū sermonē Dei ad Abraham factū, post triginta annos repromissionis semē eius persecutōibus laborare cōpisse.

**Nam si ex lege &c.)** Ac si diceret, non ex lege quæ nondū erat, sed ex repromissione Abraham donatum est semen, quod est Christus, in quo omnes benedicerentur gentes.

**Hiero. Quid igitur lex &c.)** Hic dicere poterat aliquis: Quid necesse fuit legem post 430 annos repromissionis dari, cū & data lege suspicio destructæ sponsonis potuerit oboriri, & manente repromissione, non profutura lex data sit, quam præuidens Apostolus quæstionem in sequentibus ipse sibi proponit dicens: Quid igitur lex, item ipse sibi met respondit, dicens: Propter transgressiones posita est, donec ueniret sanctū, cui promissum est. Post offensam enim in hæremo populi, post adoratū uitulum, & murmur in Deū, lex transgressiones prohibitura successit. Lex propter transgressiones posita est, ut acciperet homo præcepta, superbe de suis uiribus fidens, in quibus deficiens, & factus etiam præuicator, liberatore, saluatoreque requireret. Ita timor legis humilem factum tanquam pedagogus ad fidem gratiamque perduceret, & nos transgredi uel cogeret, uel doceret, usque dum Christus ueniret, de quo dicit: Semē cui repromiserat.

**August. Ordinatum per Angelos.)** Hoc loco Moysen significat legem per Angelū Dominū accepisse, sicut Stephanus dicit: Hic est qui fuit Moyses in ecclesia, in solitudine cū Angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai. In omni Veteri Testamento ubi Angelus primum uisus refertur, & postea quasi Deus loquens, inducitur Angelus quidem uere ex ministris pluribus, quicunque sit uisus, sed in illo mediator loquitur, qui dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.

**Primas. Acto. 7. Hiero. Exod. 3.** In manu mediatoris.) Mediatorem Iesum Christū, de quo & ad Timotheū scribitur: Unus Deus, unus mediator Dei & hominū homo Christus Iesus. Manu mediatoris potestiam & uirutem eius debemus accipere. Quidam mediatorem Moysen putant. Nam & Moyses, aiunt, inter Deum & populū medius fuit, sic enim ipse ad populum ait: Facie ad faciem locutus est nobis Dominus in monte de medio ignis, ego sequester & medius fui inter Deum & uos in tempore illo, ut adnunciarem uobis uerba eius. Quia uero lectionis ordo cōsuetus est, & hyperbato perturbatur, sic nobis reddendus uidetur: Lex posita est per Angelos in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per Angelos, donec ueniret semen, cui repromissum est, semen autem, haud dubium, quin Christū significet, de quo Mathæus ait: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.

**Hiero. Mediator autem unius non est.)** Subauditur unius partis non est mediator, sed inter duas, ut medius sit.

**Deus autem unus est.)** Hoc autem ideo addit, ne quis putaret Christum ab unitate diuinæ naturæ penitus esse diuisum, quia mediatoris suscepisset officium.

**Lex ergo aduersus promissa Dei absit.)** Ac si diceret: Lex Dei promissa non aufert, sed præparat ad promissa. Sicut mediator Dei & hominū inter dantem & accipientem legem medius fuit, sic lex ipsa, quæ post repromissionem & completionē eius media subrepsit, quæ non idcirco arbitranda est repromissionem excludere, qua postea subsecuta eam quæ prius fuit, uideret abolere, sed ex eo quod non potuit uiuificare, nec id tribuere quod repromissio prima pollicita est, manifestum est in custodiam eam repromissionis nō in subuersionem datā.

Si enim

**A** Si enim data esset lex &c.) Ideo non uiuificabat, quia peccatū originale auferre non poterat, uel certe quia non hircorum aut taurorū, sed Christi sanguine erat uita donanda.

**Verē ex lege esset iustitia.)** Donum promissæ hæreditatis iustitiam nominauit, ac si diceret, si data esset lex, quæ possit præstare uitam, & id quod repromissio sponderat exhibere, uerē promissio per legem putaretur exclusa. Nunc autem propter transgressiones, ut supra diximus, posita magis eos arguit peccatores, quibus post repromissionem in custodiam, & ut ita dicam, in carcere data est, ut qui uoluntarie noluerūt innocentis expectare promissum, legalibus uinculis præpediti, & in seruitutē mandatorum redacti, custodirentur in aduentu futuræ fidei in Christo, quæ finem repromissionis afferret.

**Sed conclusit omnia sub peccato.)** Adueniente Christo, qui sub lege Moysi erāt, conclusi sunt sub peccato, si ultra in legis obseruatione permanere uoluerint. Quia maledicti qui umbræ legis deseruerint, ueritate præsentē. Nam & hoc ostēdit, quod nō potuit inueniri, qui oia præcepta legis impleret. Siue conclusa sit dicit sub peccato, id est, deprehendit omnia sub peccato esse conclusa, ut peccatum nisi in Christo credentes declinare non possint, & sic necesse esset, ut per solam fidem ad promissam salutem peruenirent credentes. Item conclusi, id est, in multa distracti ex diuersis obseruationibus occupati in schola legis ad doctrinam fidei serua bamur, quæ Christi erat tempore reuelanda.

**Ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.)** Id est, ut necesse esset sola fide Christi saluare credentes. Nec uero æstimandum scripturam autorem esse peccati, quia omnia sub peccato conclusisse dicatur, cum mandatum quod ex iure præcipitur, ostēdat potius arguatque peccatum, quam sit causa peccati. Quomodo & iudex non est autor sceleris nequā homines uinciendo, sed concludit eos & nocentes sententiæ suæ autoritate pronuntiat, ut debitos poenæ indulgentia postea, si uoluerit, principalis absoluat.

## EVANGELIUM LUCÆ CAP. X.

**B** Eati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi Reges & Prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens. Magister quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est: Quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti. Hoc fac & uiues. Ille autem uolens iustificare semetipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Qui etiam dispoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiuo illo præteriuisset. Similiter & Leuita cum esset secus locum, & uideret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidentem eum, misericordiam motus est, & appropiās alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum. Et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade & tu fac similiter.

B. 2 Beati

**B** **E**ati oculi qui uident quæ uos uidetis.) Non oculi Scribarum & Phariseorū, qui corpus Domini tantum uiderunt, sed illi beati oculi, qui eius possunt cognoscere sacramenta, de quibus dicitur: Et reuelasti ea paruulis, beati oculi paruulorum, quibus & se & patre filius reuelare dignatur.

**D**ico autem uobis, quod multi Prophetæ & Reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & nō uiderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.)

Abram exultauit ut uideret diem Christi, & uidit & gauisus est. Esaias quoque & Michas, & multi alij prophetæ uiderunt gloriam Domini, sed hi omnes à longe per speculum & in enigmate uiderunt. Apostoli autem in præsentiarum habentes Dominum conuidentesque ei, & quæcunq; uoluerunt interrogando discunt.

Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebor? Legisperitus qui de uita æterna Dominum tentans interrogat, occasionem ut reor tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait: Gaudete autem quod nomina uestra scripta in cælis sunt, sed ipsa sua tentatione declarat, quam uera sit illa Domini confessio, qua patri loquitur: Quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondens dixit. &c.) Dum legisperito respondet perfectū nobis saluator iter uitæ cœlestis ostendit, cui primo in dilectione Dei & proximi legis scripta proponenti dicit:

Recte respondisti, hoc fac & uiues.) Apertissime declarans, solam esse dilectionem, & ipsam non uerbotenens ostentatam, sed operis executione probatam, quæ perpetuam ducat ad uitam.

**D** Ille autem uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Quis est meus proximus.) Cui profecto dominus ita responsum temperauit suum, ut & hominem qui misericordiam faceret, cui libet proximū doceret. Et tamen hæc eadem parabola specialiter ipsum Dei filium, qui nobis per huiusmodi maniratem proximus fieri dignatus est designaret.

Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho.) Homo iste Adam intelligitur in genere humano, Hierusalem ciuitas pacis illa cœlestis, à cuius beatitudine lapsus in hanc mortalem miseramque uitam deuenit, quam bene Iericho, quæ luna interpretatur significat. Varijs uidelicet defectuum laboribus, erroribusque semper incertam.

Et incidit in latrones.) Latrones, diabolū & Angelos eius intellige, in quos qui descendebat incidit. Nam nisi prius intus intumesceret, foris tentatus tam facile non cederet, uera est enim satis sententia, quæ dicit: Ante ruinam enim exaltatur cor.

Qui etiam dispoliauerunt eum.) Gloria uidelicet immortalitatis & innocentiae ueste priuarunt. Hæc est enim prima stola, qua iuxta aliam parabolam luxuriosus filius per poenitentiam rediens ornatur, & qua protoplasti ammissa cognouerunt esse se nudos, tunicasque pellicias naturæ mortalis induti sunt.

Et plagis impositis.) Plagæ peccata sunt, quibus naturæ humanæ integritatē uiolando seminarium quoddam, ut ita dicam, augendæ mortis seelis indidere uisceribus.

Abierunt.) Abierunt autem nō ab insidijs aliquatenus cessando, sed ad eandem insidiarū fraudes occultando.

Semiuuio relicto.) Semiuuuium reliquerunt, quia beatitudinem uitæ immortalis exuere, sed nō sensum rationis abolere ualuerunt. Ex qua enim parte sapere & cognoscere Deū potest uiuus est homo, ex qua uero peccatis contabescit, & miseria deficit, mortuus idem, lauescensque est uulnere cœdatus.

Accidit autē &c.) Sacerdos & Leuita, qui uiso fauio transierunt, sacerdotium & ministerium Veteris Testamenti est, ubi per legis decreta mundi languentis uulnera monstrari tantum, non autem curari poterant, quia impossibile erat, ut Apostolus ait: Sanguine uitulorū & hircorum auferri peccata.

Samarita

**A** Samaritanus autem quidam iter transiens uenit secus eū & uidens, &c.)

Samaritanus qui interpretatur custos, Deum significat, cui rectissime Propheta, ne hos latrones possit incurrere, supplicat: Custodi me, inueniens à laqueo quem stauerunt mihi, & à scandalis operantibus iniquitatem. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendens de cœlo, uitæ præsentis iter arripuit, & uenit secus eū, qui uulneribus tabescebat inflicto, hoc est, in similitudinem hominū factus, & habitu inuentus ut homo, cōpassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordie factus est consolatione uicinus.

Et ad propians, alligauit uulnera eius, &c.) Peccata quæ in hominibus inuenit, redarguendo cohiluit, ipem uenientibus, terrorem poenæ peccantibus incutiens. Alligat enim uulnera dum præcipit: Poenitentiam agite: Infundit oleū dum & addidit: Adpropinquabit enim regnum cœlorū. Infundit & uinum dum dicit: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

Et imponens illum in iumentum suum, &c.) Iumentum eius est caro, in qua ad nos uenire dignatus est, in quo fauio imposuit, quia peccata nostra portauit in corpore suo super lignum, & iuxta aliam parabolam inuentam, quæ errauerat, ouem humeris suis impositam, reportauit ad gregē. Itaque imponi iumento est, in ipsam incarnationē Christi credere, eiusque mysterijs initiari simul, & ab hostis incurusione turari. Stabulū autē est Ecclesia præsens, ubi reficiunt uiatores de peregrinatione, hac in æternā patriā redeūtes, & bene iumento impositū duxit in stabulum, quia nemo nisi baptizatus, nisi corpori Christi adunatus Ecclesiam intrabit.

Et altera die protulit duos denarios, &c.) Altera die post Domini resurrectionē, nam & ante quidem per Euangelij sui gratiam illuminauerat his, qui in tenebris & in umbra mortis sedebant, sed postior resurrectione celebrata, perpetuæ lucis splendor effulsi. Duo denarii sunt duo Testamenta, in quibus æterni Regis nomen & imago cōtinetur. Finis enim legis Christus, qui altera die prolatus datur stabulario, quia tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Altera die stabulario denarios, quorum præcio uulneratum curaret, accepit, quia spiritus sanctus adueniens docuit Apostolos omnem ueritatem, quo genibus erudiendis instrare atque Euangelium prædicare sufficerent.

Et quodcunq; super errogaueris, ego cum rediero reddam tibi.)

**B** Super erogat stabularius, quod in duobus denarijs non accepit, cum dicit Apostolus: De uirginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autē do. Itemque & Dominus ordinat uir his, qui Euangelij adnuntiat, de Euangelio uiuere, sed nō uisum hac potestate, ne quem uestri graueremus, cui rediens quod promiserat debitor reddet, quia ueniens in iudiciū Dominus dicit: Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituā, intra in gaudiū Domini Dei tui.

Quis horū trium uidetur tibi proximus fuisse? &c.) Iuxta literā manifesta est Domini sententia, nullū nobis amplius quàm qui misereatur esse proximum, sed si Hierosolymiti ciui non sacerdos, non leuita ex eadem gente, immo in eadem urbe nati & nutriti, sed exterę gentis accola, quia magis miserus est, factus est proximus. Sacratior autē intellectu, quoniam nemo magis proximus, quàm qui uulnera nostra curauit, diligamus eum, quasi Dominum Deum nostrum, diligamus quasi proximum, nihil enim tam proximū, quàm caput membris, diligamus etiam eum, qui imitator est Christi.

Et ait illi Iesus: Vade & tu, &c.) Id est, ut uere te proximū sicut te ipsum diligere manseris, quicquid uales in eius uel corporali uel spiritali necessitate subleuāda deuotus operare.

HEBDOMADA XV. POST PENTECOST.

Lectio Epistolę beati Pauli Apostoli ad Galatas. Cap. V.



Piritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis. Caro enim cōcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hęc enim sibi inuicem aduersantur, ut non quecunq; uultis illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autē sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitie, cōtentiones, emulationes, ire, rixę, dissensiones, sectę, inuidiæ, homicidia, ebrietates, cōmessationes, &

B 3 his

his similia. Quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniã qui talia agunt, regnũ Dei nõ consequentur. Fructus autẽ spiritus est charitas, gaudiũ, pax, paciẽtia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autẽ sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs.

**S**piritu ambulate, & desiderium, &c.) Hoc tripliciter accipiendũ, ut dicamus eos, qui spiritu opera carnis mortificauerint, & seminauerint in spiritu, ut de spiritu metant uitam æternã, quotiescunq; uoluptatẽ carnis senserint titillare, non perficiant desiderium eius. Alio modo eos ambulare spiritu, & carnis desiderium nõ perficere dicimus, qui spiritaliter egrediuntur Aegyptũ, & spiritualem escã potumq; de spiritali hauriunt petra, qui ambulat in omnibus spiritaliter, nõ perficientes carnẽ legis literam, uel desiderium, sed fructus metentes spiritalis intelligentiẽ. Tertio modo, quidam desiderium carnis, in his dicunt esse, qui paruuli sunt in Christo, iter autem spiritus in perfectis uiris. Spiritu ambulate, id est, in grauitate spiritus, id est, in itãnerẽ uiri perfecti, & desiderium carnis, id est, paruulorum non perficietis.

**C**aro enim concupiscit aduersus spiritum, &c.) Caro presentibus delectatur, & breuibus, spiritus perpetuis & futuris. Caro enim frigus timet, aspernatur famem, aduenatur uigilias, libidinibus exardescit, mollia querit, & iocunda desiderat. Cõtra spiritus ea quæ carni cõtraria sunt, & quæ illã debilitare queant expetit. Aliter, caro concupiscit aduersus spiritum, id est, historia & scripturę carnes intellectus, cõtra allegoriã & spiritalẽ doctrinã repugnat. Spiritus autẽ aduersus carnẽ, id est, sublimiora deiectis, æterna breuibus, umbrę ueritas refragatur.

**Q**uod si spiritu ducimini nõ estis sub lege.) Hoc est, si uos totos spiritalibus occupetis actibus, non uobis necessaria est lex, quę non spiritalibus, sed carnalibus data est. Spiritu ducimini dicit, id est, spiritu gubernamini, nõ spiritu hominis, sed spiritu sancto significat, de quo Apostolus alio loco ait: Ipse spiritus testimonium perhibet, spiritui nostro, qd si mus filij Dei, quem sequentes spiritum, efficiamur spiritalis, & sub lege esse desistimus.

**M**anifesta autẽ sunt opera carnis.) Id est, omnibus nota, uel certe his tantum manifesta, qui in Christo credunt, nam plurimi gentiliũ in suis ignominijs gloriantur, & putant si expleuerint uoluptatem quandam, se turpitudinum uictoriam consequutos. Sed & illud eleganter, quod in carne opera posuit, fructus in spiritu, quia uitã in semetipsa finiuntur, & pereunt, uirtutes fructibus pullulant, & redundant.

**Q**uæ sunt fornicatio.) Primũ itaq; carnis opus est fornicatio, quam in exordio posuit, ne de medijs ambigamus. Omne enim quodcunq; fecerit homo extra corpus est, qui autẽ fornicat, in corpus suũ peccat. In eo fornicator maioris est criminis. Quia tollit membra Christi, & facit ea membra meretricis. Erunt quippe duo in carne una, qui non est fidelis, nec credit in Christũ, sua membra facit membra meretricis. Qui autẽ credit, & fornicatur Christi membra facit membra meretricis.

**I**mmunditia, luxuria.) Secundũ opus carnis immunditia nuncupatur. Tertium uero luxuria, sequitur enim immunditiã comes luxurię. Quomodo enim in uetere lege de nefandis criminibus, quę in occulto sunt, & ea nominare turpissimũ est, ne & dicentis os & aures audientium polluerentur, generaliter scriptura cõplexa est, dicens uerecundos, uel reuerentes facite si hos Israël ab omni immunditia, sic in hoc loco, ceteras extra ordinarias uoluptates, ipsarũ quoq; opera nuptiarum, si non uerecunde & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum libere seruiatur, immunditiam & luxuriam nominauit.

**I**dolorũ seruitus.) Quartũ in catalogo operũ carnis idololatrię locũ tenet, qui enim semel se luxurię uoluptatĩq; miscuerit, nõ respicit creatorem, Aliã autem omnes idololatrię se seruitute, gula, uentre, & his quę infra uentrẽ sunt delectantur.

**V**eneficia.) Et ne forsitan ueneficia, & maleficia artes nõ uiderentur, in nouo prohibite testamento, ipse quoq; quinto loco inter carnis opera nominantur. Spe enim magicis artibus, & amare miseris euenit & amari.

**I**nicimitia.) Inimicitia quoq; quę post ueneficia sexto ponit loco, quẽ habeat reatũ manifesto criminis subiecta declarat. Quantũ enim in nobis est, nullius esse debemus inimici, sed cũ omnibus habere pacem.

**C**ontentiones.) Septimũ locum inter carnis opera contentio possidet. Seruum autẽ

Domini non oportet rixari, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, longanimum, cum mansuetudine erudientem etiam eos, qui cõtrario disputant.

**A**emulatiões.) Octaua succedit emulatio, quę Gręco sermone *ζήλος* significatius & notius appellat. Quo quidem malo nescio quis nostrũ cateat. Zelati sunt enim & Patriarchæ Ioseph fratrẽ suũ. Et Maria Prophetes & Aarõ Dei sacerdos cõtra Moysen tali passiõẽ decepti sũt.

**I**ra.) Ira deinde nono succedit loco, quę iustitiam Dei non operatur, & species est furoris. Inter iracundiam autem & iram, hoc interest, quod iracundus semper irascitur, iratus pro tempore cõcitur, & nescio quis possit regnũ Dei possidere, cũ is, qui iraciter separatẽ a regno.

**R**ixæ.) Decimo loco ponitur rixæ, quasi aliud Gręci significantes *εἰδία* uocãt. Si quidem rixa *μαχη*, dicitur, a regno Dei prohibent. Est autem *εἰδία*, cum qui semper ad contradicendum paratus, & multo diu iurgio contendit, & prouocat contententem, hæc alio nomine apud Græcos dicitur *φιλονημία*.

**D**iffensiones.) Vndecimo loco ponuntur diffensiones, quæ sunt operã carnis, cum quis nequaq; perfectus eodem sensu & eadem sententia dicit: Ego sum Pauli, & ego Apollo, & ego Cephe & ego Christi, sed & donorum inter se hæc eadem dissentio reperitur, Mariti uide licet ad uxore, patris ad filium, fratris ad fratrẽ, conserui ad cõseruũ, militis ad contubernalem, artificis ad eiusdem operis artificem, nonnunq; euenit, ut & in expositionibus scripturarum oriatur dissensio, & quibus hereses, quę & alio nomine sectę dici possunt, ebulliant.

**S**ectæ.) Duodecimo loco sectę ponuntur, quę a sectando uel diuisione sectę nominantur. Si enim sapientia carnis inimica est Deo, sectæ quoq; nunc in carnis opere ponuntur, non sunt amicę. Inimica autem sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia.

**I**nuidiã.) Tertiodecimo loco succedit inuidia, quę semper aliena torquetur foelicitate, & in duplici scinditur passione, cũ autem ipse est aliquid in eo, in quo alius esse non uult, aut alius uidens esse meliorẽ, dolet se ei non esse cõsimilem. Pulchrę quidã de Neoteris Græcũ uersum transferens elegiacõ metro de inuidia lusit, dicens: Iustus inuidia nihil est, quæ procerus ipsum autorem rodit exerciatq; animum.

**A**ebrietates.) Quartũ decimũ locũ inter carnis opera ebrietates tenet: Aebrios quippe regnũ Dei nõ possidebũt: Ve enim, ait Propheta, qui potentes estis ad bibendũ uinũ, & uiri fortes ad miscendã ebrietatem, & Dominus, inquit, cauete, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ.

**C**õmessationes.) Quintadecima, quę extrema inter carnis opera cõmessatio est, manducauit populus, & bibit & surrexerit ludere: In Latinis codicibus adulteriũ, impudicitia, homicidia, in hoc catalogo uitiorum scripta referuntur, sed sciendum, non plusq; quindecim carnis opera numerata de quibus & differuimus.

**E**t his similia.) Longum erat uniuersa carnis opera explicare, uno tantũ omnia sermone cõclusit dicens, & his similia.

**Q**uæ prædico uobis, &c.) Vbi ante prædixit, utiq; ubi ait: Nõ regnet peccatũ in uestro mortali corpore ad obediendũ desiderijs eius. Peccatum omnes istas species habet. Ergo in anima, in qua regnauerit peccatum, non potest Dei regnare regnum.

**Q**uoniã qui talia agunt. Notandum itaq; atq; descendendum, quod contententes, & diffidentes & iracundos cum idololatriis, ueneficijs & homicidijs pœnitus excludit a regno.

**F**ructus enim spiritus est charitas.) Quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas: sine qua uirtutes ceterę non reputantur esse uirtutes, & ex qua nascuntur uniuersa quę bona sunt siquidem & in lege & in Euãgelio ipsa obtinet principatũ: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota uirtute tua, & proximum tuum tanq; teipsum.

**G**audiũ.) Secundus fructus spiritus est gaudiũ, quod Stoici quoq; qui distinguunt inter uerba subtilius, aliud quid esse estimant quã lætitiã: Gaudiũ quippe esse aiunt elationẽ animi super his quę digna sunt exultantis lætitiã. Notandum quod post dilectionem gaudium sequitur, qui enim diligit quemquam, semper in eius foelicitate lætatur.

**P**ax.) Tertius fructus spiritus est pax, a qua, Salomõ quoq; qui in typo Christi præcessit, nomẽ accepit, et de Ecclesia Psalmista canit: Factus est in pace locus eius, & in octo Euãgelij benedictiones scribitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.

1. Cor. 10.

Rom. 8.

Leuit. 19.

2. Timoth. 3.

Luc. 21.

1. Cor. 10.

Rom. 6.

Matt. 22.

Psalm. 75.

Matth. 5.

B 4 Lon.

**C** Longanimitas.) Quartus fructus spiritus est longanimitas siue patientia, quia utroque modo *μακροθυμία* possumus interpretari. Huic contraria est pusillanimitas, qui uero patiens est & uniuersa sustinet, uir sapiens, & cum *επιείκεια* multum sapiens appellatur, ut in Prouerbijis quoque scriptum est: Longanimus uir multus in prudentia.

**Bonitas.)** Quintus fructus spiritus est bonitas, & de hac Stoici ita definiunt: Bonitas est uirtus sponte ad beneficiendum exposita, sectatores quoque Zenonis ita definiunt: Bonitas est uirtus, quae prodest, siue uirtus ex qua oritur utilitas.

**Benignitas.)** Sextus fructus spiritus est benignitas siue suauitas. Quia apud Graecos *χρηστότης* utrumque sonat. Virtus est lenis, blanda, tranquilla, & omnium bonorum apta confortio, inuitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata.

**Manfuetudo.)** Septimus fructus spiritus est manfuetudo, quae aduersa est irae, rixae, dissensionibus, & nunquam ad sui contraria prouocatur, per hanc famulus Dei Moses testimonium meruit accipere scripturae dicentis: Moses manfuetus erat, plusquam omnes homines super terram.

**Fides.)** Octauus fructus spiritus est fides, quae etiam alibi inter tres ponitur, spes, fides, charitas, inde enim est omne quod operatur, siquidem id quod speramus esse uenturum, & nec dum est in presenti, fide possidemus, sperantes nos tenere quod credimus.

**Modestia.)** Nonus fructus spiritus est modestia, haec semper pacem sequitur, semper pacem sectatur, & neclausa nunquam irascitur.

**Continentia.)** Decimus fructus spiritus est continentia, quam non solum in castitate debemus accipere, sed etiam in cibo & potu, in eloquio, in ira quoque & uexatione mentis, & detrahendi libidine.

**Castitas.)** Undecimus fructus spiritus est castitas. Castitas enim & in uirginibus est, & in continentibus, & in uiduis & in coniugijs.

**Aduersus huiusmodi non est lex.)** Id est, aduersus spiritus non est Lex iusto, quippe non est posita, sed iniuris, & non subditis, impijs & peccatoribus. Lex mihi dicit: Non adulerabis, non occides, non falsum testimonium dices, &c. si haec omnia charitate in me regnante, quae est fructus spiritus, non fecero, superflua sunt mihi praecipua legis. Ergo qui fructus spiritus spiritualiter implet, sub Veteri Testamento non manet.

**Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt, &c.)** Si omnia simul uitia crucifixi sunt, & caro, quasi in cruce pendens, nihil concupiscit. Ad quid nobis legem, quae data est ad uitia coercedenda? Simul illud notandum, quod eos dixerit Christi esse, qui carnem cum uitijs & concupiscentijs crucifixerint, contra illos, qui solum fidem sufficere arbitrantur.

## EVANGELIUM LVC AE CAP. XVII.

**D** Vm intraret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samaritaniam & Galilaeam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrunt ei decem uiri leprosi. Qui steterunt a longe, & leuauerunt uocem dicentes: Iesu praecceptor miserere nostri. Quos ut uidit dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis ut uidit, quia mundatus est, regressus est cum magna uoce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias egens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & noui ubi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, quia fides tua te saluum fecit.

**D** Vm intraret Iesus in Hierusalem, &c.) Leprosi non absurde intelligi possunt, qui scientiam uerae fidei non habentes, uarias doctrinas proferunt erroris. Non enim uel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantiam sermonis ostendant. Nulla porro falsa doctrina est, quae non aliqua uera intermiscat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in una disputatione uel narratione hominis tanquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam ueris falsisque colorum locis humana corpora uariantem atque macu-

**A** maculantem. Hi autem tam uitandi sunt Ecclesiae, ut si fieri potest, longius remoti, magno clamore Christum interpellent, unde & apte subiungitur:

**Qui steterunt a longe, & leuauerunt uocem, &c.)** Et bene ut saluentur, Iesum praecceptor nominat, quia enim in eius uerba se errasse significant, hunc saluandi humiliter praecptorem uocant, cumque ad cognitionem praecptoris redeunt, mox ad formam salutis recurrunt.

**Quos ut uidit, dixit: Ite ostendite uos sacerdotibus.)** Nullum Dominus eorum, quibus haec corporalia beneficia praestitit, inuenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos, quia uidelicet sacerdotum Iudaeorum figura erat futuri sacerdotij regalis, quod est in ecclesia, quo consecrant omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & ueri principis sacerdotum. Et quisquis uel ab haeretica prauitate uel superstitione gentili, uel Iudaica perfidia, uel etiam scismate frater no, quasi uario colore per domini gratiam caruerit, necesse est ad ecclesiam ueniat, coloremque si dei uerum quem acceperit, ostendat. Caetera autem uitia tanquam ualitudines, & quasi membrorum animae, atque sensuum per seipsum interius, in conscientia, & intellectu dominus sanat & corrigit. Denique & Paulus uoce Domini audita: Quid me persequeris? ego sum Iesus quem tu persequeris, ad Ananiam tamen missus est, ut sacerdoti illo, quod in ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinae fidei perciperet, & uerus eius adprobaretur color.

**Et factum est dum irent, mundati sunt.)** Nondum accepta baptismatis sacramenta, nondum spiritualiter ad sacerdotes perueniant, & tamen in infusione spiritus sancti eorum mundatio declarata est.

**Vnus autem ex illis, ut uidit, quia mundatus est, regressus est cum &c.)**

Vnus iste qui magnificans Deum, regressus est, unius ecclesiae deuotam Christo humilitatem significat. Qui bene cadens ante pedes Domini, gratias agit, ille uere Deo gratias agit, qui repressis praesumptionis suae cogitationibus, quam a semetipso infirmus sit, humiliter uidet, qui nihil sibi uirtutis tribuit, qui bona quae agit esse, de misericordia conditoris agnoscit. Cadit autem in faciem, quia ex malis quae se perpetrasse meminit, erubescit.

**B** Et hic erat Samaritanus.) Samaritanus quippe interpretatur custos, quo nomine ille populus apissime significatur, qui gratias agendo ei a quo accepit, tribuit omne quod accepit, quodammodo cantans illud de Psalmo: Fortitudinem meam ad te custodiam, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia eius praeuenerit me.

**Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt?)** Vnum si addatur ad nouem, quaedam effigies unitatis impletur, quo sit tanta complexio, ut ultra non progrediatur numerus, nisi rursus ad unum redeatur, & haec per infinitatem numeri regula custodiatur. Nouem itaque indigent uno, ut quadam unitatis forma coagulentur, & decem sint. Vnum autem non eis indiget, ut custodiat unitatem. Quamobrem ut unus ille, qui gratias egit, unice ecclesiae significatione approbatus atque laudatus est. Ita illi nouem, qui gratias non egerunt, reprobi effecti a consortio unitatis exclusi sunt, ideoque tales in nouena rio numero, tanquam imperfecti remanebunt, & merito eos saluator, quasi ignotos ubi sint, inquirat, scire enim Dei eligere, nec scire reprobare est.

**Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.)**

Secundum corpus quidem facile est uidere posse hominem non habere lepram, & tamen animi esse non boni. Secundum significationem autem huius miraculi conturbat considerantem, quomodo mundus dici potest ingratus. Sed etiam facile est, etiam illud uidere fieri posse, ut quisque in ecclesiae societate doctrinam integram ueramque assequatur, & omnia secundum catholicam regulam disserat, distinguat, a creatore creaturam, eoque manifestetur uarietate mendatorum, tanquam lepra caruisse, & tamen ingratus sit Deo, & Domino mandatori suo. Quia elarus superbia gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisque efficit eis, de quibus dicit Apostolus: Qui cum cognouissent Deum, non ut Deum magnificauerunt aut gratias egerunt. Quod enim dicit eos Deum cognouisse, ostendit quidem a lepra mundatos, sed tamen statim accusat ingratos.

**Et ait illi, surge uade, quia fides tua te saluum fecit.)** Qui deuotus ante Deum cecidit, surgere & ire praecipit, quia qui infirmitate subtiliter cognoscens, humiliter iacet per diuinum uerbi consolationem surgere ad fortia opera, & crescentibus quotidie meritis, ad perfectiora passim proficere iubetur. Si autem fides saluum fecit eum, quae ad agendas saluatori & mandatori suo gratias inclinauit. Ergo perfidia perdidit eos, qui de acceptis beneficijs Deo gloria dare neglexerint.

Pro. 14.

Exod. 20.

Act. 19.

Psal. 58.

Rom. 1.





**C** Hortatur ad id quod preceptum est, exhibendum semē nominans, ne putat perditum, quod multiplicato sœnore recepturus est.

**Primas.** Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionē, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam.) Omne quod loquitur, agimus, cogitamus, in duobus seminatur agris; carne & spiritu, si bona sunt quæ de manu, ore & corde promuntur, seminata in spiritu uitæ æternæ fructibus redundabunt. Si mala ab agro carnis excepta, corruptionis nobis segetem pullulabunt. Aliter, qui legem carnaliter intelligit repromissiones quoque carnales, & quæ in presenti seculo corrumpuntur, expectat. Qui autem spiritualis adiutor est, seminat in spiritu, & de spiritu metet uitam sempiternā. Illud etiam pariter obseruandum, quod seminat in carne, cum additamento suæ carnis ponitur. Qui autem seminat in spiritu, non dicit in spiritu suo, sed simpliciter in spiritu, qui enim bona seminat, non in suo quidem, sed in Dei spiritu seminat, de quo & uitam est messurus æternam.

Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metamus non deficientes.) Cohortatur eos ad studium perseverantiæ, qui in hac uita mercedem boni operis expectant, nescientes, quia sicut in semine aliud sationis, aliud messis est tempus, sic & in presenti uita sementis est tempus, & in æternum erit metendi, quam segetem nemo potest metere de faciens, qui enim perseverauerit usque in finem hic saluus erit.

**Math. 10. Primas.** Nunc tempus seminandi est non metendi, non ergo hic nostram mercedem queramus accipere, ne tenera herba hyemis rigore demessa, non prosit, & non sit quæ in futuro metatur. Dicitur enim nobis: Receptistis bona uestra, & iterum: Recepterunt mercedem suam.

**Hiero.** Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.) Tempus seminantis, ut diximus, presens est uita, in qua licet nobis seminare, cum autem transierit, operandi tempus aufertur.

**D** Ultimum seminantis hoc tempus est, festinemus ergo campos omnes serere, maxime eos, qui sunt uberimi repleamus, ne incipiamus tempore messis alijs epulantibus esurire.

**Primas.** Maxime autem ad domesticos fidei.) Immitemur patrem nostrum, qui est fons bonitatis, & solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & omnibus benefaciamus, maxime domesticis fidei, hoc est Christianis, qui eundem habent patrem. Videtur mihi locus iste posse & superioribus coherere, ut domesticos fidei magistrōs nominet, quibus supra omnia quæ putantur bona ab auditoribus suis iusserat ministrare, id est, paganis atque Christianis, & bonis & malis misericordiam faciamus, ne eis quod Deus non negat denegemus. Maxime tamen his qui peculiarem fidei cultui ac religione exhibent famulatum.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. VI.



**N**emo potest duobus Dominis seruire. Aut enim unum odio habebit & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alterum contemnit. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neque corpori uestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam uestimentum? Respicite uolatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater uester cœlestis pascit illa. Nonne uos magis pluris estis illis? Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimento, quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sic cut unum ex istis. Si autem fœcnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic uestit, quanto magis uos, minime fidei. Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester, quia his

omni-

**A** omnibus indigetis. Quærite autem primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

**N**emo potest duobus dominis seruire.) Qui sunt duo domini deinceps ostendit, cum dicit: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Mammona apud Hebræos siue Syros, diuitiæ nuncupantur. Congruit & Punicum nomē, nam lucrū Punicæ Mammon dicitur. Audiatur hoc auarus, audiatur Christianus, non posse se simul diuitijs Christoꝝ seruire, & tamen non dixit: Qui habet diuitias, sed qui seruit diuitijs. Qui enim diuitiarum seruus est, diuitias custodit ut seruus. Qui autem seruitutis excussit iugum, distribuet eas ut Dominus.

Aut enim unum odio habebit, & alterum diligit, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.) Patietur durum & perniciosum dominum, quisquis seruit Mammonæ, sua enim cupiditate implicatus, subditur Diabolo, sed tamen patitur, alterum autem contemnit. Non dixit: Odio habet, nullius enim fere conscientia Deum odisse potest, contemner autem, id est, non timet.

Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neque corpori uestro quid induamini.) Ut intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum, & qui corpus dedit, multo facilius daturum esse uestimentum. Quo loco queri solet utrum ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus est. Sed animam pro ista uita nouerimus positam, cuius retinaculum est alimentum. Secundum istam significationem dictum est: Qui amat animam suam, perdet illam: Et pastor bonus animam suam ponit. Quod nisi de hac uita acceperimus, contrarium erit illi sententia, quæ dictum est: Quid proderit, si totum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiar?

**Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam uestimentum?** Quod dicit istiusmodi est, qui maiora præstitit utique & minora præstabit. Respicite uolatilia cœli, quoniam non serunt neque merunt neque congregant in horrea, & Deus pascit illa, Simpliciter ergo accipiendum, quod si uolatilia absque cura & grumnis Dei aluntur prouidentia, quæ hodie sunt & cras non erunt, quorum anima mortalis est, & cum esse cessauerint, semper non erunt, quanto magis homines, quibus æternitas repromittitur, Dei regantur arbitrio.

**Nonne uos magis pluris estis illis.** Id est, chariores estis uos, & plus ualeatis, quia rationales estis.

Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Et de uestimento quid solliciti estis? Id est, in cuius potestate & dominatu factum est, ut ad hanc staturam corpus uestrum perduceret, eius prouidentia uestiri potest.

Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent.) Dandum erat etiam de uestimentis documentum, sicut datum est pro alimento, sed ista documenta non sic allegorice discutienda sunt, ut queramus quid significauerit auis aut lilia, posita sunt enim ut de rebus minoribus maiora persuaderentur.

Dico autem uobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis.) In omni gloria, id est, in omni uarietate uestium deliciarum, siue in magnitudine regni, sicut unum ex istis subauditur lilijs.

Et reuera quod nec sericum quæ regum purpura est, nec pictura textricum potest floribus comparari, quid ita rubet ut rosa? quid ita candet ut liliū? uiolæ uero purpuram nullo superari muricæ oculorum magis quam sermonis inditium est.

Si autem fœcnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittetur.)

Id est in ignem, Deus sic uestit. Hic intelligit quod superius lilia non specialiter pro una, sed generaliter pro multis dixerit herbis.

Quanto magis uos minime fidei? Ille enim minimus est in fide, qui non est perfectus in charitate. Charitas enim omnia credit, fides enim à modico incipit, sed crescit usque dum ad id quod perfectum est peruenit. Unde & Apostoli Domino dicunt: Auge nobis fidem. Quam perfectam Paulus omnem nominat, dicens: Et si habuero omnem fidem, & reliqua.

Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, &c.) Labor

August.

Hiero.

1. Cor. 10. 2.

Math. 16.

Hiero.

Math. 6.

August.

Fulg.

Hilar.

1. Cor. 13.

C Labor exercētus est, sollicitudo tollēda. Hoc quod dicit: Ne solliciti sitis, &c. de carnali cibo & uestimēto accipiamus, ceterū de spiritualib. cibis & uestimētis semper debemus esse solliciti.

Quærite aut̄ primū regnū Dei.) Hic primū nō pro ordine posuit, sed pro qualitate, ac si diceret: Quærite præcipua ante omnia, & summe regnum Dei & iustitiam eius, & dabit̄ uobis, & insuper, id est, excepto regno quicquid opus fuerit, adiicietur uobis.

## HEBDOMADA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. III.



**Q**uærite uos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in celo & in terra nominatur, ut det uobis secundū diuitias gloriæ suæ uirtutem, corroborari per spiritū eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus uestris. In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus secundum uirtutem quæ operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

**Q**uærite uos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra.) Hoc est ergo quod Apostolus rogat, & a Dño magnopere deprecatur, ne deficiat in pressuris suis. Videbat quippe se de Hierusalem usq; ad Illiricum Euangelium prædicasse, ille Romam, Hispaniam perrexisse, uel ire disponere, totus mundus ad doctrinam ipsius, de potestate principis tollebat. Deserebant idola & cultoribus templa deseruata squalore & sordibus replebant. Ob quæ causam omnis exercitus dæmonū, omnis turba inimicarū fortitudinū cōtra ipsum factō cuneo dimicabat, ut per tribulationes & angustias Euangelii Christi desineret prædicare, & lassus aliquando requiesceret. Hoc est itaq; quod ait: Perō ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, totum enim quod patior, quod tribulor, quod coartor uestre salutis est causa, dum uobis Euangelium adnunciare desidero, quæ tribulationes meæ uestra est gloria. Potest autem secundū id, quod latius expressit, propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra. Illud autem potest exponi, quod pro Ephesijs petat, ne in præssuris Apostoli lassescant, atq; deficiant. Si quidem & ea quæ sequuntur, huic magis sensui congruunt.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrē Domini nostri. Sicut enim sunt oculi exteriores & interiores, ita sunt genua hominis exterioris & interioris. Nam quod Apostolus ait: Ut in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & inferiorum, non ad genua corporis, sed ad subiectionem mentis, & inclinationem animæ, cordisq; obsequium pertinet. Hæc autem specialiter exponentes, non statim iuxta literam orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus. Sed sicut illud ædificatim pliciter, sic ueram geniculatōnem esse docemus in animo, quia multi corporales flectentes genu, animæ nequaquam flectunt, & è diuerso alij erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curuauerunt.

Ex quo omnis paternitas in celo & in terra nominatur.) Non ut in Latinis codicibus additum est, ad patrem domini nostri Iesu Christi, sed simpliciter ad patrē legendum, ut Dei patris nomē non in Domino nostro Iesu Christo, sed omnibus creaturis ratio nabilibus coopret. Norandū quod nō dixerit: Ex quo omnis paternitas in caelis & in terra nata est uel creata, sed ex quo omnis paternitas in caelis & in terra nominat. Aliud est enim appellationē paternitatis mereri, aliud naturæ habere cōsortiū. Sicut ergo solus bonus bonos facit, & solus uerus, ueritatis nomen impertit, ita & solus pater, qui creator est omnī & uniuersorū causa, substantia, præstat cæteris, ut patres esse dicant. Quærit uero quæ ob causam & in caelis ab eo

A ab eo oīs paternitas appellet. Quō nos Patriarchas & Prophetas nostros patres dicimus, ita puero & Angelos cæterasq; uirtutes habere principes sui generis in cœlestibus, quos patres gaudeat appellare. Archangelus enim nisi Angelorū dici nō potest, & dominatio principatus & potestates nisi inferiores subiectos habeant, nō uocantur. Potest ergo & hoc dici, quod Deus Domini nostri Iesu Christi iuxta substantiam pater est, & unigenitus non est adoptione filius, sed natura. Cæteræ quoq; creaturæ paternitatis nomen adoptione meruerunt.

**U**t det uobis &c.) Propterea dicit, curuo genua mea ad patrem, ut tribuat uobis uirtutem gloriæ suæ, id est, maiestatis suæ habere cōfortiū, uosq; roboret atq; confirmet per spiritum sanctū, quia nulla fortitudo absq; spiritu sancto est. Roboret aut̄ atq; confirmet in interiori hominē. Non enim exteriorē, sed interiorē hominē cupimus roborari, ut postquā habitauerit Christus in interiori homine, in ipso interioris hominis habitet principali, id est, in cordibus uestris. Hoc autem totum per fidem fiet, si credamus in eum. Quamobrem ait, habitare Christum per fidem in cordibus uestris. Habitatio autem ista, quæ per exordium fidei fabricatur, radices & fundamenta in charitate habet, hæc est uita cordium, in qua uiuimus in seculum seculi, ab initio fidei usq; ad finem speciei.

**In charitate radicati &c.)** Hæc est cōmunio cuiusdam diuinæ cœlestisq; reipublicæ, hinc saturantur pauperes, non sua quærentes, sed quæ Iesu Christi. Nam de ipso pane quod tales saturantur quodam loco Apostolus dicit: Unus panis, unum corpus multi sumus.

**Quæ sit latitudo &c.)** Ipsa charitas cū in bonis operibus dilectionis exercetur, quasi ad subueniendū quaquaerum potest porrigit, & hæc latitudo est. Nunc longanimitate aduerſa tolerat in eo quod ueraciter tenuit, perseverat, & hæc longitudo est, hoc aut̄ totum propter adipiscendam uitam facit, æternamq; illi promittitur in excello, & hæc altitudo est. Existit uero ex hoc cultu ista charitas, ubi fundati quodammodo & radicati sumus, ubi causæ uoluntatis Dei non uestigantur, & hoc est profundum. Altitudo quippe commune nomen est excello & profundo. Sed cum in excello dicitur, sublimitatis eminentia cōmendatur. Cum autem in profundo, difficultas inuestigationis & cognitionis, unde & illud Deo dicit: Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundę factę sunt cogitationes tuæ.

**Scire & iam supereminentem &c.)** In hoc mysterio figura crucis ostendit, qui enim quia uoluit mortuus est, quomodo uoluit mortuus est. Nō frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi ut in eo quoq; latitudinis huius & longitudinis & altitudinis & profunditatis magister existeret. Nā latitudo est in eo ligno quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usq; ad terram conspicuū est. Ibi enim quodammodo statat, id est, persistit & perseveratur sede tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersū figitur sursum uersus relinquit, hoc est, ad caput crucifixi, quia bene sperantiū superna expectatio est. Iam uero illud ex ligno quod nō apparet, quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat, gratuita re gratiæ, in quo multorum ingenia conteruntur, id uestigare conantia, ut ad extremum eis dicatur: O homo, tu quis es, ut respondeas Deo?

**Ei aut̄ qui potens est &c.)** Hoc ostendens, se quidem iuxta imbecillitatem hominis postulasse, quæ eis conducibilia uidebant. Cæterum quantū ad rei ipsius pertinet ueritatem, plus Deum ualere tribuere, quam rogatur. Præstabit igitur super quam petimus aut̄ intelligimus, secundum eam uirtutem quæ operatur in nobis.

**Ipsi gloria in ecclesia &c.)** Ipsi itaq; Deo sit gloria, primū in ecclesia quæ est supra, non habens maculam, neq; rugam, & quæ propterea gloriam Dei recipere potest, quia corpus est Christi, deinde in Christo Iesu, quia in corpore adsumpti hominis, cuius sunt uniuersa membra credentium, omnis diuinitas corporaliter, quæ quidem gloria non in præsens tantum tempus extenditur, & futuris seculis terminatur, sed in omnes generationes in seculū seculorum ineffabili æternitate permanet, crecit, augetur.

## EVANGELIUM LUCÆ CAP. VII.



**B**ar Iesus in ciuitatem, quæ uocatur Naïm, & ibant cum illo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquarent portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris

Hier.

1. Cor. 10.

Psal. 103.

Rom. 9.  
Hier.

Philip. 2.

C suæ, & hæc uisua erat, & turba ciuitatis multa cum ea. Quam cum uidisset Iesus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit & tetigit loculū. Hi autem qui portabant, steterunt, & ait: Adolescens, tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus uisitauit plebem suam.

Ibat Iesus in ciuitatem, quæ uocatur Naim, & ibant cū illo discipuli eius, & turba copiosa. Naim ciuitas est Galileæ in secundo miliario Thabor montis, cōtra meridiem, iuxta endor, qui est uicus grandis in quarto miliario eiusdem montis ad meridiem. Interpretatur enim Naim fluctus uel commotio.

Cū autē appropinquaret portæ ciuitatis, porta ciuitatis qua defunctus efferebatur, puto aliquem de sensibus esse corporeis, qui enim seminat inter fratres discordias, qui iniquitatem in excessu loquitur, is per oris portam extrahit mortuus. Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam per oculorū portā amoris iudiciū profert. Qui fabulis otiosis, obscenitū carminibus uel detractionibus aurē libenter aperit, hanc animæ suæ portā mortis efficit.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ. Defunctus hic, qui extra portam ciuitatis multis est intuentibus elatus, significat hominem legali criminum sumere soporatum, eandemq; in super animæ mortem non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorū noticiā per locutionis operi suæ iudiciū, quasi per suæ ciuitatis ostia pro palantē. Qui bene filius unicus matris suæ fuisse perhibet, quia licet ē multis collecta per fontis lauachrū una sit perfecta & immaculata uirgo mater ecclesia, singuli quicq; tamen fidelium uniuersalis se ecclesie filios rectissime fatentur. Nam & electus quilibet quando ad fidem imbuitur, filius est, quando alios imbuit mater. An nō materno erga paruulos agebat affectu, qui ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus.

Parturio erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Viduam esse ecclesiam omnem animam sponsi Domini, quæ sui se mortem redemptam meminit, agnoscit. Diuino autem nutu multa Dominū turba, multa uiduam cōmitabatur, ut uiso tanto miraculo, multi testes, multi Dei fierent laudatores.

Quam cū uidisset Iesus, misericordia motus super eā, dixit: Noli flere.)

Desiste, inquit, quasi mortuum flere, quem mox uiuum resurgere uidebis, & pulchre Euangelista Deum prius misericordia motum esse super matrem, ac sic filium suscitare testatur, ut in uno nobis exemplum immitandæ pietatis ostenderet, in altero fidem mirandæ potestatis adstrueret.

Et accessit & tetigit loculum, hi autem qui portabant steterunt.)

Loculus in quo mortuus effertur, male secunda desperati peccatoris conscientia est. Qui uero sepeliendum portat, uel immunda desideria, quæ hominem rapiunt in interitum, uel lenocinia blandimentum sunt uenenata sociorum. Quæ peccata nimirum, dum fauoribus tollunt, accumulunt, peccantesq; contemptu, quasi aggere terræ obruunt. De quibus alibi dicitur: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortuos quippe mortui sepeliunt, cum peccatores quicq; sui similes, alios nociuo fauore demulcent, cum gesta pessimæ adulationis mole, ne qua aliquando spe resurgendi potiantur opprimunt. Domino ergo loculū tangente, funeris basilis steterunt, quia superni formidine iudicij adtracta conscientia, & carnalium sæpe affluentia uoluptatum, & iniuste laudantium turbam coercens, ad seipsam reuertitur, uocantiq; ad uitam festina respondet saluatori, uide recte sequitur:

Et dixit adolescenti, tibi dico surge, & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illū matri suæ.) Resedit quippe qui erat mortuus, cum interna compunctione reuulsit peccator, incipit loqui cū reductis iudicia uitæ cunctis qui peccatū luxurā ostendit. Redditur matri, cum per sacerdotales decreta iudicij cōmunionis sociatur ecclesie.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant &c.) Quanto disperatio animæ mors ad uitam reuocatur, tanto plures eodem corriguntur exemplo. Vide Dauid prophetam, uide Apostolum Petrum, quorum quo gradus altior, eo casus grauior.

Quo

A quo autem grauior casus, eo pietas erigentis gratior, quo uero gratior in eis Domini pietas apparuit, eo certior cunctis pœnitentibus spes salutis apparuit, ut iure omnes qui audiunt dicant:

Quia Deus uisitauit plebem suam.) Non tantum uerbum suum semel incorporando, sed etiam nostra, hoc ut suscitari debeamus semper in corda mittendo.

### HEHDOMADA XVIII. POST PENTECOST.

Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. III.



Bsecro uos ego uinctus in Domino, ut digne ambuletis uocatione, qua uocati estis, cū omni humilitate & mansuetudine, cū patientia supportantes inuicem in charitate. Solliciti seruire unitatem spiritus in uinculo pacis. Vnum corpus & unus spiritus, sicut uocati estis in una spe uocationis uestre. Vnus Dominus & una fides, unū baptisma, unus Deus & pater omnium, qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis Qui est benedictus in secula seculorū, Amen.

O Bsecro itaq; uos ego uinctus in Domino, ut digne ambuletis, &c.) Potest & in Christi uinculis, & in carcere pro martyrio constitutus, hæc scribere. Melius autem est, si uinctum Domini charitate dicamus. Est & alia expositio, quæ an recipienda sit, erit in potestate lectoris, Vinculum animæ corpus hoc dicit, & quia Paulus ob ministeriū Euangelij corpus acceperit, consequenter Christi uinctus sit appellatus. Ambulare credendus est, qui ingreditur per eum qui dicit: Ego sum uia, & non declinet, neq; ad dexteram neq; ad sinistram & avertit pedē suū ab omni uia mala, cōpleturq; in eo: A Domino gressus hominis diriguntur.

Cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia.) Qui terrā & cinerem esse se nouit, & post paululum in puluerem dissoluendum, nunq; superbia eleuabitur, & qui Dei æternitate perspecta, breue & pene ad punctū instar humanæ uitæ spatium cogitat, ante oculos suos semper habebit interitum, & erit humilis atq; deiectus: Omnis autem humilitas non tam in sermone, quam in mente est, ut humiles nos esse conscientia nouerit, & nūq; nos uel scire uel intelligere uel esse aliquid estimemus. Mansuetudo quoq; illa est, quæ nulla passione turbatur, & specialiter ira & furore rumpitur, quam qui habuerit, beatitudinem, quæ Domini uoce promissa est, consequetur.

Supportantes inuicem in Charitate.) Hoc ipsum mihi uidetur significare & illud quod ad Galatas scribitur: Alterutrum onera uestra portate. Alterutrum onera portare, uel suscipere inuicem in charitate eos complere dicimus, qui diuites sunt, & inopiam pauperū subleuant. Nec peccantem fratrem, nec inopem consolatur, qui non habet charitatem, contemnit uerba Apostoli cōmmentis: Debemus autem nos, qui fortiores sumus, infirmitates imbecillium portare, & non nobis metipsis placere.

Solliciti seruire unitatem spiritus in uinculo pacis.) Ephesijs, qui iam unitatem sancti spiritus fuerant consecuti, recte dicitur, solliciti seruire unitatem spiritus in uinculo pacis. Qui enim quid habet, seruandi illi sollicitudo præcipitur, qui autem non habet, studium illi ut habere ualeat, imperatur.

Vnum corpus.) Vel simpliciter unum corpus Christi intelligitur, quæ est Ecclesia, uel certe, quod ex uirgine est dignatus adsumere, ne illi quidem parent toties corporatum, quoties in Veteri apparuit Testamento.

Vnus spiritus.) Vnus quippe largitor & sanctificator est omnium, uel certe unū corpus ad uitam referitur & opera, quæ Græcæ dicuntur *σπῆμα τῆς βίης*, & unus spiritus ad scientiam & contemplationem, quæ proprio uersatur in corde, & ab illis dicitur *θεωγία*.

Sicut uocati estis in una spe uocationis uestræ.) Cum ergo membrum quis fuerit Ecclesie, nec ab uno eius spiritu separatus, consequenter erit in una spe uocationis. Quæritur quomodo una spes uocationis sit, cum apud patrem diuersæ sint mansiones, ad quod unam spem uocationis, regnum cœlorū, quasi unum bonum Dei patris esse dicemus, & in una domo uarias mansiones. Alia enim gloria solis, alia lunæ, alia stellarū, aut certe illud subtilius indicatur, quod in fine & consummatione rerum in pristinum statum restituenda sint omnia, C 3 quando

Hiero.

Esaiæ. 30.  
Pro. 4.  
Psal. 36.

Gal. 6.

Rom. 15.

quando omnes unum corpus efficiamur, & in uirum perfectum reformamur, & oratio pro nobis saluatoris impletur: Pater da, ut quomodo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint.

Iohan. 17.

**Vnus Dominus, & una fides, unū baptisma, unus Deus, & pater, &c.)** Vnus est Dominus, & unus est Deus, quia patris & filij dominatio una diuinitas est, propterea & fides una dicitur, quia similiter in patrem & in filium & in spiritum sanctum credimus & baptisma unum. Eodem enim modo & in patrem & in filium, & in spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimur, ut trinitas unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in omnibus patris & filij & spiritus sancti, sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Potest unum baptisma & ita dici, quod licet ter baptizemur propter mysterium trinitatis, tamen unum baptisma reputetur. Vnum quoque baptisma est in aqua & spiritu & igni, & de qua Dominus loquitur: Baptisma habeo baptizari, & alibi: Baptismate meo baptizamini. Qui salubriter credit in patre, necessario credit & filio & spiritui sancto, nec alicui in sancta trinitate separatim credulitas exhibetur, unitati enim diuinæ una seruitus iure debetur, quia & baptismatis gratia inseparabiliter uno tribuitur nomini trinitatis, & ideo unus Deus, & una fides, & unum baptisma ore Apostolico prædicatur.

Luce. 12. Vulg.

Qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, qui est benedictus in secula. ) Diuersitas autem præpositionum, in quibus dicitur: Vnus Deus, & pater omnium, qui super omnia, & per omnes, & in omnibus diuersam intelligentiam sapit. Super omnia enim est Deus pater, qui autor est omnium, per omnia filius, qui cuncta transcurrit uaditque per omnia in omnibus spiritus sanctus, quia nihil absque eo est. Quidam hoc, quod scriptum est: super omnes & per omnia, & in omnibus ad patrem & filium & spiritum sanctum sit estimandum esse referendum, ut super omnia pater sit, quia autor est omnium, per omnia filium, quia per filium creata sunt omnia, in omnibus spiritus sanctus, ipse enim credentibus datur, & templum sumus spiritus sancti & pater & filius habitant in nobis.

## EVANGELIUM LVCÆ CAP. XIII.

**D** Vm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Phariseos: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum sanauit eum ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet eum die sabbati? Et non poterant ab hæc respondere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior sit te inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum uocatus fueris, uade recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

Eccl. 10.

**C** Vm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum, & ecce homo quidam Hydropticus erat ante illum. ) Hydropticus morbus ab aquosa humore uocabulum trahit. Græcæ enim υδρ aqua uocatur. Est autem humor subcutaneus, de uicio uescicæ natus, cum inflatione turgente, & anhelitu foetido. Propriumque est hydroptici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitire. Et ideo comparatur ei, quem fluxus carnalium uoluptatum exuberans adgrauat. Comparatur diuiti avaro, qui quanto est copiosior diuitijs, quibus non bene utitur, tanto ardentius talia concupiscit.

Et

**A** Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Phariseos, si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. ) Quod dicitur respondisse Iesus, ad hoc respicit quod præmissum est, & ipsi obseruabant eum. Dominus enim nouit cogitationes hominum, sed merito interrogati tacent, qui contra se dictum quicquid dixerint, uident. Nam si licet sabbato curare, quare salutorem an curet obseruant? Si non licet, quare ipsi sabbato pecora curant?

Ipse uero apprehensum sanauit ac dimisit. ) Prouida dispensatione Dominus ante legisperitos & Phariseos hydropticum curat, & mox contra auaritiam disputat, ut uide licet per huius egritudinem corporis melius exprimeretur egritudo cordis. Denique post multa disputationis eius hortamenta subiunctum est, audiebant autem omnia hæc Pharisei, qui erant auari & deridebant illum. Hydropticus quippe, quo amplius biberit amplius sitit, & omnis auarus sitim multiplicat, qui cum ea, quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat.

Et respondens ad illos dixit: Cuius uestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? ) Sic obseruatores sui Phariseos conuincit, ut eosdem auaritiæ condemner: Si uos, inquit, in sabbato asinum aut bouem, aut aliud quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animali, sed uestre auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare? Congruenterque hydropticum animal, quod cecidit in puteum, comparauit, humore enim laborabat, sicut illam mulierem, quam decem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatio ne soluebat. Comparauit iumento, quod soluitur, ut ad aquam ducatur, & bene utroque loco bouem posuit & asinum, quia siue sapientes quosque & hæbetes, siue ut supra dictum est, utrumque populum significari sentiamus, eum uidelicet cuius ceruicem iugum legis attriuit, atque eum quem quilibet seductor repperit, quasi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo uoluit errore subtraxit. Omnes saluator adueniens satanæ uinculis adstrictos, omnes in imo concupiscentis puteo dimersos inuenit. Non est enim distinctio: Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Iustificati gratis per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Rom. 1.

**B** Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. ) Aperta quidem ad litteram est hæc admonitio saluatoris, docens humilitatem, non solum apud Deum, sed etiam apud homines esse laudabilem. Sed quoniam hanc Euangelista non frustra Parabolam uocat, breuiter intuentum, quid etiam mystice signet. Nuptias appellari Christi & Ecclesiæ coniunctionem multis locis apparet, & quibus unum est: Nunquid possunt filij nuptiarum quam diu sponsus cum illis est ieiunare? Aliud: Si simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias. Has ergo nuptias, quisquis inuitatus adierit, id est, Ecclesiæ, se membrum fidei gratia coniunxerit, non discumbat in primo loco, hoc est, non se de meritis gloriantes, quasi sublimior cæteris extollat, & quidem studeat iuxta alterius loci Parabolam, ueste nuptiali uestitus, hoc est, uirtutum fulgore coruscus apparere, sed ipsarum ambitum uirtutum loco deuotæ humilitatis adornet.

Math. 9.

Ne forte honoratior te sit inuitatus ab eo, & ueniens his, qui te & illum uocauit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incipies cum rubore nouissimum locum tenere. ) Honoratiori post inuitato locum dat ille, qui de longe suæ conuersationis confidentia securior factus, uitæ illorum, qui se in Christo secuti sunt, agilitate præiur. Et cum rubore nouissimum locum tenet, quando de alijs meliora cognoscens, quicquid de sua operatione celsum sentiebat humiliat, dicens cum Propheta: Aegens sum ego, & in laboribus a uenture meae: exaltatus autem humiliatus sum & confusus.

Psalm. 37.

Sed cum uocatus fueris ad nuptias, uade recumbe in nouissimo loco. ) Quanto magnus es, inquit, humilia te in omnibus. Et Psalmista gloriatur: Humiliatus sum usque quæ Domine, uiuifica me secundum uerbum tuum, manifeste significans, ita se à Domino posse uiuificari, si de suis ipse uirtutibus humilia sentiret.

Psalm. 118.

**C** Ut cum uenerit qui te inuitauerit, dicat tibi: Amice ascende superius.)

Veniens Dominus quem humilem inuenit, amice nomine beatificans superius ascendere precipit. Quicumque enim humiliauerit se, sicut paruulus hic, est maior in regno caelorum.

Matth. 18.

Pro. 20.

Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.) Pulchre dicitur, tunc erit tibi gloria, ne nunc quaerere incipias, quod tibi seruetur in fine, quia sicut Salomon ait: Hæc editas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Porest autem in hac uita intelligi, qui in nouissimo loco recubens inuenitur Domino ueniente sublimatus. Quia cotidie Dominus suas nuptias intrat, cotidie mores, sedes, habitus conuiuantium diiudicat, & superbos despiciens, humilibus sæpe tanta suis spiritus munera præstat, ut eos merito simul discumbentium, hoc est, in fide quiescentium coetus unanima admiratione glorificet, stupensque in auctoris sui laudationem profiliat dicens: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

Psal. 135.

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.) Et ex hac conclusione, manifeste docet, præcedentem Domini sermonem typice intelligendum. Neque enim mox omnis, qui se coram hominibus exaltat, humiliabitur, aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltabitur ab eis. Sed è contrario nõnuncq; qui se uel in apice dignitatis, uel in alia qualibet adquiranda gloria subleuat, usque in finem exaltari non cessat. Similiter & humilis quilibet ac uerecundus, in sua, qua contentus est, usque ad uitæ terminum mediocritate perseuerat. Et ideo quia iuxta ueritatis sententiã, omnis qui se incaute de meritis adleuat, humiliabitur a Domino, & qui prouide se de benefactis humiliat exaltabitur ab eo. In eundem procul dubio sensum præmissus sermo redemptoris, quo primos in nuptiis accubitus queri uetat, congruit.

HEBDOMADA XIX. POST PENTECOST.

Epistola beati Pauli Apostoli ad Corinthios. I. Cap. I.

**D** Gratias ago Deo meo semper pro uobis, in gratia, quæ data est uobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis, ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, exstantibus reuelatione Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit uos usque in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri Iesu Christi.

Gratias ago Deo meo semper pro uobis, in gratia Dei quæ data est uobis in Christo Iesu.) Gratias quidem ago, quod habetis scientiam matrem uirtutum, sed uolo uos scire, quod illa sit uera scientia, quæ in animorum unitate concordat, ut solet, primum molli eloquio prouocat, & blanda laude sollicitat.

Quia in omnibus diuites facti estis in illo.) Hoc dicendo Apostolus ostendit eos, quando ad fidem Christi accesserunt, omni gratia tunc esse ditatos, id est, omnibus uirtutibus, sapientia, quæ Prophetas & amicos Dei constituit.

In omni uerbo, & in omni scientia.) Id est, tam Veteris Testamenti, quam noui eruditione, dicendo: diuites facti estis, & addendo: in omni uerbo & scientia, in quo essent diuites, euidenter ostendat.

Sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis.) Id est, utriusque uoluntatis sacramentum, quod Christi uel Prophetauit, uel ostendit aduentus, de quo ait: Quia omnis scriba doctus similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & uetera, quæ credentium corda confirmant.

Matth. 12.

Pro. ultimo.

Ita ut nihil uobis desit in ulla gratia.) Sicut dicit Salomon: Venerunt mihi omnia simul cum ea, id est, cum sapientia.

Expectantibus reuelationem, &c.) Ideo reuelationem dixit, quia nunc uita nostra abscondita est cum Christo, quæ tunc corporaliter illius seculi reuelabitur.

Qui & confirmabit uos, &c.) Sicut ait Propheta: Confirma me in uerbis tuis, Et illud: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Euan-

EVANGELIUM MATTHÆI. CAP. XXII.

**A**



Accesserunt ad Iesum Sadducei, & interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, uniuersa lex pendet & Prophetæ. Congregatis ergo Phariseis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uideretur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere ei uerbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Accesserunt ad Iesum Sadducei, & interrogauit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege, &c.)

Primum omnium non pro ordine, sed pro dignitate intelligi dicitur, id est, maximum omnium siue Beda. primum. Quia ante omnia debemus intimo in corde singuli, quasi unicum pietatis fundamentum locare. Ergo primum omnium & maximum mandatum est cognitio atque confessio diuinitatis, cum executione bonæ operationis. Bona autem operatio dilectione Dei & proximi perficitur, quod breuiter alijs uerbis commendat Apostolus dicens: In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid ualeat, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ostendit ex hac responsione scribæ grauè sepe inter Scribas & Phariseos quæstionem esse uersatam, quod esset mandatum primum siue maximum diuinitatis legis. Quibusdam uidelicet hostias & sacrificia laudantibus, alijs uero maiore auctoritate fidei & dilectionis opera præferentibus, eo quod plurimi patrum ante legem absque omni uictimarum & sacrificiorum consuetudine ex fide tantum, quæ per dilectionem operatur placerent Deo, summi que apud ipsum loci haberentur. Nemo autem unquam absque fide ac dilectione per holocausta solum & sacrificia Deo placuisse inuenitur, in qua sententia scriba iste etiam se fuisse declarauit.

**B**

Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est maximum &c.) Totam magnitudinem August. & latitudinem diuinorum eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum proximumque diligimus. Docet nos enim coelestis unus magister & dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Si ergo non uacat omnes scripturas sanctas perscrutari, omnia inuolucra sermonum (quod uoluit enim scrutatur) omnia scripturarum secreta penetrare, tene charitatem ubi pendeunt omnia, ita tenebis, quod tibi didicisti, tenebis etiam quod nondum didicisti. Si enim nostri charitatem, aliquid nostri, unde & illud pendet, quod forte non nosti, & in eo quod scripturis intelligis, charitas pater, ille itaque tenet, & quod pater, & quod latet in diuinis sermonibus, qui charitate tenet in moribus, & hoc est: Breuiatum sermonem faciet Dominus super terram.

Congregatis autem Phariseis, interrogauit eos Iesus dicens: Quid uobis uideretur de Christo, cuius filius est? Qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & ueritatem fraudulenta interrogatione capere nitentur, occasionem præberunt conversationi suæ, interrogantque de Christo, cuius filius sit? Interrogatio Iesu nobis proficit usque hodie contra Iudæos. Et hi enim, qui consentiunt Christum esse uenturum hominem simplicem ac sanctum, uerum adserunt de genere Dauid. Interrogemus ergo eos docti à Domino, si simplex homo est, & tantum filius Dauid, quomodo Dauid uocat eum Dominum suum? Non erroris incerto, nec propria uoluntate, sed in spiritu sancto.

Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo &c.) Non autem reprehenduntur, Beda. quia

Hiero.



C quia David filium dicunt, sed quia Dei filium non credunt. Si quidem ipse & Dominus David est, Deus ante tempora manendo, & filius David apparuit, homo in temporum sine nascendo. Quod autem à patre subijciuntur inimici, non infirmitatem filii, sed unitatem naturæ, quia in altero alter operatur significat. Nam & filius subijcit inimicos patri, quia patrem clarificat super terram: Sede à dextris meis, &c.

Fulgentius Hic sessio: stabilitatem significat. Apte enim filio post passionis laborem dicitur: Sede, id est uictor, in gloria: à dextris, non locum, sed æqualitatem patris significat. Donec pro semper infinitum significat, ut illud: Donec senescatis ego sum, ac si diceret: Tu semper sede, quia semper inimici sub pedibus tuis subijciuntur, pedes enim Domini uel incarnatio, uel ipsi Apostoli intelliguntur.

Et nemo poterat respondere ei uerbū, neq; ausus fuit quisq; ex illa &c.) Pharisei & Sadducei querentes occasionem calumniæ, & uerbum aliquod inuenire, quod pater et infideli, quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed aperitissime comprehensum Romanæ traditū potestati, ex quo intelligimus uenena inuidiæ posse quidem superari, sed difficile conuincere.

Tunc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: &c.)

Psalm. 63. Quid mansuetus, quid benignus Domino, tenet à Phariseis, confringitur insidiæ eorū, & secundum Psalmistam: Sagittæ paruulorū factæ sunt plagæ eorū, & nihilominus propter sacerdotium & nominis dignitatem horratur populos, ut subijciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei, per cathedram doctrinam legis ostendit, ergo & illud quod dicitur in Psalmo: Et in cathedra pestilentiæ non sedit: Et cathedras uidentium tolumbas euerit, doctrinam debemus accipere.

August. Illa ergo cathedra non eorum, sed Moysi cogebat eos bona dicere, etiam nō bona facientes. Agebant ergo sua in uita sua. Docere autē suā cathedra illos non per mittebat aliena. Multis itaq; profuit dicendo, quæ non faciunt, sed longe pluribus prodessent faciendo, quæ dicunt.

D Alligant autem onera grauiā, & inportabilia & imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.) Hoc generaliter aduersus omnes magistros, qui grandia iubent, & minora non faciunt. Notandum autem quod & humeri & digitus & onera & uincula, quibus alligantur onera spiritualiter intelligenda sint.

Omnia uero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus.) Quicunque igitur ita facit quod libet ut uideatur ab hominibus, scriba est & Phariseus.

Deut. 6. Disatant enim phylacteria sua.) Dominus cum dedisset mandata legis per Moysen, ad extremū intulit: Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. & est sensus: Præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur: Sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis, hoc Pharisei male interpretantes, scribebant in membranulis decalogum Moysi, id est, decem legis uerba, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capitis facientes, ut semper ante oculos moueretur, quod usq; hodie Indi & Persæ & Babylonij faciunt, & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis iudicatur. Et hæc ipsa pistariola, phylacteria uocabatur, quod quicunq; habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet, non intelligentibus Phariseis, quod hæc in corde portanda sint non in corpore, alioquin & armaria & arcæ habent libros & noticiam Dei non habent.

Magnificant simbrias.) Iusserat quoq; aliud Moyses, ut in quattuor angulis palliorum, hyatintinas simbrias facerent, ad Israël's populum dinoscendum, ut quomodo in corporibus circumcisio signum Iudaicæ gentis haberet aliquam differentiam, superstitiosi magistri, caprantes auram popularem, atq; ex mulierculis sectantes luera, faciebant grandes simbrias, & accurtissimas in eis spinas ligabant, ut uidelicet ambulantes, & sedentes, interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officium Dei, & ministeria seruitutis eius. Istiusmodi erat simbria parua & breuis ex lege præcepta, quam & mulier illa quæ sanguine fluebat tetigit, in palliolo Domini, sed non est cōpuncta superstitiosis sensibus Phariseorum, magisq; sanata ad tactum eius.

Amant quoq; primos recubitus in cœnis & primas cathedras in synagogis & saluationes in foro & uocari ab hominibus Rabbi, uos autem nolite uocari

A uocari Rabbi, unus est magister uester, omnes autem uos fratres estis.)

Arguuntur à Domino in reliquis, id est, cur quærant primos accubitos in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & in publico gulam sectentur & gloriam, & uocentur ab hominibus Rabbi, quod Latino sermone magister dicitur.

Nunquid putandæ sunt scripturæ Dei sibi esse contrariæ: & ideo negligendū est, quod scriptum est: Honora patrem tuum & matrem tuam, quamquam ut patrem intelligamus ipsum Deum, & matrem uero ecclesiam, ueruntamen in omnibus rerum ordo seruandus est, non enim honorificentiam, quæ debetur parentibus Dominus euacuabit dicens: Ne uobis uocetis patrem super terram, sed quos erigebat in spem uitæ æternæ saluos, temporales istas necessitudines transitorias docebat, ut in eum se patrem extenderent, cui non mortui successuri essent, sed cum illo semper uicturi sunt. Ergo nobis patres, & habemus patres, & sumus patres, multis modis, sed uno & singulari modo eodemq; æterno solus Deus pater est.

Et patrem nolite uocare uobis super terram, unus est enim pater uester, qui in cœlis est, ne uocemini magister, quia magister uester unus est Christus, qui maior est uestrum, erit minister uester.) Nec magister nec pater uocandus est ullus, nisi Deus pater, & Dominus Iesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia, Magister, quia per ipsum omnia, uel quomodo per dispensationē carnis omnes reconciliati sumus Deo. Nos si hominem patrem uocamus, honorem ætati deferimus, non autorem nostræ ostendimus uitæ. Magister quoq; dicitur ex consortio ueri magisterij, & ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus, & unus filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dii uocentur & filij, ita & unus pater & magister non præiudicat alijs, ut abusuue appellentur patres & magistri.

Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.) Expositionē istius sententiæ, quæ re superius in hebdomada octaua decima post Pentecosten.

## IN NATALE SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS

Epistola ex Apocalypsi Ioannis. Cap. I.

Significauit Deus quæ oportet fieri cito, & significauit loquens per Angelū seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit uerbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunq; uidit, Beatus qui legit & audit uerba prophetiæ huius & seruat ea, quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est. Ioannes septem ecclesijs, quæ sunt in Asia, Gratia uobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui uenturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnū & sacerdotes Deo & patri suo. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

In diebus illis significauit Deus quæ oportet fieri cito.) Hoc est, significauit. Beda. Iuit. Mysticis eandem Apocalypsin dictis innexuit, ne cūctis manifesta uideret. Cito, id est, quæ in præfenti tempore sunt ecclesiæ uentura.

Loquens per Angelum suum.) Dominus pater per filium suum, quia Angelus magni consilij dicitur Christus. Siue Angelus Ioanni in figura Christi uisus est, sicut in sequentibus manifestus apparuit.

Quæ oportet fieri cito, omnis res quæ gerit, temporaliter habet exortū & cursum & terminū. Post exortum autē ecclesiæ, quæ iā fuerat Apostolorū prædicatione fundata, reudari oportuit, qualiter fuisset latius propaganda, uel quali etiam sine contenta, ut prædicatores ueritatis huius cognitionis fiducia freti, indubitanter adgrederemur, pauci multos, inermes, armatos, humiles, superbos, infirmi, nobiles, uui tamen spiritualiter mortuos. Quod autem ait: significauit, aliquid etiam futurorum & mysteriorum ostendit. Nec superficie literæ nos uoluit

C uoluit remanere contentos, quos ad misteria altius perferenda significationis uerbo, fecit intentos. Recte sane adiecit, per angelum suum à Christo fuisse discipulo demonstrata, cui per adsumptam creaturam, Deus & unus filius, non per diuinitatis essentiam Christum semper clareat apparuisse mortalibus, & ante incarnationem & post ascensionem. Propterea his qui cum magistro nouerat, in homine suscepto testimonium perhibuit inuisibili uerbo, ac ne uerbo tantum sentiendum quisque putaret, nomen rursus Iesus Christus subiūxit, quod ad suscepti hominis formam pertinere non nescit.

Seruo suo Iohanni.) Cum dicit omni Ecclesie, in uno reuelare uoluit, quam in unitate reuendit, ideo dicit palam facere seruis sui, non solum unum ex multis, sed per unum potius uniuersis. Sicut regni cœlorum solus Petrus clauas accepit, qua ualent potestate omnis Ecclesia uti sublimata promeruit.

Beatus qui legit, & qui audit uerba Prophetie huius.) Dicendo qui legit, & qui audiunt, personam doctorum & discipulorum demonstrauit, ut & studio legendi desiderium remoueret & seruantibus beatitudinem desponderet.

Et seruant ea, quæ in eis scripta sunt.) Quia utriusque seruare cōpetit, utroque conuenit. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.

Tempus enim prope est.) Scilicet, ut singula quæ dicenda sunt impleantur.

Iohannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.) Hoc est, uni Ecclesie septiformi. Septenario numero sæpe unitas figuratur, eo quod ex primo impari & primo pari, id est ternario & quaternario, tanquam ex diuerso uniuersitas tota conficitur. Nam & animæ corporisque diuersitas ipsam unitatem numeri huius complectitur, & ad animam tria pertinent, & ad corpus quatuor. Dicitur namque diligendus est Deus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. Corporis autem notas habemus quatuor qualitates, calidam & frigidam, siccam, & humidam, propterea etiam canitur: Septies in die laudem dixi tibi.

Gratia uobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui uenturus est.)

Licet iuxta Apostolum, Deus erat in Christo mundum reconcilians, sibi uel sicut ipse testatur, qui me misit mecum est, propter unitatem unius eiusdemque nature, ad personam tamen filij hinc propriæ redigendus est locus. Est enim quia idem permanet, erat qui cum patre omnia condidit, uenturus est ad iudicandum.

Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.) Propter septenam operationem spiritus sancti, septiformis spiritus dicitur, id est sapientiæ & intellectus, cōsilio, & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris Dei. Unius enim semper spiritus dona legaliter commendantur, quando à septem spiritibus pax & gratia deuotis optatur.

Et ab Iesu Christo, qui est testis fidelis.) In homine suscepto testimonio perhibuit patri, cum prædicans dicit: Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam quod Iudæis dudum negatum ostendens, dicit: Et nomen tuum adonai non indicaui eis. Credite enim filio, patris quoque noticia, nihilominus reuelatur. Nam filius non diceretur, nisi patrem haberet, neque pater, nisi filium habuisset. Alter itaque alterius prædicatione cognoscitur, quia pater in filio, & filius in patre ueraciter adprobatur. Siue testis, quia per suam mortem testificauit Nouum Testamentum. Nisi enim post uortem hominis non adfirmatur Testamentum.

Primogenitus mortuorum.) Quia primus resurrexit à mortuis, & quod testificauit de resurrectione mortuorum in se primum ostendit.

Et princeps regum terræ.) Id est, Apostolorum & omnium sanctorum.

Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis in sanguine suo.) Passus etiam suo nos sanguine soluit à peccato, qui resurgens iure primogenitus à mortuis prædicatur.

E V A N G E L I V M M A T T A E I. CAP. XVIII.



Ccesserunt ad Iesum discipuli eius dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

rum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo ab scandalis. Necessè est enim ut ueniant scandala. Veruntamen, uæ homini per quem scandalum uenit. Si autem manus tua uel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Bonum tibi est ingredi debilem uel claudum, quam duas manus, uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te. Bonum est tibi unum oculum habentem uitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemneris unum ex hijs pusillis. Dico enim uobis: Quia Angeli eorum in cœlis uident faciem patris mei, qui in cœlis est.

Ccesserunt ad Iesum discipuli dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum.) Superius enim scriptum est: Quia dixit Dominus Petro, uade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primum ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Ex hac enim occasione arbitrati sunt omnibus Apostolum Petrum esse prelatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideo interrogant: Quis maior sit in regno cœlorum? Vidensque Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, uult desiderium gloriæ humilitatis contentione sanare.

Et aduocans Iesum paruulum, statuit eum in medio eorum dixit:)

Vel simpliciter quemlibet paruulum, ut etatem quæreret, & similitudinem innocentie demonstraret, uel certe paruulum statuit in medio eorum seipsum, qui non ministrari uenerat, sed ministrare. Vt eis humilitatis tribueret exemplum. Alij paruulum interpretatur spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, ut superbiam in humilitatem mutaret.

Amen dico uobis. Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.) Non præcipitur Apostolis ut etatem habeant paruulorum, sed ut innocentiam, & quod illi per annos possident, hi possideant per industriam, ut malitia non sapientia paruuli sint.

Qui cum ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior &c.)

Sicut iste paruulus, cuius uobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, non Iesus imminit, non uidens pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur, sic & uos, nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, regnum cœlorum non poteritis intrare. Siue aliter, quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Qui immitatus me fuerit, & se in exemplum mei humiliauerit, ut tantum se deiciat, quantum ego deieci formam serui accipiens, hic intrabit in regnum cœlorum.

Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.)

Qui talis fuerit, ut Christi immitetur humilitatem & innocentiam, in eo Christus suscipitur. Et prudenter temperat responsum, ut cum delatum fuerit Apostolis se putent honoratum, adiecit, non illos sui merito, sed magistrum honore suscipiendos.

Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt.)

Nota quod qui scandalizatur paruulus est, maiores enim scandala non recipiunt. Notandum sane quod in nostro bono opere aliquando cauendum est scandalum proximi, Beda. aliquando uero pro nihilo contemnendum. In quantum enim sine peccato possumus uitare proximorum scandalum debemus. Si autem de ueritate scandalum sumitur, utilius permittitur scandalum nasci, quam ueritas relinquatur.

Expedit ei ut suscipiatur, &c.) Secundum ritum prouinciæ loquitur, quo maiorum criminum ista apud ueteres Iudæos poena fuerit, ut in profundum ligato saxo demergerentur. Expedit autem ei, quia multo melius est pro culpa breuem recipere poenam, quam æternis seruire cruciatibus. Non enim iudicabit Dominus bis in idipsum.

D Item.

Grego.

C. Item per molam afinariam secularis uitæ circuitus ac labor exprimitur, & per profundam maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, uel uerbo cæteros destruit, uel exemplo. Melius profecto erat, ut hunc ad mortem subexteriori habitu terre na acta confringerent, quam sacra officia in culpa cæteris immittibilem demonstrarent. Quia nimirum si solus caderet, ut cuncti hunc tollerabilior inferni poena cruciaret.

Væ mundo ab scandalis, necesse est enim ut ueniant scandala, &c.)

Hiero.

Non quo necesse sit uenire scandala, alioquin absq̃ culpa essent, qui scandalum faciunt, sed cum necesse sit in isto mûdo fieri scandala, unusquisq̃ suo uitio scandalis patet, simulq̃ per generalē sententiam percutitur Iudas, qui prodicione animum præparauerat.

Si autem manus tua, uel pes tuus scādalizat te, abscinde eū, & projice abs te. Bonum tibi est ad uitam ingredi debilem uel claudum, quam duas manus, uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum, &c.)

Beda.

Quia supra docuerat ne scandalizemus eos, qui credunt in eum, nunc consequenter admonet, quantum cauere debeamus, eos qui scādalizare nos, id est, uerbo uel exemplo suo ad ruinam peccati propellere certant. Manū quippe nostrā appellat necessariū amicū, cuius opere atq̃ auxilio quotidiano opus habemus. Sed talis, si nos ledere in causa animæ uoluerit, excludendus est à nostra societate, ne si eū perditio in hac uita partē habere uolumus, simul in futuro eū ille percamus. In pede sicut & in manu charos inemendabiles docet alienandos à nobis, ne per immundiciam eorum, quos castigare nequimus, et ipsi polluti percamus. Manus, propter opus necessariū nobis, possunt dici tales, ppter ministeriū discursusq̃ in nostris uisib. accōmodos. In oculo quoq̃ propter scandalū eruendo, idē nostri carnaliter amici, spiritualiter uero aduersarij designantur. Sed cum nos eorum consulto ac prouisione opus habemus, illi uero consilio nos prauo decipere, atq̃ ad iter erroris deflectere querunt. *σκάνδαλον* quippe sermo Græcus est, quod nos offendiculum uel ruinam, & in pactionē pedis dicere possumus. Quidā *σκάνδαλον* Græc. Latine scrupulum dicunt. Ille ergo scandalizat fratrem, qui ei dicto factōe minus recte occasionem ruinæ dederit. Potest & simpliciter dici, si quis ita necessarius nobis esse uideretur, ut manus, pes & oculus, utilis uidelicet atq̃ sollicitus & acutus ad perspicendum, scandalum autem nobis facit, & per dissonantiam morum nos trahit in gehennam, ne siquidem temporalibus eius commodis, cum periculo animarum nostrarum, uti ac foueri debemus.

Hiero.

Uidet ne contemnatis unum ex his pusillis.) Quantum in uobis est nolite contemnere, sed per uestram salutem etiam illorum querite sanitatem.

Dico enim uobis: Quia angeli eorum in cælis, &c.) Magna dignitas animarum, ut una quæq̃ habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum, unde legitur in Apocalypsi Ioānis: Angelo Ephesi, Thyathyre & Angelo Phyladelphye, & Angelis quatuor reliquarū Ecclesiarum scribæ. Hæc & Apostolus quoq̃ præcepit uelari in Ecclesijs capta foeminarum propter Angelos.

Apoc. 1. 2. 3.

## HEBDOMADA XX. POST PENTECOST.

Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. III.

**R**

Enouamini spiritu mentis uestre, & induite nouū hominē, qui secundū Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. Propter quod deponentes mendaciū, loquimini ueritatē unusquisq̃ cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam uestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur. Magis autem laboraret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde retribuat necessitatem patienti.

Hiero.

Renouamini spiritu mentis uestre.) Nec in sensu renouamur absq̃ spiritu, nec spiritu absq̃ sensu, sed renouamur consistēte in spiritu sensus nostri, ut quomodo psallimus spiritu, psallimus & sensu, oramus spiritu, oramus & sensu, sic in spiritu sensus nostri renouemur, ut cum sensus mundus fuerit, atq̃ purgatus, & ab omni macula sordidæ concretionis alienus,

A. **alientis, tunc ei iungatur & spiritus, & ita quodam inter se unitatis glutino copulentur, ut nequaquam simplex spiritus, sed spiritus sensus esse dicatur.**

**Et induite nouum hominem.)** Id ipsum puto esse, quod in alio loco dicitur: **Induite uos Christum Iesum.** Ille quippe est nouus homo, quo uniuersi credentes debemus indui atq̃ uestiri. Quid enim in homine qui à saluatore nostro assumptus est, non nouum fuit conceptus, natiuitas, partus, infantia, doctrina, uita, uirtus, & ad extremum crux & passio, expoliantis in ea principatus, & contrarias fortitudines ostentui habentis. Resurrectio quoq̃ & ascensus ad cœlum. Qui igitur conuersionem illius imitari potest; & uniuersas in se exprimere uirtutes, ut sit mansuetus sicut fuit ille mansuetus, & humilis corde; & ponat animam suā pro amicis suis, ut ille posuit pro ouibus suis, uerberatus non respondeat; maledictus non remale dicat; sed uincat in humilitate superbiam. Ille indutus est nouum hominem, & dicere eū Apo. Gal. 2. stolo potest: **Uiuo autem iam non ego, uiuit autem in me Christus.**

**Qui secundum Deum creatus est.)** Considerandum igitur, quia creatio atq̃ conditio, nunquam nisi in magnis operibus nominentur. Verbi causa, mundus creatus est, urbs condita est, ex quo animaduertendum istum nouum hominem, qui iuxta Deum in Christo creatus est magnum Dei opus esse, & eminere ultra cæteras creaturas, cum sic conditus esse dicatur, ut mundus & incitium uiarum Dei & in exordio elementorum omnium sit creatus.

**In iustitia & sanctitate &c.)** Iesus ergo uere creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis, quia Deus uerus Dei ueri filius est, & tota in illo religio atq̃ iustitia Dei ueritate cōpleta est.

**Propter quod deponentes omne mendacium loquimini ueritatē, &c.)** Non simpliciter, ut quidam putant, nec moraliter Apostolus præcepit, mendacio derelicto cū proximis ueritatem loquendam. Alioquin sitantum cum proximis loquimur ueritatem, qui cuncti non fuerit proximus audire dicunt mendacium. Quod quidem & in lege præceptum: **Nō adulterabis uxorem proximi tui.** Si proximus tantum propinquus, uel amicus accipitur, adulteria in alienos iure promittit. Sed proximum uocat omnem hominem, qui ex eodem nobis cum parente generatus est.

Exod. 20.

B. **Quoniam sumus inuicem membra.)** Quod autem dicit: **Sumus inuicem membra,** magis mihi uidet significare mysteriū, & de his dicere, qui nobis fide & uirtute sunt proximi. Membra quippe alterutrum non sunt, nisi fideles fidelium, & Christiani Christianorum. Ergo hoc iubet, ut unusquisq̃ mystica quæcūq̃ atq̃ secreta, & ea quæ Dei ueritate sunt plena loquatur cum proximo suo, & nō der sanctum canibus, neq̃ mittat margaritas suas ante porcos, sed quicūq̃ oleū habuerit ueritatis, illos in thalamū sponsi cellarium & pocnum regis inducat.

**Irascimini & nolite peccare.)** Duplex autem non solum apud nos, uerum etiam apud Philosophos ira nomen accipitur, uel cum iniuria laceffiti, naturalibus stimulis concitatur, uel cum requiescente impetu & furore restincto, potest mens habere iudicium, & nihilominus super eo qui putatur lapsisse desiderat ultionem. Arbitror itaq̃ de priori ira nunc dictū, & nobis, quasi hominibus esse concessum, ut ad indignè alicuius rei faciem moueamur, tranquillitatemq̃ mentis, uel ut lenis quædam aura conturbet, nequaquam tamen intuemescentes gurgitis furoris impetu subleuemur.

**Sol non occidat super iracundiam uestram.)** Si simpliciter hunc solem intelligimus, qui oculis carnis aspicitur, peccamus, quando irascimur & occidente sole iracundia pericuerat. Non peccamus autem, quando, uerbi gratia, à prima hora usq̃ ad undecimā irascen tes, facimus quod indignatio, furor, ira, suggererint. Quo sensu nihil mihi uidetur absurdus, quasi nō queat quispiā ab ortu solis usq̃ ad occasum in tanta scelera debacchari, quanta tota uita sua non possit lacrymis expiare. Aut non magis ira locum in die habeat, cum utiq̃ nox requefiscit furoris, & succedente somno, etiam si irascimur, in diem iracundiam differamus. Quia igitur uerus sol sicut occidit super malos Prophetas, iuxta illud quod scriptum est: **Occidit sol super Prophetas uestros in Meridie.** Ita etiam super omnes occidit peccatores, nequaquam eis ortus sui lumen indulgens, præcipit nunc Apostolus, ne talia faciamus furore superati, per quæ nobis sol occidat, & principale cordis tenebris inuoluatur. Quidā putat sic accipiendū hoc esse simpliciter, quomodo & illud quarti Psalmi, unde & ipsum sumptum uidetur: **Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris cōpugimini, id est, quæcūq̃ in die uel opere uel sermone, uel cogitatione peccatis, hæc succedente poenitentia purgare per noctem, & ira sit breuis, nec in diem crastinum differatur.**

Amos. 6.

Psal. 4.

D. Nolite.

**C** Nolite locum dare diabolo.) Diabolus Græcum uerbum est *δίαβολος*, quod Latine dicitur criminator. Lingua uero Hæbraica *שטן* Satan appellatur, aduersarius siue contrarius, & ab Apostolo Belial, hoc est, abscq; iugo, quod de collo suo Dei abiecerit seruitutem, quem Aquila apostatam transiulit: Nolite itaq; aut, dare locum diabolo, id est, irascendo, uel quolibet alio modo peccando. Locus enim diaboli peccatū est. Diabolus enim tanq; Leo rugiens quærit aditum, per quem possit irrumpere, & cum locum dederimus ingreditur. Solet autem anteq; ueniat, quædam iacula præmittere, & præcursores aduentus sui facere cogitationē, hanc si nos in corde nostro suscepimur, & ipse intrate audebit.

Qui furabatur, iam non furetur.) Quia his qui in uitæ istius negocijs conuersantur, propter alimenta & usus necessarios coguntur aliqua uel emere uel uendere, & lucra de negociatione sectari, propterea nunc Ephesios monet, ne sub occasione emolumenti, furti crimen incurrant. Furtū nominans, omne quod alterius damno acquiritur. Potest autem & altius intelligi: Qui furabatur iam non furetur. Propter illud quod scriptum est, de pseudopropheta: Qui furatur sermones unusquisq; à proximo suo, & illud: Omnes, quotquot uenerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Hos prohibet furta facere spiritualia.

Magis autem laboret &c.) Neq; uero ait, magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut non indigeat, & habeat uictum, & nulli molestiam exhibeat, sed laboret, inquit, manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde foueat, cōmuniceat indigentibus. Qui igitur ad hoc tantum laborat, ut ipse non ægeat, & à cæteris cōtrahat manum, quam uis ad plaudat sibi, tamen Apostoli præcepta non fecit. Igitur operatur bonum, qui declinat à malo & facit bonum, & operatur in agro animæ suæ, ut spiritualibus panibus impleatur, & possit cōmōdari esurienti & necessitati sustinenti, dans in tempore cibaria conferuis suis.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. IX.

**D** Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit & uenit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et uidentem Iesus fidem illorū, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere surge & ambula? Vt sciatis autem, quoniam filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tūc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

**A** Ascendens Iesus in nauiculam, &c.) Marcus non hoc in ciuitate eius, quæ Nazareth uocatur, dicit factum, sed in Capharnaum, nisi forte poterit dici tota Galilæa ciuitas Christi, in quocunq; in ea oppido esset Christus. In Galilæa enim Nazareth & Capharnaum habentur. Siue ita legendū: Et ascendens in nauiculā, transfretauit, & uenit in ciuitatē suā, id est, Nazareth, & quid ibi gestū sit, Matthæus prætermisit. Mare quod Dominus transfretauit, seculum istud significat. Nauis uero, in quam ascendit, aliquoties corpus eius, aliquoties crucē, aliquoties uero animā sanctā specialiter uel generaliter totam significat Ecclesiam. Ciuitas uero sua, quæ Nazareth uocatur, ad quam misericorditer uenit, quæ munda siue custodia interpretatur, id est, ipsam generaliter totam significat Ecclesiam.

Et ecce offerunt &c.) Curatio paralytici huius animę post diuturnam illecebræ carnalis inertiā ad Christū suspirantis indicat saluationē, quæ primo omnī ministris, qui eam subleuant, & Christo adserant, id est, bonis operibus, doctoribus, qui spem sanationis operisq; intercessionis suggerant, indiget. Qui bene, Marco narrāte, quatuor fuisse repperiunt, siue quia quatuor Euangelij libris omnis prædicantiū uirtus, omnis sermo firmatur, seu quia quatuor sunt uirtutes, quibus ad promerendā sospitatem fiducia mentis erigitur, de quibus in æternæ sapientię dicitur laude, sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiā & uirtutē, quibus uirtus nihil est in uita hominibus. Quas nonnulli ueris nominibus prudentiam fortitudinem & iustitiam appellant.

Hier. 13.  
Iou. 10.

Figulus.

**A** Et uidentem fidem illorum dixit Paralytico.) Intuendū sane, quanti propria cuiusq; fides apud Deū ualeat, ubi tanti ualuit aliena, ut totus homo repente, hoc est, exterius interiusq; iam saluatus exurgeret, aliorumq; merito alijs relaxaretur errata. Non enim ait Euangelium: Videns Iesus fidem eius qui offerebatur, sed eorum qui offerebant.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.) O mira humilitas, despectum & Hiero. debilem totiq; membrorum cōpagium dissolutum filium uocat, quem sacerdotes non dignabantur adingere, aut certe ideo filiū, quia dimittuntur ei peccata sua. Iuxta tropologā interdum anima iacens in corpore sub totis membrorum uirtutibus dissolutis, à perfectō doctore offertur curanda Domino, quasi misericordia eius sanata fuerit tanta roboris accepit, ut portet statim lectum suum.

Curaturus hominem à Paralyti Dominus primo peccatorum uincula dissoluit, ut ostendat. Beda. ret eum obnoxij culpæ actum dissolutione fuisse damnatum, nec nisi his relaxatis, membrorum posse recuperatione sanari.

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphematur, uel secundum Marcū. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Verum dicunt Scribe, quia nemo dimittere peccata, nisi Deus potest, qui per eos quoq; dimittat, quibus dimittendi tribuit potestatem, & ideo Christus uerus Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest.

Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus uestris? Ostendit se Deum, qui potest cordis occulta cognoscere, & quodā modo tacens loquitur: Eadem maiestate & potentia, qua cogitationes uestræ intueor, possum & hominibus delicto dimittere, ex uobis intelligite, quid Paralyticus consequatur.

Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, ante dicere: Surge & ambula? Inter dicere & facere multa distantia est, utrū sint Paralytico peccata dimissa solus nouerat, qui dimittebat. Surge autem & ambula, tam ille, qui surgebat, quā hi, qui surgentem uidebant approbare poterāt. Fit igitur carnale signum, ut probeur spirituale, datur nobis intelligentia, propter peccata plerūq; euenire corporum debilitates. Quinq; enim sunt differentię causarum, pro quibus in hac uita molestijs corporalibus adflagamur.

**B** Aut enim ad merita augenda per patientiam iusti corporis infirmitate grauantur, ut beatus Iob & Tobias. Aut ad custodiam uirtutum præceptorum, ne superbia tentante dispareant sicut Apostolus Paulus, cui, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus est stimulus carnis. Aut ad intelligenda & corrigenda peccata nostra, sicut Paralyticus iste, de quo tractamus, qui nō nisi dimissis primo peccatis, potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriā Dei saluandis, siue per se ipsum, siue per famulos suos, sicut cæcus natus in Euangelio, sicut Lazarus, cuius infirmitas non fuit ad mortē, sed per gloriā Dei, ut glorificaretur filius Dei per eum. Aut ad inchoationem damnationis æternę, quod reproborum est, sicut Antiochus & Herodes, qui quod tormentorum in gehenna perpetua passuri essent, presentium afflictionū miseria cunctis ostendebat, quibus congruit illud Prophetę: Et duplici contritione contere eos, undē necesse est, ut in omnibus, quæ temporaliter aduersa patimur, cum humilitate, Domino gratias agamus, & infirmitatis nostrę conscij, de conlatis nobis remedijs gratulemur.

Vt sciatis autem, quoniam filius hominis, &c.) Idem ipse & Deus & filius hominis est, & ut homo Christus per diuinitatis suæ potentiā peccata possit, & idem Deus Christus per humanitatis suæ fragilitatem pro peccatoribus mori.

Tunc ait Paralytico: Surge, tolle lectum tuū, & uade in domū tuā, &c.) Spiritu uero de fragilitate surgere est, animam se à carnalibus desiderijs, ubi egra iacebat abstrahere. Grabatum uero tollere est ipsam quoq; carnem per continentię frēna correptā spe cœlestium præmiorū, à delictijs segregare terrenis. Sublato autem grabato domum ire ad Paradysum redire est, hæc enim uera est domus. Nam quæ hominem in prima suscepit, non iure ammissa, sed fraude tandem restituta, per eum qui fraudulento hosti nihil debuit. Aliter sanus qui languerat, domi reportat grabatum, cum anima remissione recepta peccatorum, ad internā sui custodiam, cum ipso se corpore refert, ne quid post uenit, unde iterū iuste feriatu admittat.

Videntes autem turbæ, timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem

D 3 potestatem

Hiero.

Beda.

2. Corin. 11.

Iou. 9.

Iou. 11.

potestatem talem hominibus.) Quam miranda diuine potentie uirtus, ubi nulla temporis interueniente morula, iussa saluatoris salus festina comitatur. Merito qui adfuerant damnationis blasphemie iaculis, ad laudem tantę maiestatis stupentia corda conuertunt.

HEBDOMADA XXI. POST PENTECOST.

Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. V.



**V**idete itaq; quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, propterea, nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quę sit uoluntas Dei. Et nolite inebriari uino, in quo est luxuria, sed impleamini spiritu sancto, loquentes uobismetipsis in Psalmis, Hymnis & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Gratias aę patri. Subiecti inuicem in timore Christi.

Hiero.

**V**idete itaq; quomodo caute ambuletis, nō quasi insipientes, sed ut, &c.) Recte Ephesius dicitur, ut caute ambulent, qui habebant exercitatos sensus ad discernendum bonum & malum & probantes omnia, id quod statuerant bonum esse retinebant. Qui autem uidet, quomodo ambulet, & quom caute figat gradum, ne forte offendant lapidem pedem suum, & dicit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum Domine, utiq; sapiens est.

Psal. 118.

Aug.

**R**edimentes tempus, quoniam dies mali sunt.) Redimere tēpus hoc est, quando aliquis tibi inferat litem, perde aliquid, ut Deo uoces nō litibus. Ex eo enim, quod perdes, pręcium est temporis. Quomodo ergo perdis nummos, id est, das alteri, ut emas aliquid, sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Antiquum enim Prouerbium est: Nummū querit pestilentia, duo illi da, & ducat se, quid aliud dixit Deus, quā redimentes tempus, quando ait: Si quis uult iudicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium, quoniam dies mali sunt. Dies malos duę res faciunt, malicia hominum & miseria. Cæterum dies isti quantum pertinet ad spatia horarum ordinati sunt. Ducunt uices, agunt tempora, oritur sol & occidit, transeunt tempora, & nulli molesta sunt, nisi sibi homines sint molesti. Ergo dies malos miseria & malitia hominum faciunt. Ex quo enim lapsus est Adam de Paradyso, nunq; fuerunt dies nisi mali. Nasuntur pueri, & a ploratu incipiunt, post nescio quod dies ridet. Quando plorabat Propheta suę calamitatis erat. Lachrymę enim testes miserie sunt. Quid enim Prophetabar in labore utiq; se futurum uel in timore, etiam si bene uixerit, & iustus fuerit in medijs positus tentationibus semper timebat. Ait enim Apostolus: Omnes qui uolunt in Christo pie uiuere, persecutionem patientur. Ecce quomodo dies mali sunt.

Greg.

Tempus quippe redimimus, quando actiuam uitā, quam lasciuendo perdidimus, flendo reparamus.

Hiero.

Tempus autē redimimus, quia dies mali sunt, quando in bono opere tempus consumimus, emimus & propriū facimus, quod malitia hominū uenditū fuerat. Nemo autē uitę huius quęrens necessaria, & de diuitijs & sollicitudinibus, quas Euangelium spinas nuncupat cogitās, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quoniam in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos uertimus, & facimus illos non presentis seculi, sed futuri.

Propterea nolite fieri imprudētes, sed intelligentes, quę sit uoluntas Dei.) In omni ergo opere primum considerandum, quid uelit Deus, & habito iudicio, id postea faciendum, quod illi placere fuerit comprobatum.

Nolite inebriari uino in quo est luxuria, sed impleamini spiritu.) Quomodo nos non possumus duobus Dominis seruire Deo & Mammonę, sic non possumus spiritu impleri pariter & uino. Qui enim spiritu impletur, habet prudentiam, mansuetudinem, uerecundiam, castitatem, qui uino, habet insipientiam, furorē, procacitatem, libidinem, hoc quippe estimo uno uerbo significare luxuriam. Potest autem uino, in quo est luxuria, & illud, de quo in cantico Mosi dicitur: Furor draconū uinū eorū, & furor aspidū insanabilis, q; omnia qui seculi istius cogitationes ebrii sunt, bibunt, & insanant & uomunt, & precipites corruunt.

Loquentes

**A** Loquentes uobismetipsis, psalmis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus uestris.) Qui se abstinerit ab ebrietate uini, in quo est luxuria & pro hoc spiritu fuerit impletus, iste omnia potest accipere spiritualiter. Psalmos, Hymnos & cantica in Psalterio plenissime discimus. Hymnos esse dicendum, qui fortitudinem & maiestatem prædicant Dei, & eiusdem semper uel beneficia uel facta mirantur, quod omnes Psalmi continent, quibus alleluia uel prępositum uel subiectum est. Psalmi autem proprię ad Ethicū locum pertinent, ut per organum corporis quid faciendum, & quid uitandum sit nouerimus. Qui uero de superioribus disputat, & conuentum mundi, omniumq; creaturarum ordinē atq; concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale canticum canit, uel certe, ut propter simpliciores manifestius eloquamur, Psalmus ad corpus, canticum refertur ad mentem. Et canere, igitur & psallere & laudare Dominū, magis animo quā uoce debemus, hoc est, quippe quod dicitur: Cantantes & psallentes in cordibus uestris Domino. Audiāt hæc adulescentuli, audiāt hi, quibus psallendū in Ecclesia officium est Deo, non uoce, sed corde cantandum in timore, in opere, in scientia scripturarum, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est, sic canet seruus Christi, ut non uox canentis, sed uerba placeant, quę leguntur.

Domino gratias agentes semper pro omnibus.) Dupliciter intuentū, ut & in omni tempore & pro omnibus, quę nobis accidunt Deo gratias referamus, ut non tantū pro his, quę bona putamus, sed etiam quę nos coarctant, & contra nostram ueniunt uoluntatem, in Dei præconium mens læta prorumpat, Christianorum propria uirtus est, etiam in his quę aduersa putantur, referre gratias creatori.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & patri.) Qui autē, sicut diximus, gratias agit Deo & patri, in mediatore Dei & hominū referat eas Christo Iesu, quia nisi per illum accedere non ualeamus ad patrem.

**B** Subiecti inuicem in timore Christi.) Et in alio loco: Per charitatem seruite inuicem. Audiant hæc Episcopi, audiant presbiteri, audiant omnes Orthodoxi, subiectis suis, se esse subiectos, & immitterentur dicentem Apostolum: Cū enim essem liber ex omnibus hominibus, meipsum seruū feci, ut omnes lucrifacerem. Sed hoc quod ait: In timore Christi, sic accipiendum, ut ipsa subiectio non propter hominum gloriam, sed propter timorem Christi fiat, dum illum timemus offendere.

EVANGELIUM MATTHAEI. CAP. XXII.



**I**oquebatur Iesus cum discipulis suis in parabolis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias, & nolēbant uenire. Iterū misit alios seruos dicēs: Dicite inuitatus: Ecce prandium meum parauit, tauri mei & altalia occisa sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negociationem suam. Reliqui uero tenuerunt seruos eius & contumelios affectos occiderunt. Rex autē cum audisset, iratus est & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tūc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratę sunt, sed qui inuitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis uocate ad nuptias. Et egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes, quos inuenērunt, bonos & malos, & implete sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autē Rex ut uideret discumbentes, & uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraisti nō habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tūc dixit Rex ministris: Ligatus pedibus eius & manibus mittite eū in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentū. Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

D 4 Loque-



**L**oquatur Iesus cum discipulis suis imparabilis, dicens: Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.)

**Grego.** Congregatio iustorum regni caelorum dicitur. Regni caelorum Ecclesia est iustorum, quia electorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad superna suspirant, iam in eis Dominus, quasi in caelestibus regnat.

**Hiero.** Rex iste qui fecit nuptias filio suo Deus omnipotens est, fecit autem nuptias Domino nostro Iesu Christo & Ecclesiae, quae tam ex Iudaeis, quam ex gentibus congregata est.

**Gregor.** In hoc pater Regi filio nuptias facit, quo ei per incarnationem mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Verus autem genericus uirginis huius sponsus thalamus fuit, unde Psalmista ait: Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Tanquam sponsus quippe de thalamo processit, qui ad coniungendam sibi Ecclesiam incarnatus Deus de incorrupto utero uirginis exiuit.

**Hiero.** Ermitis seruos suos, uocare inuitatos ad nuptias, & nolabant uenire. Misit ergo seruos, ut ad istas nuptias amicos inuiterent, misit semel, misit iterum, quia incarnationis dominicae praedicatores, & prius Prophetas, & postmodum Apostolos. Bis itaque seruos ad inuitandum misit, quia incarnationem unigeniti, & per Prophetas dixit futuram, & per Apostolos nuntiavit factam.

Misitque seruum suum inuitatos uocare ad nuptias, haud dubium, quin Moysen, per quem legem inuitatis dedit. Si autem seruos legerimus, ut plerumque habent exemplaria, ad Prophetas referendum est, quod inuitati per eos uenire contempserunt.

Iterum misit alios seruos suos, dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium meum paratum, tauri mei & altitia occisa, & omnia parata, uenite ad nuptias, illi autem neglexerunt. Prandium paratum, & tauri & altitia occisa, uel per metaphoram opes regiae intelligatur spiritualis, uel certe dogmatum magnitudo & doctrina Dei lege plenissima sentire potest.

**Gregor.** Quid in tauris uel altilibus, fratres charissimi, nisi Noui ac Veteris Testamenti patres accipimus. Quid ergo per tauros, nisi patres Testamenti Veteris significantur, nam dum ex promissione legis acciperent, quatenus aduersarios suos odij retributione percuterent, ut ita dicam, quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos uirtutis corporae cornu feriebant. Quid uero per altitia, nisi patres Testamenti Noui figurantur, qui dum gratia pinguedinis internae percipiunt, a terrenis desiderijs mente ad sublimia, contemplationis suae pinna subleuantur. Tauri mei & altitia occisa sunt & omnia parata, ac si apertius dicatur: Patrum praecedentium mortes aspiciate, & remedia uitae uestrae cogitate.

Erabunt, alius in uillam suam, alius uero ad negotiationem. In uilla ire est labori terreno immoderate incumbere, in negotiationem uero ire, est actione secularium lucris inhare. Quia enim alius intentus labori terreno, alius uero mundi huius actionibus deditus, mysterium incarnationis dominicae pensare, & secundum illud uiuere dissimulat, quasi ad uillam uel negotium pergens, uenire ad regis nuptias recusat, & plerumque quod est grauius nonnulli uocantis gratiam non solum respuunt, sed etiam persequuntur unde & subditur.

Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelios affectos occiderunt. Inter eos qui non recipiunt Euangelij ueritatem, multa diuersitas est, minoris enim criminis sunt qui occupati alijs rebus uenire noluerunt, his qui contempto inuitantis affectu uerterunt humanitatem in crudelitatem, & tentos seruos regis, uel contumelios adfecerunt, uel occiderunt.

Rex autem, cum audisset iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Exercitus seu ultores angulos, de quibus in Psalmis scribitur. Immissionem per angelos malos, seu Romanos intelligamus, sub duce Vespassiano & Tito, qui occisis Iudaeae populis, preuaricatricem succenderunt ciuitatem.

Homicidas perdidit, quia persequentes interimunt, ciuitatem eorum igne succendit, quia illorum non solum animae, sed caro quoque in quo habitauerunt aeternae gehennae flamma cruciatur. Missis uero exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in omnibus omne iudicium per angelos exhibetur.

Tunc ait seruis, nuptiae quidem paratae sunt, &c. Si in scriptura uias actiones accipimus, exitus uiarum intelligimus defectus actionum, quia illi plerumque facile ad Deum ueniunt, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur.

Egressi

**Egressi serui eius in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, &c.)**

**A** Gentium populus non erat in uis, sed in exitibus uiarum. Queritur autem, quomodo in his qui foris erant inter malos, & boni aliqui sunt reperti. Hunc locum plenius tractat Apostolus ad Romanos, quod gentes naturaliter facientes ea quae legis sunt, condemnent Iudaeos, qui scriptam legem non fecerint. Inter ipsos quoque ethnicos est infinita diuersitas, cum sciamus alios esse procliuos ad uicia, & ruentes ad mala, alios ob honestatem morum uirtutibus deditos.

Ecce iam ipsa qualitate conuiuiantium aperte ostenditur, quia per has regis nuptias praesens Ecclesia Dei designatur, in qua cum bonis & mali conueniunt. Permixta quippe est diuersitate filiorum. Boni enim soli nusquam sunt, nisi in caelo, & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Haec autem uita, quae inter caelum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium ciues communiter recipit.

**Intrauit autem rex, ut uideret discumbentes & uidit ibi hominem, &c.)**

Quid ergo debemus intelligere nuptialem uestem, nisi charitatem. Intrauit enim ad nuptias, sed cum nuptiali ueste non intrauit, qui in sancta Ecclesia adfuit fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis uestis uocatur, quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad sociandam sibi Ecclesiae nuptias uenit. Sola quippe dilectione Dei factum est, ut eius unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde Paulus dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem uenit ad homines, eandem charitatem innoctuit uestem esse nuptialem. Nos sumus fratres, qui in nuptijs uerbi discumbimus, qui iam in Ecclesia habemus, qui scripturae sacrae epulis pascimur, qui coniuncti Deo Ecclesiam esse gaudemus. Ecce rex ad nuptias ingreditur, & cordis nostri habitum contemplantur, atque ei quem charitate uestitum non inuenit, proinus iratus dicit: Amice, quomodo huc intraisti, non habens uestem nuptialem? Mirandum ualde est, fratres charissimi, quod hunc & amicam uocat & reprobam. Ac si ei apertius dicat, amice & non amice. Amice per fidem & non amice per operationem. Hi qui inuitati fuerant ad nuptias de sepibus & angulis & plateis, & diuersis locis caenam regis impleuerant, sed postea cum uenisset rex, ut uideret discumbentes in conuiuio suo, hoc est, in sua quasi fide requiescentes, ut in diem iudicij uisitarer conuiuas, & discerneret merita singulorum, inuenit unum qui ueste indutus non erat nuptiali, unus iste omnes qui sociati sunt malicia intelliguntur, uestis autem nuptialis praecipua sunt Domini, & opera quae complentur ex lege & Euangelio, notique hominis efficiunt uestimentum. Si quis igitur in tempore iudicij inuentus fuerit sub nomine Christiano, non habere uestem nuptialem, hoc est, uestem supercaelestis hominis, sed uestem pollutam, id est, ueteris hominis excubias, hic statim corripitur, & dicitur ei: Amice, quomodo huc intraisti? Amicum uocat, quod inuitatus ad nuptias est, arguit impudentiae, quod ueste fordidam mundicias polluerit nuptiales.

At ille obmutuit. In tempore enim illo non erit locus impudentiae, nec negandi factus, cum omnes anguli & mundus ipse testis sit peccatorum.

Quia, quod dici sine gemitu non potest, in illa districti iudicij ultimum increpationis omne argumentum cessat excusationis, quippe quia ille foris increpat, qui testes conscientiae intus animum accusat.

**Tunc dixit Rex, &c.)** Ligantur tunc pedes & manus per distractionem sententiae, qui modo a prauis operibus ligari noluerunt per meliorationem uitae, uel certe tunc ligat poena, quos modo a bonis operibus ligat culpa. Pedes enim qui uisitare egrum neglegunt, manusque nihil indigentibus tribuunt, a bono opere iam ex uoluntate ligati sunt. Qui ergo nunc sponte ligantur in uitio, tunc in supplicio ligantur inuiti.

Mittite eum. Interiores quippe tenebras dicimus cecitatem cordis, exteriores uero tenebras aeternam noctem damnationis. Tunc ergo damnatus quisque non in interiores sed in exteriores tenebras mittitur, quia illic inuitus projicitur in noctem damnationis, qui hic sponte cecidit in cecitate cordis. Vbi fletus quoque & stridor dentium esse perhibetur, ut illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant. Illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias uersabantur, quatenus singula quaeque membra supplicio subiaceant, quae hic singulis quibusque uicijs subiecta seruiebant. In fletu quoque oculorum & stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium magnitudo ostendit tormentorum.

Multi enim sunt uocati, pauci uero electi. Paucos dicit iustos, in comparatione multorum iniquorum. Esse autem per semetipsos consideratos in magno numero, diffuso toto orbis terrarum, proficente inter zizania, & cum palea usque ad diem messis & uentilationis, nam in comparatione paleae possunt pauca grana dici, quae tamen per se ipsa in massam redacta implent dominicum horreum.

Ecce

Greg.  
C.

Ecce nos omnes iam uocati per fidē, ad cœlestis regis nuptias uenimus, qui incarnationis eius misterium & credimus, & confitemur, diuini uerbi epulas sumimus. Quod uocati sumus noui mus, si fumus electi, nescimus. Tāto ergo necesse est, ut unusquisq; nostrum humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat.

## HEBDO. XXII. POST PENTECOST.

ad Ephesios. Cap. VI.



**D**ecetero confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius: Induite uos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli: Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiae in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in ueritate, & in dutiloricam iustitiae, & calciati pedes in preparationem Euangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est uerbum Dei.

Hiero.

**D**ecetero confortamini in Domino, & in potentia uirtutis eius.) Quod igitur ait: Confortamini in Domino, & in potentiam uirtutis eius, totum sentitur in Christo, ut in omnibus uirtutibus quae super eo intelliguntur. Qui crediderint confortentur. Et prudenter post specialia mandata, quid uiris & uxoribus, patribus & filiis, dominis & seruis obseruandum sit, nunc generaliter omnibus in comune praecipit in Domino, & in eius potentia confortati praeparant se aduersum diabolum.

**D** Induite uos armaturam Dei, ut possitis resistere aduersus insidias diaboli.)

Ex his quae infra legimus, & hic quae in scripturis omnibus de Domino saluatore dicuntur, manifestissime comprobatur, omnia arma Dei, quibus nunc indui iubemur in illi saluatore, ut unum atq; idē sit dixisse: Induite uos omnia arma Dei, quasi dixerit: Induite Dominum Iesum Christum. Si enim cingulum ueritas est, & lorica iustitia est, saluator autem & ueritas & iustitia nominatur, nulli dubium quin ipse & cingulum sit & lorica. Quae autem alia arma Dei possumus estimare, quibus induendus est, qui habet aduersum diabolum dimicare uersutias, excepta uirtute quae Christus est, hunc enim qui iuxta omnia quae super eo intelligunt fuerit indutus, potens erit contra uniuersas insidias diaboli repugnare. Diabolus autē nomen Graecū est, quod interpretatur criminator, iuxta Hebraei uero sermonis proprietatem, quia & tribus Zabulon quandam similitudinem huius uocabuli habet. κατὰ νόον, id est, deorsum fluens dici potest, quod scilicet paulatim de uirtute ad uitium fluxerit & de cœlestibus ad terrena corruerit.

Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, &c.)

Aestimo quippe aduersus carnem & sanguinē esse carmina, quando caro concupiscit aduersus spiritum, & prouocat nos facere opera sua, fornicationem & imunditiam, luxuriam & reliqua his similia. Porro non est humana tentatio, nec aduersus carnem & sanguinē pugna, quando aut ipse Satanus transfiguratus in angelum lucis, persuadere nititur, ut eū Angelum luminis arbitremur, aut aliquid horum simile facit, in omni uirtute, signis & portentis mendatibus, in omni deceptione iniquitatis, sed quasi principatus, potestas, rector tenebrarum & nequitia spiritalis dicat quispiam hoc, quod ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē, sed aduersus principatus & potestates, & caetera quae sequuntur. Ideo dicit, ut doceamur ne ea quidem quae nobis ministrari uitia putamus, ex carne carnis esse uel sanguinis. Sed à quibusdam spiritalibus nequitijs suggeri. Sūt enim quidam demones amoribus & amatorijs canticis seruiētes, & propheta quoq; commemorat dicens: Spiritu fornicationis seducti sunt. Alij uero iracundias & furores & bella committere, alij praesse inimicitijs, & inter homines odia concitare. Quia uult ergo, aiunt, Apostolus nos docere, nō ex natura corporis & materia carnis & sanguinis, haec uitiorum genera procreari, sed instinctu demonum, propterea ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, & rel. Sed aduersus

**A** sus rectores earum tenebrarum, quae huic mundo incubant, & errorem hominibus incredulitatis offundūt, & aduersum spiritalia nequitiae, quae habitant in cœlestibus: Non quod demones in cœlestibus cūmorentur, sed quo supra nos aer hoc nomen acceperit, unde & aues quae uolitant per aerem, uolucres coeli esse dicuntur, haec autē omniū doctorū opinio est, quod aer iste qui coelum & terram medijs diuidens inane appellatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus:

Non aduersus carnem & sanguinem est nobis colluctatio, id est, aduersus hominem, sed aduersus principatus & potestates, id est, demones, qui sunt spiritalia nequitiae, aduersus rectores mundi. Exponit quid sit mundus, cuius sunt illi rectores, cum dicit: Rectores mundi tenebrarum harū dilectoribus suis & infidelibus plenus est mundus, hos appellat Apostolus tenebras, horū rectores diabolus est & angeli eius, haec tenebrae nō sunt incōmūrabiles, sed aliquādo mutantur, & lux efficiuntur, & dicitur eis: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.

Item caro & sanguis homo dicitur, sed aduersus principes & potestates, qui sibi principatus in huius mundi homines usurparunt. Et qui ignorantes animas per peccata seducūt aduersum mundi rectores tenebrarum harum. Fuistis enim tenebrae, nunc autem lux in Domino, contra spiritalia hostes, spiritalia arma sumenda sunt, ut dissimilitudo naturae armorum fortitudine protegatur, aduersum quos nobis est colluctatio in cœlestibus, id est, pro cœlestium promissione praemiorum. Adhuc propter hoc quod ait in cœlestibus: Quia uidetur ambiguum, dicendum subaudiri posse, illud ad omnia ut sit, non est nobis colluctatio aduersus potestates in cœlestibus & rectores tenebrarum istarum in cœlestibus, & spiritalia nequitiae in cœlestibus. Sciamus autem, quod excepto praesenti loco, nec in Veteri nec in Nouo Testamento mūdi rectores unq; legerimus, quod nomen idcirco Paulus Apostolus finxit, quae necesse habebat ad Ephesios disputans de rebus nouis & inuisibilibus, noua nomina coaptare.

**Propterea accipite &c.)** Simpliciter Ephesios ad futuras tentationes & persecutiones, quas eis Paulus Apostolus post hanc Epistolam prophetiae uidebat spiritu prouenire coartatur, & monet ut omnia faciant, per quae possint in fide stare Euangelij, nec in persecutione corruere. Diem malum, praesens autem tempus ostendit, de quo supra dixerat: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, propter angustiam & uitae huius labores, quia non absq; sudore & certamine perueniamus ad palmam, aut certe consummationes atq; iudicij, de quo Iohel: *Ioh. 2* Prope est dies tenebrarū & turbis, dies nebulae & caliginis, & rel. Ut igitur possit quis in hac die diabolo resistere, quia ipse est accusator fratrum nostrorum, assumat omnia arma Dei, hoc enim sonat *ἰσχυρὰ*, non ut in Latino simpliciter arma translata sunt, & omnibus telis armisq; succinctus, de quibus in sequentibus explicatur: Sciat tunc se stare posse, si uniuersa fuerit operatus, ut plenus cunctis uirtutibus stabilem figat gradum, & nō moueatur de acie.

**State ergo succincti lumbos uestros in ueritate.)** Perfecti estote lumbos mētis accincti, hoc est, in omni praelio uiriliter praeparati, & ab omnibus curis seculi expediti: Quod iuxta membra carnis & corporis omnia membra animae in scripturis uocentur nulli dubium est, de quibus unum puto esse, nūc membrū lumbos, quos ut accingimus à ueritate praecipitur: Sint lumbi uestri praecincti & lucernae ardentes, hoc idē reor & illud significare, quod Iohannes zonam pelliceam habebat circum lumbos suos, & non erat de immundis, qui propter fluxum seminis extra castra proiecti, cum archa Domini habitare non possunt, & secundum id quidem quod ueritate praecinctus est, id est Christo, non facile ad falsitatis dogmata deducetur.

**Induite lorica iustitiae.)** Sicut lorica multis circulis intexit, sic & iustitia diuersis uirtutibus connectitur speciebus, in unitate non solum pectoris conscientia, sed & uentris continentia, nec non ad femora usq; pertingit libidinem cohercendam.

Qui enim circumdatur multiplici ueritate iustitiae, nec ad similitudinem cerui in secur accipit sagittam, nec in desideria corruit, & furores, sed erit mundo corde habens artificem huius loricae Deum, qui unicuiq; sanctorum omnia arma fabricatur.

**Et calciati pedes &c.)** Diligentius obseruate, quod uirtutem quandam animae appellauerit pedes, quibus ingredimur, in eo qui dicit: Ego sum uia. Et de quibus canimus: Dirige domine pedes nostros in uia pacis, quos oportet calciare praeparatione Euangelij pacis. Qui igitur habet pacē, calciatus est Christi Euangelio, & idcirco homo pacisfactus est, & ne bellum aliquid, & tumultuosum agit, ne cum his qui in praeparati sunt, condemnabitur.

**In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela, &c.)** Quasi dixerit in omni opere portate clypeum fidei, ut possitis recti atque muniti

August.

Primas.

August.

Ioh. 2

Primas.

Hiero.

Luc. 12.

Leuit. 15.

Num. 8.

Primas.

Hiero.

Ioh. 14.

exc.

**C** excipere uenientes sagittas, & huc atq; illuc arte eas bellica declinare, perspicua autem fuit facta maligni, quæ uult mittere in corda nostra per cogitationes pessimas, de quibus unum iecit in cor Iudæ, ut traderet saluatorem. Itaq; uel principium quidem habere poterit inimicus uulnerandi, si tenuerimus scutum fidei, in quo non solum uenientium tela non franguntur, sed etiam telorum ipse ignis extinguitur, infidelitas quoq; inimica est fidei, ubi scutum est fidei, nihil ualebit.

Et galeam salutis assumite.) Propter hanc galeam salutarem omnes in capite nostro sensus integri perseverant. Si enim caput uiri Christus est, sequit̄ omnis noster sensus, mens cogitatio, sermo, consilium, si tamen sapientes fuerimus in Christo sint. Caput etiam, quod est principale cordis, in quo sensus omnes locati sunt, salutis galea circumdatum non quassabitur.

**Primaf.** Et gladium spiritus, quod est uerbum Dei.) Nemo militum audet ad bellum sine gladio proficisci, se enim utcumq; tueri potest, sed hostem non ualet occidere, sicut non nisi etiam ab audaci inimico omnibus armis spoliatur, perimitur, ita sine Dei uerbo iustitia omnis intuta est. Fidelis quasi uir bellator & fortis, omnes sectas contrarias ueritati concideret, interficiet, iugulabit. Gladium spiritus, id est, uerbum Dei manu tenens saluator & ueritas & iustitia nominatur. Nulli dubium, quin ipse & cingulum sit & lorica, & preparatio Euangelij pacis & securi fidei & galea salutaris & gladium spiritus, quod est uerbum Dei, & uiuens sermo, & efficax, de quo Apostolus ait: Uiuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipit̄, pertingens, usq; ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagumq; & medullarum & discretor cogitationum cordis, & non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.

## EVANGELIUM IOANNIS. CAP. III.

**D** Rat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Iesus: Vade filius tuus uiuit. Credit homo sermoni quem dixit ei Iesus & ibat. Iam autem eo descendente serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes: Quia filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora esset, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus uiuit, & credidit ipse, & domus eius tota.

Grego.

Rat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.) Regulus diminutiui nomen est à Rege, & ideo forsitan regulus dicitur iste, qui salutem poposcit filio suo, quia plenam non habuit fidem. Capharnaum autem ager uel uilla pulcherrima interpretatur.

Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius. Incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis.)

Quare ergo dicit: Nisi signa & prodigia uideritis non creditis, cum ille ante credit quam signum uideret. Qui enim salutem querebat filio, proculdubio credebat, sed memento te quid petiit, & aperte cognoscetis, quia in fide dubitauit, poposcit namq; ut descenderet & sanaret filium eius. Corporalem ergo presentiam Domini querebat, qui per spiritum, nusquam deerat, minus in illo credidit, quem non putauit posse salutem dare, nisi præsens esset corpore. Si enim perfecte credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus. Salutem itaq; filio petiit, & tamen in fide dubitauit, quia eum ad quem uenerat, & potentem ad curandum credit, & tamen moriente filio esse absentem putauit Deum.

Dicit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus, &c.)  
Qua

**A** Qua in re hoc est nobis solerter intuendum, quod sicut alio Euangelista testate didicimus, Centurio uenit ad Deum, dicens: Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur. Cui à Iesu protinus respondetur: Ego ueniam & curabo eum. Quid est quod Regulus rogat, ut ad eius filium ueniat, & tamen corporaliter ire recusat? Ad seruum uero Centurionis non inuitatur, & tamen se corporaliter ire pollicetur, Reguli filio per corporalem presentiam non dignatur adesse, Centurionis uero seruum non designatur occurrere, quid est hoc, nisi quod superbia nostra recunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & diuitias ueneramur. Redemptor uero noster ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, sanctis despicienda sunt, & quæ despecta sunt hominum, despicienda non sunt. Ad filium Reguli ire noluit, ad seruum autem Centurionis ire paratus fuit.

Credidit homo sermonem, quem dixit ei Iesus, & ibat.) Incipiebat enim fidem habere in sermone Iesu, & qui ex parte dubius uenit, fidelis recessit, & ideo sanitatem filij meruit.

Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, dicentes: Quia filius eius uiueret, interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat, & dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.) Septenarius numerus sanctificatus est in donis sancti spiritus, in quo sanitas omnibus credentibus dat, constat. Quia in sancto spiritu, qui est donum Dei, remissio est omnium peccatorum credentibus. Septenarius usq; numerus si diuiditur in tria & quatuor, sanctam trinitatem significat. In trinario numero, & omnium creaturarum perfectionem, in quaternario propter quatuor elementa plenaria, & quatuor plagas mundi, & quatuor anni tempora, quæ omnia ex ipso & per ipsum & in ipso creata sunt, constant & gubernantur, quoniam in ipso uiuimus, mouemur & sumus.

Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei: Filius tuus uiuit, & credidit ipse, & domus eius tota.) Quia nunciatus est ei filius sanus, ad solum ergo sermonem crediderunt plures Samaritani, ad illud autem miraculum, sola domus illa credidit, quæ res protendit in multitudinem fidem Gentium, & in paucitate fidei Iudæorum. Gentes uero solo sermone, id est, prædicatione Apostolica crediderunt, Iudæi uero signa uiderunt ipsum Dei filium facientem, & tamen pauci crediderunt ex eis.

## HEBDO. XXIII. POST PENTECOST.

Epistola ad Philipenses Cap. I.

**C**onfidimus in Domino Iesu, quia qui cepit in uobis opus bonum, ipse perficiet, usq; in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis, eo quod habeam uos in corde & in uinculis meis. Et in defensione & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei omnes uos esse. Testis enim mihi est Deus. Quomodo cupiã uos omnes in uisceribus Iesu Christi. Et hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet in scientia & in omni sensu. Ut probetis potiora, & sitis sinceræ, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ, per Iesum Christum in gloriam & laudem Dei.

Confidimus in Domino Iesu, quia qui cepit in uobis opus bonum ipse perficiet.) Ac si diceret: Confidendo in petrare ceptam doctrinam, siue gratiam scientiæ largiendo consummari in uobis.

Usq; in diem Christi.) Id est, usq; in diem, quo de corpore recedatis, ex quo iam ad Domini uniusquisq; referuetur aduentum siue usq; in diem Christi, id est, usq; in diem iudicij.

Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis.) Ac si diceret: Charitas me hæc sentire facit pro uobis, quod perficietis opus quod cepistis usque in diem, siue mortis, siue iudicij, quia charitas omnia sperat.

E Eo

**C** Eo quod habeam uos in corde & in uinculis meis.) Ac si diceret: Tantū uos diligo, ut mihi memoriam uestri nec uis tribulationis, nec sollicitudo defensionis auferat.

Et in defensione & confirmatione Euangelij.) Confirmatio Euangelij est cōtrans tollerantia prædicantis.

Socios gaudij mei omnes uos esse.) Ac si diceret: Hoc sentio de uobis & credo, quia sicut meæ tribulationis socii estis, ita eritis & gaudij sempiterni. Siue, siue scio uos Euangelio credidisse, ut etiam in tribulationibus meis, & eius defensione mecum pariter gaudeatis.

Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes uos in uisceribus Iesu Christi.) Ac si diceret: Ita uos desidero, tanquā uiscera Christi, siue cupiam uos eius inesse uisceribus.

Et hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet in scientia, & omni sensu.) Notandum, quia scientibus maiorem scientiam adhuc depræcetur, ut synceri in omnibus esse præualeant, siue in scientia & sensu, id est, in intelligentia literæ & spiritali mysterio.

Ut probetis potiora, &c.) Sinceritas materia est, quæ naturam suam seruat, & nulla extrinsecus corruptioe fucata, & semper in melius proficit, non in peius. Siue synceros, id est, non reddentes malum pro malo, siue offensionem per malum exemplum.

Repleti fructu iustitiæ per Iesum, &c.) Id est, ut non solum synceri ab omni corruptione sitis, sed etiam fructu iustitiæ abundetis, exemplo Christi, qui non solum maliciam non habet, sed etiam bonitate redundat. Quod autem dicit: In gloriam & laudem Dei, ac si dicat: Ut glorioretur & laudetur Deus in actibus uestris, siue sit gloria in operibus, & laus in sermonibus uestris.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XVIII.

**D** Imile est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat decem milia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum Dominus eius uenundari & uxorem & filios & omnia quæ habebat & reddi. Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddā tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi. Egressus autem seruus ille inuenit unum de cōseruis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt ualde. Et uenerunt & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tūc uocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui? Sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quo ad usq; redderet uniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remisistis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris.

Auguſt. Imile est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis.) Quod oblatuſ est debitor Domino decem milium talentorum, & iussit eum uenundari, & uxorem eius, & filios & omnia quæ habebat & reddi, intelligendum est decem præceptorum legis eum fuisse debitorem, & pro cupiditate atq; operibus suis, tanquā uxores

**A** uxore & filios pœnas soluere debuisset, quod est præcium eius. Præcium enim uendit, supplicium damnati intelligitur. Quod dixit: Noluit ignoscere cōseruo suo, sed abijt & misit eum in carcerem, &c., intelligendum: tenuit contra eum hunc animum, ut supplicia illi uellet. Conseruus aut, qui narrauerūt Domino, quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ & illū soluit, & illū ligat.

Præcepit itaq; Petro sub comparatione Regis & Domini & serui, qui debebat decem milia talentorum, à Domino rogās ueniam imperauerat, ut ipse quoq; dimittat conseruis suis minora peccantibus. Si enim ille Rex & Dominus seruo debitori decem milia talentorū tā facile dimisit, quanto magis serui conseruis suis debent minora dimittere? Quod ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo. Si quis nostrū commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, maiora crimina, decem milium talentorū, rogantibus dimittant ei, ut & ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factum contumeliam simus implacabiles, & propter amariuſ uerbum perperes habeamus discordias, nonne nobis uidemur recte redigendi in carcerem, & sub exemplo operis nostri hōc agere, ut maiorum nobis delictorum uenia non relaxetur?

## ITEM AVGVSTINVS.

**I**nterrogauit Petrus Magistrum, quoties ignoscere fratri, qui in illū peccasset, & quæsit, utrum sufficeret usq; septies. Respondit illi Dominus: Non solum septies, sed usq; septuagies septies, deinde narrauit similitudinem ualde terribilem: Quia simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui posuit rationem cum seruis suis, in quibus inuenit debitorem decem milium talentorum. Omnis homo & debitor est, & debitorem habet. Debitor est Dei, & debitore habet fratrem suum. Quis est enim, qui non sit debitor Dei? nisi, in quo nullum possit inueniri peccatum. Quis est autem qui non habeat debitorem fratrem suū, nisi in quem nemo peccauit? Debitor est ergo omnis homo habens debitorem, & Deus iustus constituit regulam in debito re tuo, quod facit & ipse cum suo. Duo ergo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter ipse Dominus posuit quodam loco in Euangelio: Dimittite & dimittetur uobis: Date & dabitur uobis, ad præstandum beneficium, uel elemosinam pertinet. Ignosci uobis uultis, ignoscite: Remittite & remittet uobis: Accipere uultis, date, & dabit uobis. Sed hoc potest mouere, quod & Petrus mouit: Quoties debeo inquit, ignoscere, sufficit usq; septies? Nō sufficit, ait Dñs: nō dico septies, sed usq; septuagies septies. Iā tu enumera quoties in te peccauerit frater tuus, si potueris uenire usq; ad uigesimā & septuagesimā octauā culpam, ut trāseas 490. Tunc molire uindictā. Ita ne uerum est, quod dicit, & uere ita se habet, ut si peccauerit, 490. ignoscas. Si autem peccauerit 460. iam liceat tibi non ignoscere. Audeo dicere: Et si. 490. peccauerit, ignosce: Et si centies peccauerit, ignosce. Et quid dicam toties, & toties, omnino quoties peccauerit ignosce. Nō enim sine causa Dominus. 490. dixit, cum omnino nulla culpa sit, quam non debeamus ignoscere. Ecce ille ipse seruus, cuius debiti inuentus est debitor: decem talentorum debebat puto, quia decem talentorum, ut parum sit, decem peccatorum sunt. Nolo enim dicere unum talentū, quod peccata concludat. Seruus autem ille quantum debebat: centum denarios debebat. Jam plus est quàm. 490. & tamen iratus est Dominus, quia ei non dimisit. Non solum enim cētum plus sunt quàm. 490. sed cētum denarij forte, 1000. asses sunt. Sed quid ad decē talentorū? At per hoc omnes culpas, quæ in nos cōmittunt parati sumus ignoscere, si nobis desyderamus ignosci. Quotidie nos prosternimur & dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ debita? omnia, an aliquam partem? respōdebimus omnia. Sic ergo & tu debitori tuo. Hanc ergo regulam ponis, hac conditione loqueris, hoc pacto & placito cum Deo obligaris. Quid ergo sibi uult. 490. Audite fratres magnum mysterium, mirabile sacramentum. Matthæus cœpit ab Abraham, & peruenit usq; ad Ioseph descendendo. Lucas autem ascendendo cœpit numerare, cur ille descendendo ille ascendendo? Matthæus generationē Christi commēdabat, qua descendit ad nos, ideo quādo natus est Christus, cœpit numerare descendens. Lucas autem, quia tunc cœpit numerare, quando baptizatus est Christus. Vbi est iniciū ascensionis, ascendendo numerare cœpit. Numerando autem compleuit generationes 77. à quo numerabat, intrēdit hodie à quo exortus est numerare, usq; ad ipsum Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit, peruenit usq; ad Adam, & numerant generationes lxxvij. A Christo usq; ad Adam lxxvij, ab Adam usq; ad Christum lxxvij. Si ergo nulla generatio præmissa est, nulla culpa præterita, ubi non debeat ignosci. Nam ideo ipse lxxvij. generatio enumerauit, quem numerū Dominus in peccatorū remissionē cōmendauit, quoniam à baptismo cœpit numerare, ubi omnia peccata soluunt, deinde paulo diligentius interrogat ipsius numeri secretū, latebraſq; eius inquire, pulsa diligentius, ut aperiat tibi iustitia quæ

**C** lege constat. Lex in decem præceptis cõmendatur, ideo ille debitor decẽ talẽtorũ, ipse est ille memorabilis decalogus scriptus digito Dei, qui traditus populo per Moſen famulum Dei. Debitor ergo ille decem talentorum omnia peccata ſignificat, propter numerũ legis. Debebat & ille decem denarios, non abhorret ab eodem numero. Nam & centies centũ decem milia, & decies deni centum, & ille decem talentorũ, & ille decies decem. Legitimo ergo numero non recessum eſt, in quo utroq; inuenies utraq; peccata, uterq; debitor, & uterq; ueniẽ deplorator & impetrator, ſed ille ſeruus malus, ſeruus ingratus, iniquus noluit repẽdere quod accepit, noluit preſtare quod illi indigno preſtitum ſuit. Videte ergo fratres, quiſquis incipit à baptiſmo, liber exit, remiſſa ſunt illi decem talentorum, cum exierit & inuenierit conſeruum ſuum debitorem, obſeruet ergo ipſum peccatum, quod quia bene puto ſignificet numerus undenarius. Lex enim denarius, peccatum undenarius. Lex per decem, peccatum per undecim. Quare peccatum per undecim? Quia tranſgreſſio denarij eſt, ut uenias ad undenariũ. In Lege autẽ modus fixus eſt, tranſgreſſus es, peccaſti. Iam ubi tranſgredieris denariũ, ad undenariũ uenis. Ideo magnum myſterium, quando iuſſum eſt tabernaculũ fabricari, multa ibi numeroſa dicta ſunt in magno ſacramẽto, inter cetera, uel ex cilicina iuſſa ſunt fieri, non decem ſed undecim, quia per cilicium offenditur conſeſſio peccatorum. Prouocatus Apoſtolus Petrus interrogat, quoties fratri in ſe peccanti dimittere debeat, & cum interrogatione proferit ſententiam: Vt ſepties, cui reſpõdit Dominus: Non uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties, id eſt, quadringentis nonaginta uicibus, ut toties peccanti fratri dimittere, & in die quoties ille peccare poſſet.

Hierõ.

Auguſt.

Quod autem amplius queris, uis noſſe omnia peccata cõtineri numero iſto. Lxxvij. omnia ergo peccata dixit, quando .77. dixit: quia illud .xi. duẽ ſepties ſiunt, id eſt, ubi ſignificat peccatum duẽ ſepties ſiunt. Lxxvij. Omnia ergo peccata dimitti uoluĩt, qui ea ſeptuagieſimo ſeptimo numero præſignauit. Nemo contra ſe teneat non ignoſcendo, ne contra illum teneatur, quando orat, dicit enim ille Deus: Dimittite & dimitte uobis. Sed ego prior dimiſi, dimitte, & tu uel poſtea, nam ſi non dimiſeris reuocabo te, & quicquid tibi dimiſeram replicabo tibi. Nõ enim mentitur ueritas, non enim fallit, aut fallitur Chriſtus, qui ſubiecit, & ait: Sic & uobis faciet pater ueſter, qui eſt in cœlis. Inueniſti patrẽ, imitare patrẽ. Si enim imitari nõ uis, exheredaberis. Faciet ergo iſta uobis ait, pater ueſter cœleſtis, ſi nõ remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus ueſtris. Ne dicas in lingua: Ignosco, & corde differas ſupplicium minãdo uindictã, nouit Deus, ubi dicas, uocẽ tuam, homo, audit, conſcientiã tuam Deus inſpicit. Si dices: Dimitto, dimitte. Melius clamas ore, & dimittes in corde, quã blandiaris ore crudelis corde. Iam ergo obſeruat pueri indisciplinati, & disciplina eſt pueris dãda, & nolũt uapulare, qui ſic perſcribunt nobis, quando uolumus dare disciplinã, peccauĩ, ignoſce mihi, ignoui: Et iterũ peccat, ignoſce, ignoui. Peccat tertio, ignoſce, ecce tertio, ignoui, iam quarto, uapulet: & ille ignoſce, ignoui, & quarto ignoui, & quinto ignoui, & ſexto ignoui & ſeptimo, iam uapulet. Et ille nun̄ ſeptuagies ſepties ſatigatur ac perſcriptione ſeueritas diſciplinẽ dormit, reſpreſſa diſciplina ſcũit in punia nequitia. Quid ergo faciendũ eſt? Corripiamus uerbis, & ſi opus eſt & uerberibus, dilectione hoc faciamus. Dimittamus culpã, à corde abigamus quod nocet à fratre. Ideo enim Dominus ſubdidit: De cordibus ueſtris, ut ſi per charitatem imponitur diſciplina de corde, ignitas non recedat. Sic ergo iſta nouerimus, fratres mei, ut fratres noſtros, qui peccauerint, omnimodo diligamus de corde noſtro, charitatem in eos non dimittamus, & diſciplinam, cum opus eſt, debemus, ne per ſolutionẽ diſciplinẽ, uel creſcat nequitia, & incipiamus propter hoc Deo accuſari, quia recitatũ eſt nobis: Peccantẽ coram omnibus argue, ut ceteri timorẽ habeant. Certe ſolus cum ſolo uerũ eſt, diſtingue tempora, & ſolus quaẽſtionẽ, uerũ eſt, ſi peccatũ in ſecreto eſt, in ſecreto corripie, ſi peccatum publicum eſt, & apertum publice corripie, ut ille emendetur, & ceteri timeant.

i. Tim. 4.

Sic & pater meus, &c.) Formidolofa ſententia, ſi iuxta noſtrã mentẽ ſententia Dei ſteãtur, atq; mutatur, ſi parua ſatribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittent. Et quia poſſet unuſquiſq; dicere: Nihil habeo contra eum, ipſe nouit, habet Deum iudicẽ, non mihi cura eſt, quid uelit agere, ego ignoui ei, conſirmit ſententiã ſuã, & omnem ſimulationem ſictã pacis euerit dicens: Si non remiſeritis unuſquiſq; fratri ſuo de cordibus ueſtris.



HEBDO. XXIII. POST PENTECOST. EPI. BEATI  
Pauli Apoſtoli ad Philip. Cap. III.

Mitatores mei eſtote, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formã noſtrã. Multi enim ambulant quos ſepe dicebã uobis,

**A** bis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus uenter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Vnde etiam ſaluatorem expeçtamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus peccati noſtrẽ, figuratum corpori claritatis ſuã, ſecundum operationem uirtutis ſuã, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia.

Imitatores mei eſtote.) Id eſt, me ſequimini, me fideliter immitamini, non falſos Apoſtolos.

Et obſeruate eos, qui ita ambulant.) Dupliciter dicitur obſeruari, uel ad imitandum, ut hic, uel ad cauẽdum, ſicut ad Romanos ait: Obſeruate eos qui diſſenſiones & offendicula faciunt. Auguſt. Rom. 16.

Sicut habetis formã noſtram.) Id eſt, formã doctrinã noſtrã.

Multi enim ambulant, quos ſepe dicebam uobis.) De ipſis dicit: Qui ſpem paſſionis Chriſti, per quem peccata dimiſſa ſunt, auferentes, in legis ceremonijs collocabant. Poſſet & de Iouiniãtis interpretari, qui ſeiuniorum afflictiones, & omnes corporis cruciatuſ in luxuriam & epulas conuerterunt.

Nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti.) Notãdum, quo affectu omnium ſalutem optauerit, qui etiam inimicos crucis Chriſti deſebat, ultro in interitum proparantes.

Quorum finis interitus, &c.) Qui enim in carne ſeminant, inquit Apoſtolus, de carne & metent corruptionem, qui enim ſe in hoc putant Deo ſeruire, ſi cõmedant & uoluptates uentris & deſyderia compleant carnis, eorum Deus dicitur uenter, non audientes Prophetã dicentem: Cũ manducaueritis & biberitis, nõne uobis metipſis manducatis & bibitis uobis metipſis. Gloria dicit circuncisionis, in confuſione, id eſt, impudendis, uerecundi membri, qui terrena ſapiũt dicit, id eſt, qui carnem, legem obſeruant.

**B** Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.) Hoc non poſſet dicere terrenis uicijſ mancipatus.

Vnde etiam ſaluatorem expeçtamus, &c.) Ac ſi diceret: Caput noſtrũ in cœlo eſt, ubi & nos iam per deſyderium cõuerſamur, & quia cœleſtis eſt ille, quia caput eſt noſtrũ, de cœlo expeçtamus eum uenturum.

Qui reformabit corpus humilitatis noſtrẽ, figuratũ corpori, &c.) Hoc quidem monſtrauit in morte, cum uiuo & bibentibus & unum ex mortuis ſui corporis configurauit exemplum reſurrectionis oſtendens in mortuis & uiuis.

Secundum operationes uirtutis ſuã, &c.) Ac ſi diceret: Non ſolum confirmauit nos exemplo reſurrectionis, ſed etiam corpori ſuo omnia fecit eſſe ſubiecta, & ſecundũ hanc potentiam qua ſibi cuncta ſubiecit. Intelligimus eum omnia poſſe & ſilium omnipotentis eſſe.

Itaq; fratres mei chariſſimi, &c.) Ac ſi diceret: Quia perfecti eſtis in fide, perfecti eſtis in conuerſatione, in ſola Chriſti fide ſpem ponentes, & in conuerſatione cœleſti conuerſantes, quia de uobis in præſenti tempore lætificor, & in futuro coronabor.

Euodiam rogo & Syntyche deprecor idipſum ſapere in Domino.)

Id eſt, unum & idipſum ſentire de fide, & equaliter credere in Domino.

Etiã rogo, & te Germane compar.) Quod dixit: Germane, propriũ poſuit, nomen. Germanus enim uocabatur. Quod uero dixit compar, intelligitur officij uel fidei.

Adiuua illas quã mecum laborauerunt in Euangelio.) Hæ mulieres religioſe & ſcienter erant, quas Apoſtolus, ut adiuuet eas Germanũ admonet. Quod dicit: Mecũ laborauerunt, ſubauditur in uerbo fidei prædicando. Docebãt enim in ſuo ſexu per domos, in Eccleſijs autem reticebant. Ab ipſo enim paulo prædicandi officium mulieribus in Eccleſia tollitur, ubi ait: Mulieres in Eccleſia taceant.

Cũ Clemente & ceteris adiutoribus meis.) Clemens Philoſophus & magnã E 3 doctrinã



C doctrinæ uir erat, qui postea Romanæ præsul Ecclesiæ fuit.

Psalm. 138.  
Math. 5.

Quorum nomina sunt in libro uitæ.) Id est, in memoria æterna. De hoc enim in libro Psalmista Domino ait: Imperfectum meum uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Et Apostolis Dominus ait: Gaudete, quia nomina uestra scripta sunt in cælo. Et contrario de reprobis David ait: Deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.) Acti dicit: Gaudete in Domino, qui in seculari gaudio non gaudetis. Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quod repeti iterum: dico gaudete, uel ut magis ac magis gaudium confirmetur, uel pro gaudio corporis & animæ in prosperis & aduersis, ut confortentur in Domino.

Math. 5.

Modestia uestra nota sit omnibus hominibus.) Indæis scilicet & gentibus, omnibusque qui uos persequuntur, nota sit modestia uestra. Modestia enim mansuetudo uel pudor, siue probitas intelligitur. Scriptum est enim: Videant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui est in cælis.

Math. 6.

Dominus prope est, nihil solliciti sitis.) Acti dicit: Quia Dominus prope est his, qui tribulatio sunt corde, ideo de ingruentibus malis, nihil solliciti sitis, cum defensore uobis Deum esse noueritis. Potest & sic intelligi, iuxta Euangelium: Nolite cogitare quid manducetis, aut quid induamini, scit quod opus est uobis, & antequam petatis agnoscit.

Sed in omni oratione.) Id est, non cum murmuratione, atque tristitia, ne forte tribulationibus afflicti, in aliquo murmuretis, & uestra oratio fiat indigna auribus Dei, obsecro ut omnia cum oratione apud uos pacifice fiant.

Et obsecratione cum gratiarum actione.) Oratio dicitur, quæ pro peccatis præteritis fit, obsecratio uero pro uirtutibus adipiscendis, gratiarum actio pro beneficijs Dei.

Petitiones uestræ innotescant apud Deum.) Non sic accipiendum est, tanquam Deo innotescant, qui eas & antequam essent nouerat. Sed nobis innotescant apud Deum, per tolerantiam, non apud homines per factantiam. Aut forte innotescant, etiam apud Angelos, qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod eo iure implendum esse cognouerint, sicut oportere cognouerint, hoc nobis uel euidenter uel latenter adportent. Dixit enim Angelus homini: Cum oraretis, ego obtuli orationem uestram in conspectu claritatis Dei.

Et pax Dei, quæ exuberat omnem sensum, &c.) Quem, nisi nostrum, aut fortasse etiam sanctorum Angelorum. Non enim & Dei, si ergo sancti & Dei pace uicturi sunt, profecto in ea pace uicturi sunt, quæ superat omnem sensum, quoniam nostrum quidem superat, non est dubium. Si autem superat & Angelorum, ut nec ipsos excepisse uideatur, qui ait: Omnem intellectum, secundum hoc dictum esse debemus accipere, quia pacem Dei, qua Deus ipse pacatus est, sicut Deus nouit, non eam nos sic possumus nosse, nec ulli Angeli. Superant itaque omnem sensum non dubium, quod præter suum, sed quia & nos pro modo nostro pacis eius participes facti, summam in nobis atque inter nos, & cum ipso pacem, quantum nostrum summum est obtinebimus isto modo, pro suo modo sciunt eam sancti Angeli, homines autem nunc longe infra, quantumlibet prouentu mentis excellent. Considerandum est enim, quantum uir dicebat: Ex parte scimus, & ex parte Prophetamus, donec ueniat quod perfectum est.

## EVANGELIUM MATTHAEI CAP. XXII.



Beantes Pharisei, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister scimus, quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis: Quid tibi uideatur. Licet census dari Cæsari, aut non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Abentes

A

Beantes Pharisei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone, &c.) Hiero. Nuper sub Cæsare Augusto Iudæa subiecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat, & erat in populo magna seditio, dicentibus alijs: Pro securitate & quiete, qua Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolui. Phariseis uero, qui sibi adplauderent in iustitia, & contrario nitentibus, non debere populum Dei, qui decimas solueret, & primitiua daret, & cætera quæ in lege scripta sunt, humanis legibus subiacere. Cæsar Augustus Herodem filium Antipatris alienigenam & proflitum Regem Iudæis constituit, qui tributis preffert, & Romano pareret Imperio. Mittunt igitur Pharisei discipulos suos cum Herodianis, id est, militibus Herodis, seu quos illudentes Pharisei, quia Romanis tributa soluebant, Herodianos uocabant, & non diuino cultui deditos. Quidam Latinorum ridiculæ Herodianos putant, qui Herodem Christum esse crederent, quod nusquam omnino legitur.

Magister, scimus quia uerax es & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis: quid tibi uideatur, licet census dari Cæsari, an non? Blanda & fraudulenta interrogatio, illuc prouocat respondentem, ut magis Deum quam Cæsarem timeat, & dicat non debere tributa solui, ut statim audientes Herodiani, seditionis auctorem contra Romanos principes teneat.

Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocrite? Prima uirtus est respondentis, interrogantium mentem cognoscere, & non discipulos, sed tentatores uocare. Hypocrita ergo appellat, qui aliud est, & aliud simulat, id est, aliud opere agit, aliud uoce præterdit.

Ostendite mihi numisma census, at illi obtulerunt ei denarium.) Sapientia semper sapienter agit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confutentur: Ostendite mihi, inquit, denarium, denarius quippe est genus nummi, quod pro decem numis imputabatur, & habebat imaginem Cæsaris.

Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Qui putant interrogationem saluatoris ignorantiam esse, & non dispensationem, discant ex presenti loco, quod utique potuerit scire Iesus cuius imago esset in nummo, sed interrogat ut ad sermonem eorum competenter respondeat.

Dicunt ei Cæsaris, Tunc ait illis: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.) Cæsarem non putemus Augustum, sed Tyberium significari priuignum eius, qui in locum successerat ipse, sub quo & passus est Dominus. Omnes autem Reges Romani à primo C. Cæsare, qui Imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt. Porro quod ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, id est, nummum, tributum & pecuniam, & quæ sunt Dei Deo, Decimas, primitias & oblationes ac uictimas sentiamus, quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro, & Deo reddit quæ Dei sunt, patris faciens uoluntatem.

Aliiter, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quemadmodum Cæsar à uobis exigit impressionem imaginis suæ, sic & Deus. Ut quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima, lumine uultus eius illustrata atque signata, unde Psalmista: Signatum est, inquit, in nobis lumen uultus tui Domine. Hoc quippe lumen est totum hominis, & uerum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem & similitudinem Dei, quam peccando corrumpit. Bonum ergo eius est, uerum atque æternum, si renascendo signetur.

HEBDO. XXV. POST PENTECOST. AD COLOS. CAP. I.



On cessamus pro uobis orantes & postulantes, ut impleamini mihi agnitione uoluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali, ut ambuletis digne Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni uirtute confortati, secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio.

E 4 Non

**C** Non cessamus pro vobis orantes & postulantes. Id est, ex quo audiuimus dilectionem vestram & charitatem, & fidem quam habetis in Deum, non cessamus orare, ut impleamini uirtutibus spiritalibus, de quibus & sequitur:

Vt impleamini agnitione uoluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali. Sapientia & intellectu impletur, qui non solum historicam, sed & spiritalium intelligentiam cognoscit.

Vt ambuletis digni, Deo per omnia placentes. Illi ambulat digni Deo, qui per omnia ei placent, exercent esse sicut subditur.

In omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. Hic aperte exposuit, quod superius obscure dicebat, quomodo Deus det & bene uelle, & bene posse, ut possint fructificare uirtutibus, & inueteratam uincere consuetudinem, siue in passionibus carnis infirmitatem superare mentis.

In omni uirtute confirmati secundum potentiam claritatis eius. Id est, secundum uoluntatem eius, ut & uos sicut ille fecit patienter sufferatis omnia.

In omni patientia & longanimitate, cum gaudio, in Christo Iesu, &c. Ibi enim est uera longanimitas, & patientia exhibenda, ubi malitia ab aliquo exerceatur.

## EVANGELIUM MATTHAEI CAP. IX.



Aec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed ueni, impone manum tuam super eam & uiuet. Et surgens Iesus sequebatur eum & discipuli eius. Et ecce mulier quae sanguinis

**D** fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro & tetigit fimbriam uestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero. At Iesus conuersus & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua salua te fecit, & salua facta est mulier ex illa hora.

**H**aec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, sed ueni impone manum tuam super eam & uiuet. Et surgens Iesus sequebatur eam, & discipuli eius. Octauum signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio uerae circumcisionis excludi. Sed subintrat mulier sanguine fluens, & octauo sanatur loco, ut principis filia, de hoc exclusa numero, ueniat ad nonum, iuxta illud quod in Psalmo dicitur: Aethyopiae praeueniat manus eius Deo, & cum intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiet.

Princeps itaque synagogae, nullus melius quam ipse Moses intelligitur, unde bene secundum Lucam Iayrus, id est illuminans, siue illuminatus uocatur. Quia qui accepit uerba uite dare nobis, & per haec caeteros illuminat, & ipse a spiritu sancto, quo uitalia monita scribere uel docere possit, illuminatur. Cui, secundum Lucam filia unica erat, id est, synagoga, quae sola legalis institutione composita, quasi unica Mosi nata erat. Quasi duodecimo gratis anno, hoc est, tempore pubertatis adpropinquante, moriebatur, quia nobiliter a Prophetis educata, postquam ad intelligibiles annos peruenerat, postquam spirituales Deo fructus gignere debebat, subito eorum languore consternata, spiritalis uitae uias ingredi desperabiliter omisit. Et si non a Christo succurreretur, horrendam per omnia corrisset in mortem.

Et ecce mulier quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro & tetigit, &c. In Euangelio secundum Lucam scribitur, quod principis filia duodecim annos haberet gratis. Nota ergo eo tempore haec mulier, id est, Gentium populus coeperit egrotare, quo Gens crediderit Iudaeorum. Nisi enim ex comparatione uirtutum, uitium non ostenditur.

Hæc

**A** Hæc autem mulier sanguine fluens non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia iuxta legem urbibus excludebatur. Sed in itinere ambulanti Domino, ut dum pergit ad aliam, alia curaretur, unde dicunt & Apostoli: Vobis quidem oportebat prædicare uerbum, sed quoniam indignos uos iudicatis saluti, transgredimur ad Gentes.

Dicebat enim intra se, si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero.)

Accedit ad Dominum, tangit Ecclesia, quia eo per fidei ueritatem adpropinquat. Accedit autem retro siue iuxta, id est, quod ipse ait: Si quis mihi ministrat, me sequatur: Et alibi præcipitur: Post Dominum Deum tuum ambulabis, siue, quia presentem in carne Dominum non uolens, peractis temporalis dispensationis sacramentis, eius iam per fidem coepit uestigia subsequi. Tangit autem fimbriam uestimenti, & undam restringit sanguinis, quia beatus & uere mundandus, qui uel extremam uerbi partem fidei manu contigerit. Nam rarus ualde, qui eius uel in pectore recumbere, uel caput mereatur pistica nardo perungere, cum & ille magnus fuerit, qui se indignum dicebat eius calciamenta portare, magna & illa quae ungere pedes eius, & capillis suis tergere promeruit.

At Iesus conuersus & uidens eam, dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit, & salua facta est mulier, &c. Ideo filia, quia fides tua te saluam fecit. Nec dixit: Fides tua te saluam factura est, sed saluam fecit, in eo, quod in me credidisti, iam salua facta es.

## IN NATALI SANCTI ANDREAE EPISTOLA

Beati Pauli Apostoli ad Romanos. Cap. X.



Orde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudaei & Graeci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocat illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo uero prædicabunt, nisi mittantur, sicut scriptum est: Quomodo speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Sed dico: Nunquid non audierunt? Equidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrae uerba eorum.

**C**orde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Qui uere & non falso constituitur ore Domini Iesum, & corde credit pariter & confitetur. Debet subiectus esse sapientiae & iustitiae & ueritati, & omnibus quae Christus est, nec sibi ultra dominari permittat Mammona, id est, neque avaritiam sibi ultra, neque iniustitiam, neque inpueritiam, neque mendacium dominari. Semel enim Iesum Christum Dominum confessa anima nulli horum debet seruire.

Dicit enim scriptura, &c. Hoc autem apud Esaiam dicitur est: Quod si omnis qui credit in eum non confundetur, confunditur autem omnes qui peccat sicut & Adam peccauit, & erubuit, & abscondit se, qui adhuc rubore peccati incurrit, credere non uidetur.

Non enim est distinctio, &c. Nulla, inquit, est distinctio, inter Iudeos & Graecos, cum constet omnes prius sub peccato fuisse, & omnes qui modo credunt per fidem Iesu Christi saluos esse. Nam iustitia Dei per Christum, ad omnes ueniens qui credunt, siue Iudaei siue, siue Gentes, purgatos eos a prioribus sceleribus iustificat, & capaces facit gloriae Dei.

Nam idem &c. Si iustitia nobis & ueritas & sapientia & sanctificatio, quae totum Christum est, dominetur, tunc nobis Dominus sit diues in omnibus. Haec enim sunt eius diuitiae, utpote in quibus thesauri sapientiae & scientiae sunt absconditi. Quas tamē diuitias non dixit largiri esse omnibus hominibus, sed omnibus quicumque inuocauerint nomen eius, neque enim omnis qui inuocauerit nomen Domini

Psal. 67.  
Rom. 11.  
Primas.

Origenes.

Esai. 53.

**C** Domini salui esse possunt, sed qui opera inuocatione digna fecerit, ipse saluabitur. **Vulg.** Dicit: Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in ueritate. Vbi tetragramaton **יהוה** est, quod Hebræi tradunt Dei nomen ineffabile designari, & in alia scriptura legitur: Inuocabit me, & non exaudiam eos, qui modo hic absolute ponitur, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit, nisi in hac inuocatione intelligamus significatiuam fuisse synecram, id est, cum humilitate cordis expressa sit, & Deus cum confessione ueri dogmatis inuocetur.

Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Christo enim Iudæi non crediderunt, & ideo non inuocant eum, in quem non crediderunt. Nam quod superius dicit: Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ad Christum Dominum docuit referendum. Nam & Enos & Moses & Aaron & Samuel inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. Si ne dubio Christum Iesum inuocabant, & si inuocare nomen Domini, & orare Dominum unum atque idem est, sicut inuocatur Christus, & orandus est Christus, & sicut offerimus Deo patri primo omnium orationes, ita & Domino Iesu Christo, & sicut offerimus pulationes patri, ita offerimus pulationes & filio, & sicut offerimus gratiarum actiones Deo, ita & gratias referimus saluatori. Vnum namque utriusque honorem deferendum, id est, patri & filio, diuinus edocet sermo, cum dicit: Omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.

**1041. s. a.** **Luc. 10.** Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Possimus sic intelligere, quia uel ipsum in carne positum, uel Apostolus eius prædicantes de eo audire noluerint. Sic enim & ipse Dominus dicit: Qui uos audit, me audit, & qui me spernit, uos spernit. Potest autem & hoc intelligi, quod etiam nunc & semper Christus tanquam uerbum & ratio unicuique loquitur in corde, & de pietate doceat, de iustitia suadeat, de castitate, de pudicitia, & de omnibus simul uirtutibus protestetur, sicut & ipse dicit: Oues meæ uocem meam audiunt.

Quomodo autem audient sine prædicante? In hoc magis per prædicantem sermonem Christum ostendit audire, in quibus secundum ea quæ supra diximus Christus loqui & docere monstratur.

**D** Quomodo uero prædicabunt nisi mittantur? Difficultas mihi in hoc sermone uidetur exturgere. Si enim ita intelligamus, quod propterea non prædicent, quia non mittantur. Nullo autem prædicante non audient, non credentes autem non inuocabunt, non inuocantes, non saluabuntur. Colligitur ex his causis, quæ non sunt saluati, ad uitium redeat auctoris, qui non miserit prædicantes. Sed magis ad illum nos qui rectiore intelligentiæ tramite continet descendamus. Et quod dixit: Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur. Sic accipiamus, quasi dicitur: Apostolus: Nos præcones, prædicatores Christi non possumus prædicare, nec adnuntiandi nobis uirtus ulla subsisteret, nisi adesset nobis ipse qui misit. Quod si prædicantibus nobis audire non uultis, uestra iam culpa est, et si audientes non creditis, & non credentes non inuocatis, & non inuocantes salui esse nequitis, quia ergo missi sunt ad prædicationem, idcirco de his qui ab ipso missi sunt, scriptum est:

**Esaie. 59.** **Matth. ultimo** Quam speciosi pedes Euangelizantium bona. Illi sunt decori & speciosi pedes, qui perambulant per uiam uitæ. Secundum enim illum qui dixit: Ego sum uia, intellige decoros & speciosos Euangelizantium pedes, qui per talem uiam merentur incedere. Isti sunt pedes, quibus & cursum cucurrisse dicit, & sic currere ut comprehendat, id est, uigor animæ, quo tenditur & præparatur ad cælum. Gratificet autem pedes istos esse firmabis, quos Iesus discipulis lauat & lintheo, quo præcinctus est tergit. Quæuis hoc ipsum quod dicit, Euangelizare, interpretatur bona adnuntiare, tamen bona intelliguntur, quæ adnuntiat Apostolis sancta trinitas, id est, pater & filius & spiritus sanctus. Hoc est enim, quod adnuntiat Euangelizantium præceptum Domini dicentis: Ite, docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.

Sed non omnes obediunt Euangelio. Neque omnes ex gentibus Euangelio crediderunt, neque omnes ex Israël, plures tamen, & multo plures ex gentibus, quam ex Israël.

Esaïas autem dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Quis, pro ratione dictum est, uidetur tamen Esaïas hæc ex persona Apostoli propheta, quibus creditum fuerat prædicationis officium, & ipsi cum raritate credentium, præcipue de populo Israël uiderunt, dicentes ad Dominum; Domine, quis credidit auditui nostro.

Ergo

**A** Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi. Hic uerbum Christi totam prædicationem de Christo significat, neque enim illi soli crediderunt, qui uerbum ab ipso Domino audierunt, sed multo plures sunt, qui alijs eum prædicantibus audierunt, sicut ipse Dominus ait: Beati qui non uiderunt & crediderunt. Omne ergo uerbum quod Apostoli & si qui alij de Christo prædicauerunt, hic Apostolus uerbum Christi esse pronunciat.

Sed dico: Nunquid non audierunt? Equidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Hoc de Psalmo sumptum est, ubi ait: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur uoces eorum, in quo pro linguarum & sermonum uarietate Gentes sine dubio intelliguntur. Et notandum, quod in terrâ sonus exierat, & in fines orbis terræ, non sonus, sed uerba peruenierunt. Terra namque hoc loco inperitos & indocibiles homines dicit, ad quos non uerba, in quibus ratio fidei continetur & explanatio sapientiæ, sed sonus fidei communer, simplici prædicatione peruenierunt. Finem uero orbis terrarum, eruditiores quosque & prudentiores appellauerit. Finis enim perfectionem indicat rerum. Ad hos ergo tales non solum uoces, sed uerba & rationem peruenisse pronunciat.

## EVANGELIUM MATTHÆI CAP. III.

**A** Mbulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, erant enim piscatores. Et ait illis: Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens inde uidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui, cum Zebedæo patre eorum, resicientes retia sua, & uocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

**B** Mbulans autem Iesus iuxta mare Galilææ. Hoc mare propter terras adiacentes multis uocatur nominibus, id est, mare Galilææ, lacus Cinareth, stagnum Genesar, mare Tyberiadis, lacus salinarum, & rel.

Uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, &c. Quare piscatores uocantur, ne quis estimaret, quod per eloquentiam prædicatorum sermo Dei latius exiret. Non filij regum, non scribæ primo uocati memorantur, sed piscatores.

Piscatores & illiterati mittuntur ad prædicandum, ne fides credentium, non uirtute Dei, sed eloquentia atque doctrina fieri putaretur.

Bini uocantur, binique mittuntur & apte: Væ enim, ait scriptura, soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem. Bina etenim doctrina est, dilectio Dei & dilectio proximi, qua pleni boni Testamentum prædicant, id est, Legis & Euangelij.

Erant enim piscatores, & ait illis, &c. Mihi uidetur non fortuito contingisse, ut Petrus quidem & Andreas & filij Zebedæi arte piscatores inuenirentur. Paulus uero arte fabricator tabernaculorum, & illi uocati ab arte capiendorum piscium, mutantur & fiunt piscatores hominum, dicente Domino: Venite post me, faciam uos piscatores hominum, non dubium, quin & Paulus, quia & ipse per Dominum meum Iesum Christum uocatus Apostolus est, simili arti suæ transmutatione mutatus sit, ut sicut illi ex piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, ita & iste fabricandis tabernaculis terrenis, ad cœlestia tabernacula construenda translatus sit. Construit enim cœlestia tabernacula, docet unum quemque uiam salutis, & beatorum in cœlestibus mansionum, iter ostendens, facit tabernacula Paulus, & cum ab Hierusalem in circuitu usque ad Illyricum replet Euangelium Dei, Ecclesias construendo, facit & ipse tabernacula.

Et procedens inde &c. Primum enim homo retia desiderij sui mittit in mare huius seculi, ut uelut pisces opera mortua capiat, sed misericorditer adueniens Christus, per compunctionem animi priores mutat instrumenta, ut iterum rete boni desiderij in seculo mare iactans, pisces bonarum uirtutum nauis carnis ad portum uitæ afferat, relinquens fugitiuum diabolus, sic enim Zebedæus interpretatur. Quatuor Apostolorum nomina duos populos significant. Simo enim obediens, Petrus autem agnoscens interpretatur, significat populum Iudæorum, qui prius obediuit præceptis

Psal. 119.

Eucherius.

Hiero.

Fulg.

Origenes.

Fulgentius

Allegoria.

**C** praeceptis Domini, & agnouit creatorem suum. Id ipsum, & Iacobus, qui interpretatur subplantator, significat. Andreas uero interpretatur uirilis, significat populum Gentium, qui in fide Christi uiriliter agit. Id ipsum & Ioannes, qui Domini gratia interpretatur significat. Gratia enim Dei saluati sunt Gentes. Nam & haec quatuor nomina in moribus uniuscuiusque hominis continentur. Simon obediendo Deo, Petrus agnoscendo peccatum suum, Andreas uiriliter sustinendo labores. Iacob uitia carnis supplantando, Ioannes Dei gratiam suscipiendo habetur. Siue haec quatuor nomina pro quatuor principalibus intelligenda sunt uirtutibus. Tunc enim unusquisque obediens est, cum prudentiam agnoscendi peccata habuerit, Tunc uirilis est cura temperantiam sustinendi laborem adprehenderit. Tunc subplantator, cum fortitudinem uincendi uitia receperit. Tunc Dei gratia cum ueram iustitiam implendi mandata inuenerit.

## INCIPIUNT LECTIONES PER ADVENTVM DOMINI.

HEBDOMADA III. ANTE NATALEM DOMINI,  
hoc est, prima Dominica Aduentus, ad Rom. Cap. XIII.



**S**cientes quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc autem prior est nostra salus quam cum credidimus. Nox praecessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Non in commestationibus & ebrietatibus. Non in cubilibus & impudicitijs. Non in contentione & emulatione, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum.

Origenes.

**S**cientes quia hora est iam nos de somno surgere.) Sunt animae, oculi, aures, manus, pedes, &c. Quae singula non membra corporalia, sed uirtutes dicimus esse, quibus ad unum quodque mouere opus est. Ergo animae somnus quidem secundum oculos suos, si enim non agit tempore oportuno quae Dei sunt, sed desidia torpescit, merito dormire dicitur, idcirco Paulus praeco Christi circueiens mundum in somno desidia positum adnunciat adesse iam lucem, & tempus ut surgatur a somno, & tempus ignorantiae relinquatur.

Nunc enim prior est nostra salus quam cum credidimus.) Nostra salus, id est, uita futura in caelo, quae quotidie labescentibus diebus adpropinquat, & spacia quae praeteritis augentur, futuris sine dubio imminuuntur, & ideo prior fit quotidie nostra salus, id est, redemptio nostra, quae est uita perpetua, quam cum credidimus, unde & Dominus ait: Leuate capita uestra, quoniam adpropinquat redemptio uestra.

Luc. 21.

Nox praecessit dies autem adpropinquauit.) Noctem dicit tempus illud, quo ignorantia hominibus dominata est. Die uero nominat tempus illud, quo iustitia solis aduentura decreuit tenebris agnitio ueritatis aduenit. Siue nox est infidelitas, lux fides. Siue nox praesens mundus usque ad iudicium, dies tempus post finem seculi. Verum sciendum est aduentum lucis huius, & diei duplici modo accipiendum. Generaliter omnibus, & unicuique specialiter. Generaliter cum dies futuri seculi aduenit, ad cuius comparationem praesentis huius mundi spacium tenebrae appellantur. Singulariter unicuique, cum Christus in corde est, diem illi facit, cum ignorantia tenebras illi generat.

Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.) Opera tenebrarum sunt actus illi, qui a Deo alieni sunt, quae carnis opera appellantur, in his qui carnem suam luxuriae & impudicitiae, non sanctitati, neque Domino manciparunt. Arma uero lucis, sunt omnium assumptio uirtutum, in quibus quasi in die honeste & confidenter ambulamus.

Non in commestationibus & ebrietatibus.) Commestatio mensae collatio est. Siue commestationes dicuntur inhonesta & luxuriosa conuiuia, quibus comes est turpissima temulentia.

Non

**A** Non in cubilibus & impudicitijs.) A foedis cubitationibus cubilia appellata sunt, quae non tam rationabilibus uideantur hominibus, quam feris & beluis conuenire. Impudicitia dicitur inreligiositas, & sine uerecundia turpitudine.

Non in contentione & emulatione.) Illa quae superius dixit carnis sunt uitia, haec uero animae, quamuis omnia simul carnis opera & tenebrarum dicantur, quia reuera contentio & emulatio in malis eorum est, qui secundum carnem uiuunt, & qui in tenebris ambulant, qui autem in luce est, & sicut in die honeste ambulant, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam gerit, hic emulatio inuidientia intelligitur.

Sed induimini Dominum Iesum Christum.) Modo exponit, quod superius dixit, induamus arma lucis. Christus enim omnium sanctorum suorum arma lucis efficitur. Frequenter enim diximus Christum sapientiam esse & iustitiam & sanctificationem & ueritatem, & omnes uirtutes, quas utique qui assumpserit Christum dicitur induisse, si enim haec omnia Christus est, necessario qui haec habet & Christum habet.

EVANGELIUM MATTHAEI CAP. XXI.



**C**um adpropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem Oliueti. Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filijs Sion: Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecipit illis Iesus. Et adduxerunt asinam & pullum & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij autem cedebant ramos de arboribus & sternerant in uia. Turbae autem quae praecedebant, & quae sequebantur clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine Domini.

B

**C**um adpropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem Oliueti.) Bethphage autem domus buccae, siue domus maxillarum interpretatur, quia sacerdotum uiculus erat, & confessionis portabat tyrum, & erat situs in monte Oliueti, ubi lumen scientiae, ubi laborum & dolorum requies est.

Tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis.) Non immerito posuit duo discipulos, ad exhibenda Domino animalia destinati duo praedicatorum ordines, unus uidelicet in Gentes, alter in circumcissione intelligi. Qui recte duo mittuntur, siue propter scientiam ueritatis & operationis mundiciam, seu propter geminam dilectionis Dei uidelicet & proximi sacramentum toto orbe praedicandum.

Ite in Castellum quod contra uos est.) Contra Apostolos enim erat, nec iugum doctrinarum uolebant accipere. Missi isti discipuli doctores significat, qui in docta ac Barbaria totius orbis loca, quasi contrapositi Castellum moenia Euangelizando penetrando destinauit.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.) Introeuntes mundum praedicores sancti, inuenerunt populum nationum perfidiae uinculis irretitum. Funiculis enim peccatorum suorum unusquisque confictus erat, nec solum nationum, uerum etiam Iudaeorum, omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. Asina quippe, quae subiugalis & domita, synagogam, quae iugum legis traxerat, pullus asinae lasciuus & liber populum nationum significat, super quem nemo adhuc hominum sedit, quia

F nemo

**C**nemo rationabilium doctorum frenum correctionis, quod uel linguam cohibere à malo, uel in arcum uitæ uiam ire cogeret. Nemo indumenta salutis quibus spiritualiter calscieret, populo gentium utilia suadendo contulerat, sederet nanq; super illum homo, si aliquis ratione utens, eius stultitiam deprimendo corrigeret.

Et si quis uobis aliquid dixerit: Dicite quia Dominus his opus habet, & confesum dimittet eos.) In Luca scriptum est: Quia dixerunt Domini eis ad illos: Quid solutis pulli & apte satis: Multos quippe habebat Dominos, qui non uno dogmati & super-  
fitione deditus, sed pro libitu immundorum spirituum ad uarios diuersosq; miser raptabatur errores, ad simulacra muta, prout ducebatur incedens.

Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, &c.) Hoc in Propheta Zacharia scriptum est: Filia Sion. Historialiter Hierusalem totam uel Sion, quæ in arte posita erat dicit: Spiritualiter uero sancta significat Ecclesiam, ad quam Christus uenire dignatus est. Quod dicit: Rex tuus, ac si dicat, non extraneus, non alienigena, sed proprius, mansuetus, id est, non ferox & immitis, ut ceteri, ipse enim de se ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit eis Iesus, & adduxerunt asinam & pullum.) Qui soluendo pullo contradixerant, audito Domini nomen, quiescunt, qui uenientibus ad salutem Gentium doctoribus obstitabant, eatenus suas tenebras defenderunt, donec miraculis adstantibus, ueri possessoris ac Domini uirtus emicuit, ac postquam fidei dominicæ potestas apparuit, cedentibus passim aduersariorum quærelis liber credentium coetus ad Deum, quem corde portaret, adducebatur.

Et imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.)

**D** uestimenta Apostolorum uel doctrina uirtutum uel edisseratio scripturarum, uel certe Ecclesiasticorum dogmatum uarietates intelligi possunt, quibus ille corda hominum ante nuda & srigida quo Christo possessore digna fiant, operiunt.

Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia.) Portante Dominum asino multi uestimenta sua in uia sternunt, quia sancti martyres propriæ se carnis amictu exuentes, simplicioribus Dei famulis usam suo sanguinæ parant, ut uidelicet in offenso gressu mentis ad supernæ moenia ciuitatis, quo Iesus ducitur incedant. Item saluator noster a sellum se dens Hierusalem tendit, quando uniuersusq; fidelis anima, regens uidelicet iumentum suum, ad pacem intimæ uisionis ducit iumentum, sed & etiam cum sanctæ Ecclesiæ uniuersaliter præfider, eam quæ in supernæ pacis desiderium accendit. Multi autem uestimenta sua in uia sternunt, quia corpora sua per abstinentiam edomant, ut ei iter ad Deum temperent, uel exempla bonæ sequentibus præbeant.

Alij autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in uia.) Frondes uel ramos de arboribus cedunt, qui in doctrina ueritatis, uerba atq; sententias patrum decoru eloquia cerpunt, & hæc in uia Dei ad auditoris animum uenientis humili prædicatione submitunt.

Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant, &c.)

Præcessit quippe Iudæicus populus, secutus est Gentilis, & quia omnes electi, siue qui in Iudæa esse poterant, siue qui nunc in Ecclesia existunt, in mediatorem Dei & hominum crediderunt, & credunt qui præeunt, & qui sequuntur, osanna clamabant. Osanna autem Latina lingua saluator dicitur. Ab ipso enim salutem & priores quæsierunt, & præsentem querunt, & benedicti qui uenit in nomine Domini consentitur, quoniam una spes, una fides est præcedentium atq; sequentium populorum.

HEBDO. III. ANTE NATAL. DOMINI. HOC EST, DOMINICA

II. Aduentus. Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos Cap. XV.



Væcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiæ & solaci det uobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore hono-

**A** honorificetis Deum & patrem domini nostri Iesu Christi. Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit uos in honore Dei. Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis. Propter ueritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea cõfitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Letamini Gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursum Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. Deus autem spei, repleat uos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis in spe & uirtute spiritus sancti.

**Q**uæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.) Propter nos enim scriptum est: Quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, ut nos sciamus, quia hæc sunt Allegoricæ duo Testamenta. Propter nos scriptum est: Quod populus manducauit Manna, & bibit aquam de petra, ut intelligamus, quia spirituale escam potumq; biberunt. Bibebant autem de spirituali, cõsequenti eos petra. Petra autem erat Christus. Hæc & his similia ad nostram doctrinam sunt scripta, quibus per saluatoris aduentum sunt manifestata, qui autem intelligunt quæ scripta sunt, illud sine dubio inueniunt, quod sequitur, id est, ut per sapientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus ad Deum, quam habere non potest ille, qui nec credit, nec intelligit scripturas.

Deus autem patientiæ & solaci det uobis id ipsum sapere in alterutrum

secundum Iesum Christum.) Grandis Dei est ista benedictio, ut unum sapient omnes, atq; unum sentiant, & sicut sibi ita unusquisq; uelit & proximo. Multum enim ualet unanimi tatis gratia, unde saluator ait: Si duo uel tres in unum consenserint, quæcunq; petierint à Deo fiet eis. Ait Iudæi de illis, qui in Psalterio dicuntur, filij Choræ, quorum nomina in Exodo inueniunt, id est, Assyr, qui eruditio & Helchana, qui possessio Dei, & Abiasaph, qui cõgregatio patris interpretatur, quod cum pater eorum peccasset, & una cum Dathan & Abyron segregaret se à cœtu nephario, & sequestrati unanimiter ad Deum præces iudisse atq; exauditos esse, & non solum ueniam poenæ, sed & Prophetiæ gratiam meruisse, & hoc quoq; eis à Deo præstitum, ne quid triste Prophetare iuberentur, & ob hoc omnes Psalmi, quicunq; nominibus eorum additulantur, nihil triste aduersus peccatores, aut asperum continent, hoc præulimus, ut quanta sit nnanimitas monstraremus.

**B** Ut unanimes uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi.) Vnum nanq; os dicitur, ubi unus atq; idem per diuersorum omnia sensus & sermo procedit, & quia potest fieri, ut & in malitia aliqui unanimiter consentiant, & unum sapiant in peius, ob hoc addidit: Secundum Iesum Christum.

Propter quod suscipite inuicem sicut & Christus suscepit uos in honore Dei.) Ad illud respicit, ubi occasione mundorum uel immundorum ciborum diuersa sentientes, ab inuicem discrepabant, ac si diceret: Nihil de immunditia animalium iudicetis, sicut & Christus immunditias credentium reputauit. Qui nullius obruit delictum, nec alicui reputauit peccatum, sed omnes in honorem suscepit. Quos enim suscepit Christus, docet eos ita agere debere, ut uidentes homines opera eorum bona glorificent patrem, qui in cœlis est.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter ueritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum.) Duplici modo hoc intelligi potest, siue quod circumcisionem in carne sua suscepit ipse, ut ex semine Abraham ueniens completeret in se ipso, quæ patribus fuerant repromissa, siue ut in carne sua minister circumcisionis fuisse dicatur; de qua idem Apostolus dicit: Non qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne circumcisio, sed qui in occulto Iudæus & circumcisio cordis, quæ spiritu non litera sit, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est, per huiusmodi circumcisionem certum est patrum promissiones esse completas.

F 2 Gentes



**C** Gentes autem super misericordiam honorare Deum.) Sicut audire debet, quia illis Deus gratuitam misericordiam donauit, cui enim plus dimittitur, plus diligere debet.

2. Reg. 22.

Sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, & in nomine tuo cantabo.) Tolle Iudæis arrogantiam, dum Gentium salutem docet esse prædictam, quamuis ipsis non fuerit nunciatum, Christus in Gentibus consistetur. Et iterum dicit:

Primaf.

Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi.) Hæc uox Apostolorum est, prouocatum ad baptismum nouellum populum, ac si diceret: Vos omnes Gentes, qui relicta simulacris, accessistis ad Deum per fidem, laudate eum, quod Dauid dicit: Magnificate eum omnes populi, & hortat eos, qui ex Iudæis fuerant conuersi. Quod titulus ille pronunciauit, quem super crucem Pilatus posuit, scriptum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, id est, Rex Iudæorum.

Esa. 11.  
Orige.

Et rursum Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exsurgit regere Gentes in eum Gentes sperabunt.) Quoniam Iesse interpretatur in nostra lingua, est mihi. In aduentu ergo Christi omnes, qui credit ei, conuenienter dixit: Est mihi, quasi dicat ille, de quo Moses dixit: Qui est, misit me ad uos, ipse est mihi, hoc est, in ipsum credo, & ipse est qui surrexit ex radice Iesse, & in ipso Gentes sperabunt.

Deus autem spei repleat uos omni gaudio, ex pace in credendo, ut abundetis in spe, & uirtute spiritus sancti.) Quia superius dixerat: In eum Gentes sperabunt, coniungit grater: Deus spei, si enim scriptum fuisse superius, in ipsum Gentes credunt, adiecisset sine dubio, Deus fidei, sed quia ab sperando Gentes posuit, ideo Deum spei inuocat super eos, qui sperant in eum, à quo eis & benedictionis munus præcatur augeri. Est autem benedictio huiusmodi, ut repleatur omni gaudio, & omni pace, quod de Christo recte intelligitur, qui pacificauit per sanguinem suum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in caelis. Omni gaudio & pace impleti, uidetur mihi difficile exponi. Pax fidelium in spe debet esse futura, ubi gaudium perpetuum & pax certa permanet, abundantia uero spei in uirtutibus consistit.

## EVANGELIUM LUCE. CAP. XXI.



**I** Runt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura Gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient uniuerso orbi. Nam uirtutes caelorum mouebuntur. Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubem cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam adpropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores. Cum producant iam ex se fructum scitis, quoniam prope est æstas. Ita & uos cum uideritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

Iohel. 2.

**E** Runt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura Gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.) Quod uero dicit: Erunt signa in sole & luna & stellis, præcursores uicini eiusdem iudicii, quasi nuntius indicat. E quibus est, & illud. Propheta: Sol uertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam ueniat dies Domini magnus & manifestus. Item quod Lucas ait: Et in terris pressura Gentium, ipsum esse reor, quod Antichristi tempora describens Matthæus, dicit: Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo nec fiet. Quod autem Lucas subiungit, præ confusione sonitus maris & fluctuum, præco est illius, quod inter cætera mutabilia seculi, Ioannes mare habiturum conspexit.

Arescen

**A** Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient uniuerso orbi, nam uirtutes caelorum commouebuntur.) Credo ipsum iudicis Aduentum hac sententia designari, quando iuxta alterius loci parabolam omnes, hoc est, & prudentes & fatuæ uirgines in solito clamore suscitari lampades ornant, id est, sua secum opera numerant, pro quibus maximo cum timore iam, iamque instantem æterni discriminis expectant euentum. Tunc itaque superueniente uniuerso orbi timore, & expectatione districti examinis, multi qui in hoc mundo florere uidebantur, esse sine fructu conspexerint, arescent, tunc fides, quæ sine operibus uixerat, probante se iusti iudicis igne marcescent.

Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nubem cum potestate magna & maiestate.) In potestate magna & maiestate uisuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt, ut uirtutem eius tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc ceruicem cordis ad eius paciẽtiam non inclinant. Sed quia hæc contra reprobos dicta sunt, mox ad electorum consolationem uerba uertuntur. Nam subditur:

Grego.

His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam adpropinquat redemptio uestra.) Cum plage, inquit, mundi crebrescunt, cum terror iudicii uirtutibus commotis ostenditur, leuate uos capita, id est, exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope sit redemptio, quam quesistis. Leuare itaque capita est omnino mentes nostras ad gaudia patriæ cœlestis erigere. Quod autem calcar mundus, ac despici debeat, prouida Dominus comparatione manifestat. Nam sequitur:

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores cum producant iam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas, ita & uos cum uideritis hæc fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei.) Aperite ergo docet, quia sicut ex fructu arborum uentura æstas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum Dei, quibus profecto uerbis ostenditur, quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim crescit ut cadat, ad hoc germinat ut quæcumque germinauerit, claudibus consumat. Bene autem regnum Dei ætati comparatur, quia tunc mœroris nostri nubila transeunt, & uite dies æterni solis claritate fulgescunt, quæ omnia cum magna certitudine confirmantur, cum sententia subiungitur, qua dicitur:

B

Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.) Multum quippe commendat Dominus, quod ita pronunciat, quodammodo, si dici fas est, iuratio eius: Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Generationem autem, aut omne hominum genus dicit, aut specialiter Iudæorum.

Beda.

Cælum & terram transibunt, uerba autem mea non transibunt.) Cælum quod transibit non æthereum, siue fidereum, sed æreum, à quo & aues cœli, & nubila cœli cognominantur, intelligere debemus. Si autem cælum & terra transibunt, mouere potest, quo modo dicat Ecclesiastes: Generatio præterit, & generatio aduenit, terra uero in æternum stat, sed aperta ratione cælum & terra per eam quam nunc habent speciem, transeunt. At tamen per essentiam sine fine subsistunt: Præterit enim figura huius mundi. Et ad Ioannem Angelus: Erit, inquit, cœli nouum & terra noua. Quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Cælum igitur & terra, & transibit & erit, quia & ab ea, quam nunc habet speciem, per ignem tergetur, & tamen in sua semper natura seruabitur.

Eccle. 1.

## HEBDOMADA. II. HOC EST, DOMINICA TERTIA

Aduentus, ante natalem Domini, Epistola Beati Pauli Apostoli ad Corinthios I. Corinth. III. Capite



**S**ic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei. Hic iam queritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Deus.

F 3 minus

**C**minus est. Itaq; nolite ante tempus iudicare, quo aduſq; ueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordis eorum. Et tunc laus erit unicuiq; à Deo.

Ioan. 1.

**S**ic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei. Id est, nõ ut æquales Christi, hoc est dicere, non dicam Pseudoapostolos, sed ne Apostolos quidẽ nimia laude honorare debetis, sicut alio loco dixit: Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis, aut in nomine Pauli baptizati estis: quia baptismatis homo minister est, autor uero Deus, sicut legimus: Super quem uideris columbam descendentem, hic est qui baptizat in spiritu sancto.

Hic iam querit inter dispensatores, ut fidelis quis intreniatur. Hęc interrogantis uox est, hic queritur, id est, in presenti seculo, iam uos putatis conscientias iudicare humanas. Quod dicit, queritur, subauditur ab omnibus, ut fidelis quis inueniatur: Siue is qui mittitur, siue de his ad quos mittitur, ut fidelis & seruus prudens inueniatur. Aliter, tanquã si diceret, hic iam forsitan aliquis dispensatorum merita pręsumit extollere, & ausus est ante tempus iudicij de conscientijs iudicare.

Mihi autem pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die, sed neq; me ipsum iudico, nihil mihi cõsciũ sum. Quod dicit: Mihi pro minimo est, ac si dicat, pro nihilo mihi est, ut à uobis iudicer. Humanũ iudicij ideo uocauit, quia frequenter in eo ueritas & iustitia frustratur. Humanũ uero diem, ipsam humani iudicij reuelationem dicit: Neq; me ipsum iudico, inquit, id est, me ipsum non culpo, quia nihil mali in me scio, neq; consciũ sum. Aliter: Mihi pro minimo est, id est, esse aliquid, ut ab humano die, id est, humanę laudis gratia uel fauore non capior, ut illud: Diẽ hominis non desiderauit, id est, consolationẽ, cuius iucunditas carnalẽ mentẽ potest capere, nõ quęsiui. Sed neq; me ipsum iudico, id est, neq; me ipsum alicuius meriti esse pronuntio, quia plus credo conscientię meę, quã lau-  
D di ex aliena æstimatione ueniendi. Quando possum iudicare conscientiam meã, quando examinare potero, quo animo facio, quicquid facio, quantum possum homines de alio iudicare, plus homo utiq; de se ipso, sed Deus plus de homine, quã homo de se. Homo enim uidet in facie, Deus in corde.

August.

Sed non in hoc iustificatus sum. Id est, in hoc tempore, aut si forte nullum crimen admissi, ideo non peccauit. Si hoc Paulus dicit, quid nos dicere debemus? qui longe ab illius meritis distans. Aliter: Non in hoc iustificatus sum, hoc est dicere, ne hoc quidem mihi ad iustitiam proficit, si nolim laudari, qui me indignum laude cognosco.

Eccle. 1.

Qui autem iudicat me, Dominus est. Ac si diceret: Cuncta hæc, quę homo proprię æstimationis affectum probare se credit, diuino sunt referuanda iudicio, qui nouit non solum de operibus, sed & de cogitationibus iudicare.

Itaq; nolite ante tempus iudicare, &c.) Id est, nolite ante iudicij tempus de laude hominis ferre sententiam, quia scriptum est, ne laudes hominem in uita sua.

Et tunc laus erit unicuiq; à Deo. De humana laude se habere sermonem hic euidenter ostendit, cum dicit, meritorum ueritatem, in sola Dei laude consistere, ille uero laudabilis est, quem Deus laudauerit, qui omnia occulta & inuisa cognoscit.

## EVANGELIUM MATTHÆI. CAP. XI.



**C**um audisset Ioannes in uinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui uenturus es an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni, que audistis & uidistis. Cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur.

Ea

**A** Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in deserto uidere? Harundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? Hominem mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis uidere? Prophetam? Etiam. Dico uobis, & plus quã Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui preparabit uiam tuam ante te.

**C**um audisset Ioannes in uinculis opera Christi mittens, duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Qui uenturus est, id est, quem Prophete uenturum prędicarunt. Non ait: Tu es qui uenisti, sed tu es qui uenturus es, & est sensus, mada mihi, qui interficiẽdus ab Herode, & ad interna descensurus sum, utrum te & in inferis debeam nuntiare, qui nuntiaui superis, an non conueniat filio Dei, ut gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es.

Beda.

Et respondens Iesus, ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quę uidistis & audistis, cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Euangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.) Aliud enim tantum audierunt, aliud tantũ uiderunt: Audierunt enim quod surdi audirent, quod pauperes Euangelizarentur: uiderunt autem cęcos uidentes, claudos ambulantes, leproſos mundatos. Renunciate Ioanni, &c. Ac si diceret, nuntiate Ioanni, quia ego sum de quo Propheta dicebat: Deus ipse ueniet, & saluos nos faciet. Cæci uident, ut impleatur illud Propheticum: Tunc aperientur oculi cęcorum. Claudii ambulant, ut impleatur: Tunc saluet sicut ceruus claudus. Surdi audiunt, ut impleatur: Et aures surdorum patebunt. Spirituualiter Ioannes legem significat: Ergo Ioannes in uinculis lex uincta in Iudæis, misit duos

Fulgent.

B

Scribas & Phariseos: Tu es lex interrogat Christum, ut eum prædicet. Respondit Iesus: Cæci uident, ac si diceret, tempus illud aduenit, ut cæci qui solem iustitię prius non uidebant, iam impletur in eis: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Et claudi qui terrenis adhærebant, & de cœlestibus minime cogitabant, per mansuetudinis humilitatem, ad terram uiuentiũ currant, ut impleatur in eis: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrã. Et leprosi, qui immensa uictorũ mole grauati languebant, poenitentiam agentes, cõsolationem accipiant, & impleat in eis: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et surdi, qui audiendi aures minime habebant, iam modo iustitiam cordis auribus hauriant, & impleatur in eis: Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiã, quoniam ipsi satiabuntur. Et qui prius mortui erant Deo, & uiuebant seculo, miserantur per poenitentiam animæ suę, & uiuant, & impleatur in eis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequerentur. Et qui prius pauperes erant uirtutibus, impleantur spiritu sancto, & Euangelizent, ut dicatur de his: Quã pulchri super montes pedes Euangelizantium patrum, Euangelizantium bona.

Esa. 35.

Esa. 35.

Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus.) Quid est ergo dicere, beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me? nisi aperta uoce abiectioem mortis suę humilitatemq; signare? Ac si patenter dicat, mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor, quia ego moriendo subsequor. Cauendum ualde est hominibus, ne in me mortem despiciant, qui signa uenerantur.

Grego.

Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in deserto uidere? &c.) Hoc uidelicet nõ asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe, mox ut aura contigerit, in partem flectit, & quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur, qui mox fauore, uel detractione tangitur, in partem quilibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilarescit, extollitur, totumque se quasi ad gram flectit, sed si inde uentus detractionis eruperit, unde laudis aura ueniebat, mox hunc

F 4 quasi

**C** quasi ad partem alteram ad uim furoris inclinat. Sed arundo uento agitata Ioannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuslibet ira asperum faciebat, nec prospera hunc erigere, nec aduersa nouerant inclinare.

Sed quid existis, uidere hominē mollibus uestitum? Ecce qui mollibus uestiuntur iu domibus regum sunt.) Camelorum etenim pilis uestitus Ioannes fuisse describitur. Non ergo cœlesti, inquit, sed terreno regno militant hi, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, sed solis exterioribus dediti, presentis uitæ molliti sunt, & delectationē querunt. Nemo ergo existimet in luxu, atq; studio uestium, peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset, nullo modo Ioannem Dominus de uestimentis sui asperitate laudasset. Quamuis hoc quod Ioannes non esset uestitus mollibus dicitur, per significationem intelligi aliter potest. Mollibus enim uestitus non fuit, quia uitam peccantium, non blandimentis souit, sed uigore asperæ inuentionis increpauit, dicens: Genimina uiperarum, quis uobis demonstrauit fugere à uentura ira?

Math. 3.

Sed quid existis, uidere Prophetam? & iam dico uobis & plusquā Prophetam.) Prophetæ quippe ministerium est, uentura dicere, non etiā demonstrare. Ioannes ergo plusquam Prophetam est, quia eum, quem præcurrere Prophetauerat, etiā ostendendo nunciabat.

Hic est de quo scriptum est: Mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui preparauit uiam tuam ante te.) Quod Græcæ ἄγγελος, Angelus Latine nuntius dicitur. Recte ergo, qui nunciare supernum iudicem mittitur, Angelus uocatur, ut dignitatem seruet in nomine, quam explet operatione. Altum quidem nomen est, sed uitæ nomine inferior non est. Sed & omnes qui sacerdotij nomine censentur, Angeli uocantur, Prophetam attestante, qui ait: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Nec non etiā unusquisq; fidelium, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accipit, si à præuinitate proximum reuocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum uel supplicium erranti denunciat, cum uerba sanctæ admonitionis intendit, profecto Angelus existit.

Md. 2.

#### D HEBDOMADA I. ANTE NATALEM DOMINI, HOC EST,

Dominica quarta Aduentus, Epistola Beati Pauli Apostoli

ad Philippenses. Cap. III.

**G**audete in Domino semper, iterum dico gaudete.) Huius Epistolæ expositionem in Hebdomada post Pentecosten uicesima quarta require.

#### EVANGELIUM IOANNIS CAPI.



Islerunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, ut interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: Nō sum. Prophetam es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, nec Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aquam, medius autem uestrum stetit quem uos nescitis. Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut soluius eius corrigiam calciamenti.

**A** calciamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

**M**iserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus.) His uerbis Ioannis humilitas commendatur, qui cum tantæ uirtutis esset, ut Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Nam confessus est, & nō negauit, confessus est, quia non sum ego Christus. Sed quia dixit, non sum, negauit plane quod non erat, sed non negauit quod erat, ut ueritatem loquens, eius membrum fieret, cuius sibi nomen fallaciter non usurparet.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? Et dicit, non sum.)

Timendum est enim, ne minus intelligentes contraria putent Ioannem dixisse, quàm Christum. Christus dixerat: Helias iam uenit, & ipse est Ioannes Baptista. Ioannes interrogatus, respondit: Non sum Helias, utiq; enim ueritatem dixerunt. Si proprietatem interrogos Ioannes Ioannes est, & Helias Helias est. Ioannes autē recte de proprietate personæ suæ respondit, nō sum Helias. Dominus uero de præfiguratione recte dicit: Ipse est Helias. Nec Ioannes falsum, nec Dominus falsum, ipsa præfiguratione uenit iste, qua proprietate uenturus est Helias.

Ioannes igitur in spiritu Helias erat, in persona Helias non erat. Quod ergo Dominus fateatur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona, quia & iustum sic erat, ut & discipulis Dominus spiritalem de Ioanne sententiam diceret: Et Ioannes in turbis carnalibus, non de suo spiritu, sed de corpore responderet.

Propheta es tu? Et respondit, non.) Ideo Prophetam se esse non dicit: Quia maiorem se Prophetis esse cognoscit, quia quem Prophetæ uenturum fore dixerunt, iste digito demonstrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? Ait: Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta.) Vocem se esse Ioannes asserit, quia uerbum præcedit. Primum enim uox sonat Ioannis, ut uerbum sequatur. Aduentum itaq; dominicū præcurrens uox dicitur: Quia per eius mysterium patris uerbum ab hominibus auditur. Illud scilicet, de quo Ioannes ait: In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum, qui etiā in deserto clamat, quia derelictæ ac destitutæ Iudææ, solatium redemptoris adnunciat. Quid autem clamat, insinuat cum subiungit: Dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta: Via Domini ad cor dirigitur, cū ueritatis sermo humiliter audiatur, uia Domini ad cor dirigitur, cum ad præceptum uitæ præparatur.

Esai. 49

Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Helias, neque Propheta?) Quod quia non studio cognoscendæ ueritatis, sed malitiæ exercendæ emulationis dicitur, Euangelista tacite innotuit, qui subiunxit, dicens: Et qui missi fuerant, erant ex Phariseis, ac si aperte dicat: Illi Ioannem de suis actibus requirunt, qui doctrinā nesciunt querere, sed in uidere.

Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua.) Ioannes non spiritu, sed aqua baptizatorum corpora lauit, sed tamen per ueniam non lauat. Quare ergo baptizat, qui peccata per baptismum non relaxat, nisi ut præcursum suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoq; Dominum baptizando præueniret, & qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiā præcursor eius fieret imitatione sacramenti.

Medius autem uestrum stetit, quem uos nescitis.) In medio ergo hominum & stetit saluator asseritur & nesciri, quia per carnem apparens, & uisibilis stetit corpore & inuisibilis maiestate.

Lucas

**Beda.** Lucas enim in hoc loco ait: Ipse nos baptizauit in spiritu sancto & igni, hoc est, & purgatione sanctificationis, & probatione tribulationis. Potest autem idem spiritus sancti etiam nomine ignis sanctificatus intelligi, quia & incendit per amorem, & per sapientiam corda que replet illuminat.

**Grego.** Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est. Sic namque dicitur: Ante me factus, ac si dicat: ante me positus. Post me ergo uenit, quia postmodum natus. Ante me autem factus est, quia mihi prelati, sed hæc paulo superius dicens, etiam prelationis eius causas aperuit, quia prior me erat, ac si aperte dicat: Inde me etiam post natus superat, quo eum natiuitatis suæ tempora non angustant. Nam qui per matrem in tempore nascitur, sine tempore est à patre generatus. Qui quantæ reuerentiæ humilitatem habeat subdendo manifestat.

Cuius non sum dignus, ut solam eius corrigiam calciamenti, &c.)

**Ioan. 3.** Mos apud ueteres fuit, ut si quis eam quæ sibi competeret accipere uxorem noller, ille ei calciamentum: solueret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis ueniret, quid igitur inter homines Christus, nisi sanctæ Ecclesiæ sponsus apparuit, de quo & iste Ioannes dicit: Qui habet sponsum sponsus est, sed quia Ioannem homines Christum esse putauerunt, quod & iste Ioannes negat. Recte se in dignum esse ad soluendum corrigiam eius calciamenti denunciat, ac si aperte dicat: Ego redemptoris uestigia denudare non ualeo, quia sponsi nomen mihi immeritum non usurpo. Quod tamen intelligi & aliter potest, quis enim nesciat, quod calciamenta ex mortuis animalibus fiant, incarnatus uero Dominus ueniens, quasi calciatus apparuit, qui in diuinitate sua morticina corruptionis nostræ assumpsit, sed huius incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Corrigia ergo calciamenti, est ligatura mysterii. Ioannes itaque soluere corrigiam calciamenti eius non ualeat, quia incarnationis mysterium, nec ipse inuestigare sufficit, qui hanc per Prophetiæ spiritum agnouit.

Soluere calciamentum nudare est membra, quæ ab ipso teguntur, & nudum uerbum, id est, diuini sermonis euidentissime quis poterit speculando explicare sermonem, ni forte aliquibus imaginibus explicare, & hoc est quod dicit: Non sum dignus, id est, non sufficio omnia Christi ad liquidum, sublato uerborum uel anime, reuelare mysteria.

Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizans.)

**D** Bethania uilla est in secundo ab Helia miliario, in latere montis Oliueti, ubi saluator Lazarum suscitauit. Bene præcursor Domini nostri in Bethania dicitur baptizasse, nam Bethania domus obedientiæ interpretatur, ut demonstraret per obedientiam fidei omnes ad Christi baptismum debere peruenire.

## HACTENVS DIERV DOMINICARVM FESTIUITA

rumque multarum expositiones, iuuante Christo,  
absoluimus. De hinc Sanctorum  
Martyrum, Virginum & Confessorum expositiones  
ponemus.

IN NATALI APOSTOLORVM EPISTOLA  
Beati Pauli Apostoli ad Romanos Capite. VIII.



Cimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum uocati sunt sancti. Nam quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem

**A** autem prædestinauit hos & uocauit. Et quos uocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non perperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis est qui cõdemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius. Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque uirtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

**S** Cimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. In tantum enim omnia cooperantur in bonum, & collaudant hi qui diligunt Deum, ut & ipse spiritus adiuuet, nec dedignetur diuina natura dux esse iteris ad bonum.

His qui secundum propositum uocati sunt sancti. Id est, secundum quod proposuit, non ex operibus legis, nec legalibus sacrificiis, sed sola fide & sanguinis sui effusione, saluare quos præscierat credituros, & quos gratis uocauit ad salutem, multo magis glorificauit operantes.

**B** Nam quos præsciuit & prædestinauit. Prædestinare non idem est quod præscire, quia præscientia prædestinationem ratione præcedit. Nam quos præsciuit bonos prædestinatione, reddit beatos. Ergo quos præuidit conformes Christi futuros in uita, uoluit atque proposuit, ut fierent conformes in gloria, sicut dixit: Qui configurabit corpus humilitatis nostræ conformi corpori claritatis suæ. Philip. 3.

Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundum quod unigenitus dicitur, fratres non habet, hoc est, secundum diuinitatem. Secundum id autem quod primogenitus dicitur, fratres habet, hoc est, secundum humanitatem, unde est & illud: Primogenitus ex mortuis, ut sit ipse primatum tenens ex resurrectione mortuorum.

Quos autem prædestinauit hos & uocauit. Non putemus, quod prædestinatio uim nolentibus faciat. Vocando autem uolentes colligit non inuitos, uocant autem ut per prædicationem credant. Credentes autem per baptismum iustificantur, & postmodum magnificantur, id est, glorificantur, aut nunc in uirtutibus gratiarum, aut postmodum in beata uentura seculi resurrectione.

Et quos uocauit hos & iustificauit, quos autem, &c.) His qui secundum propositum bonum & bonam uoluntatem, quam circa Dei cultum gerit uocantur, ipsi sunt qui secundum propositum uocati dicuntur, & isti sunt qui uocati iustificantur & iustificati glorificantur. Illa gloria in præsentis seculo, de qua Apostolus ait: Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria ad gloriam in futuro, cum corpus humilitatis nostræ surget in gloriam.

Quod uero superius ait: Conformes fieri imaginis filij eius sic intelligitur, quia sicut ille, in mortale corpus habebimus, conformes facti in hac parte, non patris imaginis, aut spiritus sancti, sed tantummodo filij, quia de hoc fides sana accipitur: Verbum caro factum est. Potest & sic accipi, ut quemadmodum nobis ille mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes. August.

Quidem

**Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos?**

Vult ostendere, quod nemo possit nocere, uel impedire eos qui diligentes Deum diliguntur a Deo, quo minus gloriam, quæ promissa est, consequantur, eo quod perfecta, quæ in illis est, charitas foras omnem causam mortalis timoris expellat.

Origenes.

Quomodo pro nobis sit Deus manifestum est ex his, quæ supra exposuit, id est, quod spiritus Dei habitat in nobis, uel quod Christus est in nobis, uel quod spiritu Dei agimur & spiritum ad proprios accepimus, uel quod sumus filij Dei, & heredes & coheredes Christi, uel quod primas spiritus accepimus, & quod ipse spiritus interpellat pro nobis, uel quod omnia nobis cooperantur in bonum, uel quod secundum propositum uocati sumus, & præcogniti, & iustificati, & prædestinati, & glorificati. Horum etenim omnium ueluti anacephalosei utens, & simul omnia repetens, ait: Quid ergo dicemus ad hæc, hoc est, ad hæc omnia quæ supra diximus, quia si sic Deus pro nobis est, ut hæc nobis cuncta concesserit, quis esse aduersum nos poterit?

**Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.** Permisit tradi, ut tradentis maneret libertas arbitrij, & nobis per dominicas passiones patientiæ proponeretur exemplum. Sed pro nobis omnibus, hic aduerte, quod non pro aliquantis, sicut prædestinationis error estimat, sed pro omnibus tradidit illum.

Orig.

Non solum pro sanctis, nec solum pro magis, sed pro & minimis omnino, qui sunt in Ecclesia tradidit filium proprium pater, & ideo nullus in Ecclesia scandalizandus, uel contemnendus est.

**Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?** Quid potest habere recharius, quod nobis neget, qui filij unicum non negauit? Ac si diceret: Nulla est, siue uisibilis, siue inuisibilis creatura, quæ filio possit equari. Etsi creator ipse donatus est nobis, quomodo non cum ipso omnis nobis creatura donabit? Et hoc dupliciter intelligendum, si enim habeamus in nobis Christum, secundum hoc quod uerbum & sapientia & ueritas, & iustitia, & pax est, & cætera omnia quæ de eo scripta sunt, cum hac plenitudine uirtutum nobis omnia donabitur, ut omnia quæcumq; creauit Deus uisibilia & inuisibilia, occulta & manifesta, temporalia & æterna, cum Christo pariter habeamus, & alio modo, cum ipso omnia nobis donauit, hoc est, ipsi ut hæredi, nobis uero ut coheredibus, eius. pariter cum ipso nobis uniuersa profui dabitur creatura.

D

**Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat.** Videtur mihi quod ait: Quis accusabit electos Dei? de diabolo dicere, nullus est enim ita electus, & ita magnus quem ille non audeat accusare, nisi illum solum qui peccatum non fecit, qui & dicebat: Nunç uenit princeps huius mundi, & in me nihil inuenit, sed quamuis ille exerat nequitia præpositi sui, Deo iustificante, & delente iniquitatem electorum suorum, quid proficiet accusator?

**Quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.** Sed cum Christus pro eis mortuus sit, imò potius à mortuis resurrexit & stet à dextris patris & interpellat pro his, quis eos poterit condemnare? Aliter: Videtur hoc contra Iudæos tacite loqui: Nun quid accusare poteritis fideles Christi uenientes ex gentibus, qui credentes gratiæ, mandata legalia prætermittunt, qui iusti signis & uirtutibus demonstrantur? Aut quis hos qui per regenerationem abluti & sanctificati sunt, pro pristinis audebit accusare, delictis, subaudiendum? Nunquid Deus qui iustificat, accusabit? Nunquid Christus uiuentes in suis iustificationibus condemnabit, pro quibus mortuus est, & pro quibus interpellat patrem, ac pro eis inuestigabilis aduocatus assistit? Interpellare enim patrem pro nobis dicitur, dum semper et hominem, quem suscepit, quasi nostrum pignus ostendit.

August.

Psal. 4.

Cum pro his inquit, omnibus beneficijs, quæ consequuti sumus, fixi & radicati sumus in charitate Dei, quis nos ab ea poteri separare? Tribulatio si uenerit, dicemus ad Deum: In tribulatione dilatasti me: Angustia si fuerit, sapientiæ Dei & scientiæ latitudinem requiremus, in qua nos angustare non poterit mundus, sed per diuinarum mystice & spiritaliter scripturarum equitabulo amplissimos campos. Persequutionem si patior, & confiteor Christum meum coram hominibus, certus sum, quia & ille me confitebitur coram patre suo, qui in cælis est. Fames si adfuerit, turbare me non potest, habeo enim panem uitæ, qui de cælo descendit. Nuditas me non confundit, indutus sum enim Dominum Iesum Christum. Periculum non timebo, Dominus enim

Matth. 10.

Ioan. 2.

Rom. 13.

enim

A

enim illuminatio mea, & salus mea quem timebo. Gladius terrere me non potest, habeo enim mecum gladium spiritus, quod est uerbum Dei, uiuens & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti. Illius enim charitas qui nos dilexit & nostrum ad se rapuit affectum, cruciatum corporis & dolorem nos sentire facit, ideo ergo in his omnibus superamus.

Vide enim posse hæc agere, ut à charitate Dei separemur. Mors & fortassis Angeli, & principa Orig. tus, & uirtutes aduersantes nobis, sine dubio & præsentia, quæ sunt utiq; lubrica & caduca, sed & profundum, potest similiter intelligi, uita autem futura & altitudo & creatura, aliquo modo à charitate Dei separe nos conantur. Non ociosum uidetur exponere, nisi quis forte dicat hyperbolice hæc Apostolum dicere, hoc est, non solum per ea quæ accidere possunt, sed ne per ea quidem quæ uenire omnino non possunt, ullo pacto à Dei charitate deflectimur.

Nemo nos inde separet minando mortem, id ipsum enim, quod diligimus Deum, mori non potest. Nisi dum non diligit Deum, cui mors ipsa est, non diligere Deum. Nemo nos inde separet pollicendo uitam. Nemo enim ab ipso fonte separet aquam. Nou separet Angelus. Non enim est Angelus, cum in heremus Deo, nostra mente potentior. Non separet uirtus, illa scilicet, quæ potestatem tenebrarum in hoc mundo tener, toto mundo est omnino sublimior mens inherens Deo. Non separet instantes molestiæ, hoc enim leuiore eas sentimus quo ei à quo nos separet molliuntur artus inheremus. Non separet promissio futurorum, nam & quicquid boni futurum est, certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profecto bene sibi inherens præsens est.

Aug.

**Certus sum enim.** Non dixit, opinor, sed certus sum quod fideles Christi non separet ab eius charitate, nec mors, nec uita, id est, nec persecutio, quæ nunc spem uitæ ingerit, nunc terrorem mortis intendit, neque potestas aduersa transfigurans se in angelum lucis, audienda est. Neque fortitudines, quia uasa fortis diripientur, qui per Christum ligatus est.

**Neque altitudo, neque profundum.** Id est, neque Astrologia, neque Negromantia, quia & illa altitudinem sursum, & ista infernum scrutantur deorsum.

**Neque creatura alia poterit nos separet à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.** Etiam si alia creatura, id est, alterius regionis, quæ in alia rerum natura seposita sit, de inferis possit resurgere, separet nos à creatore, cui anima etiam morte iungenda est, non ualeat.

B

EVANGELIUM IOANNIS. CAP. XV.



**Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos.** Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio uobis. Iam non dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumq; audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Ut quodcumq; petieritis patrem in nomine meo det uobis.

**Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos.**

Ut quid enim nos dilexit Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? Ad hoc nos diligere debemus, ut habeamus Deum, & maneamus in Deo, & si sic qui se diligunt, Deum diligunt, & hæc est dilectio, ut sit Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 13.

Maiorem hac dilectionem, nemo habet quam ut animam suam ponat, quis pro amicis suis. In hoc Christi dilectio supereminet in nos, quia uenit, ut animam suam poneret pro inimicis suis, ad hoc tamen ut ex inimicis faceret amicos, sed non omnium est martyrium, tamen omnium beneficium est in fratres. Qui ueram substantiam suam fratri in necessitate posito non tribuit, quomodo animam suam in persecutione daturus est pro fratre suo? Virtus uero huius charitatis est in pace sua distribuere pro Christi amore ut possit in perturbatione se ipsum tradere pro nomine eius.

G Vos



**C** Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio uobis.) Magna est dignitas amicum esse Dei, sed uidentium est, quibus gradibus ad hanc celsitudinē perueniatur. Subiungit: Si feceritis ea quæ ego præcipio uobis. Ac si aperte dicat: Gaudetis de culmine, pensate quibus laboribus uenitur ad culmen. Magna est misericordia largitoris nostri, serui non sumus digni, & amici uocamur, ideo subiungit.

Iam non dicā uos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius.)

Aliud est seruum timoris, aliud amoris, quæ duo exempli gratia ipsa ueritas in hoc eodem Euangelio exprimit, dicens: Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet. Filius uero seruit patri propter amorē, seruus autem propter timorem, de quo seruitio Dominus dixit: Jam non dico uos seruos, sed amicos, quia filij non serui, ideo & amici, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Nescit enim uoluntatem Domini sui, qui per timoris amaritudinem seruit Domino suo, & non per charitatis dulcedinem, quasi patri seruiat.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcūq; audiui a patre meo, nota feci uobis.) Quæ sunt omnia, quæ audiuit à patre, quæ nota fieri uoluit seruis suis, ut eos perficeret amicos suos, nisi gaudia internæ charitatis, nisi illa festa supernæ patrie, quæ nostris quotidie mentibus per adspirationem sui amoris inprimit, sed hæc cognitio, quæ nunc ex parte proficit, in illa plenitudine scientiæ perficitur, de quo Apostolus ait: Cum autem uenerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, hoc enim Dominus discipulis se fecisse dixit, quod facturus esse sciebat.

Non uos me elegistis, sed ego elegi uos) Hæc est adfabulis gratia, quæ præuenit nos, ut simus amici ex seruis, ideo nobis non subrepat superbia, quasi pro nostris meritis aliquid acciperemus, dum filij iræ fuimus, nunc autem filij Dei per gratiam effecti sumus, sine qua nihil possumus facere, ut Paulo ante ipsa ueritas ait: Sine me nihil potestis facere.

Et posui uos, ut eatis & fructum adferatis.) Posui ad gratiam, plantauit ut eatis uolendo, fructus adferatis operando. Earis enim uolendo dixit: Quia uelle aliquid facere iam mente ire est, qualem uero fructum adferre debeant subiungit.

**D** Et fructus uester maneat, ut quodcūq; petieritis patrem in nomine meo det uobis.) Nomen filij Iesus est, Iesus autem saluator, uel etiam salutaris dicitur: Ille ergo in nomine saluatoris petit, qui illud petit, quod ad ueram salutem pertinet. Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Iesu petitur.

## IN NATALI VNIVS CONFESSORIS

Epistola Beati Pauli Apostoli ad Corinth. II. Cor. Cap. I.



Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui cōsolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni præssura sunt per exhortationē, qua exhortamur & ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita & per ipsum abundat consolatio nostra, siue autem tribulamur pro uestra exhortatione & salute, siue consolamur pro uestra consolatione, quæ operatur tollerantiam earundem passionum, quas & nos patimur, ut spes nostra firma sit pro uobis, scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis, in Christo Iesu Domino nostro.

Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu &c.) Subintelligendum, Dñs noster benedicit Deum, quod consolationem ideo accipiunt sancti, ut ipsi alios consolentur.

Pater misericordiarum.) Id est, quia ex ipso nata est misericordia, & tamen in iunior illo non est.

Et Deus totius consolationis, qui consolatur nos.) Ideo dixit totius consolationis, quia eos plene atq; perfecte in laboribus consolatur & consolatio cum tribulatione cōpensat,

**A** pensat, sicut dixit in Psalmo: Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ delectauerunt animam meam.

In omni tribulatione & consolatione.) Id est, nō in aliis quibus, sed in omnibus.

Ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni præssura sunt.) Id est, propterea nos liberat, ut ipsi possimus alios consolari, formam nobis dat alios consolandi & per exhortationem, qua ipsi per uoluntatem Dei alios consolamur, agnoscimus quod Deus neminem derelinquat, & multo magis in futuro remunerabitur, quos in præsentis seculo cōsolatur.

Quoniam sicut abundant passionibus Christi in nobis.) Id est, passionibus pro nomine Christi.

Ita & per Christum abundat consolatio nostra.) Per hanc consolationem & ipse in uia, manifesta uisione, sub tempore euocationis eruditur, & quando ipse uel Petrus de carcere liberabantur.

Siue autem tribulamur pro uestra exhortatione & salute, &c.) Id est, duplex nobis tribulationis est causa, uel dum salutem uestram, quæ Christus est prædicamus, uel dum exemplum tollerantiæ uobis nostra afflictione præbemus.

Scientes quoniam sicut socij passionis estis, sic eritis & consolationis.) Scientes, id est, spe firmissima retinentes.

## EVANGELIUM LUCÆ. CAP. XIII.



**I** quis uenit ad me, & nō odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus, & qui non baiulat crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex uobis uolens turrim ædificare, nōne prius sedens, computat sumptus quæ necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident incipiāt illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cū uiginti milibus uenit ad se. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex uobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.

**S**i quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c.)

Percontari libet, quomodo parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse, quibus iubemur & inimicos diligere, & certe de uxore ueritas dixit: Quod Deus iunxit, homo non separet, & Paulus ait: Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus Ecclesiam. Ecce discipulus uxorem diligendam præcipit, cum magister dicit: Qui uxorem non odit, non potest esse meus discipulus, nunquid aliud iudex nūciat, aliud præco clamar: An simul & odisse possumus & diligere? sed si uim præcepti perpendimus, utrumq; agere per discretionem ualemus, ut eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quo proximis nouimus diligamus, & quo aduersarios in uia Dei patimur odiendo & fugiendo nesciamus. Ut autem Dominus demonstraret hoc erga proximis odium, non de inaffectione procedere, sed de charitate, addidit protinus dicens: Ad huc & animam suam. Tūc etenim animam nostram odimus, cum eius carnalibus desiderijs non adquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius uoluntatibus reluctamur. Quæ ergo cōtemptra ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic nimirū exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, ut in eis & diligamus, quod Deus, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obfistunt.

Et qui non baiulat crucem suam, & uenit post me non potest esse meus discipulus.)

**C** discipulus.) Crux quippe à cruciatu dicitur, & duobus modis crucem Domini bauila mus, cum aut per abstinentiam carnem afficimus, aut per compassionem proximi necessitatem illius nostram putamus. Qui enim dolorē exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mēte. Bauilare etenim crucem & post Dominum ire, est uel carnis abstinentiam, uel compassionem proximo studio eternæ intentionis exhibere. Nam quisquis hæc pro temporali intentione exhibet, crucem quidem bauilat, sed ire post Dominum recusat. Quia uero sublimitia præcepta data sunt, protinus comparatio edificandæ sublimitatis adiungitur, cum dicitur:

Quis enim ex uobis uolens turrem edificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum? Omne quod agimus, prouenire per studium consyderationis debemus. Ecce enim iuxta ueritatis uocem: Qui turrem edificat prius edificij sumptus parat. Si igitur humilitatis turrē construere cupimus, prius nos præparare cōtra aduersa huius seculi debemus. Hoc enim inter terrenū & cœleste ædificium distat, quod terrenum ædificium expensas colligendo construitur. Cœleste autem ædificium expensas dispergendo ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus. Ad istud sumptus facimus, si & habitate relinquamus. Consyderandum uero, quod dicitur:

Ne posteaquam posuerit fundamentum, & nō poterit perficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit edificare & non potuit consummare.) Quia iuxta Pauli uocem spectaculū facti sumus mūdo Angelis & hominibus, & in omni eo quod agimus, consyderare occultos aduersarios nostros debemus, qui semper nostris operibus intendunt, semper ex nostro defectu gratulantur, quos Propheta intuens ait: Deus meus in te confido, non erubescam, neq; irideant me inimici mei. In bonis enim operibus intenti, nisi contra malignos spiritus solliciti uigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus.

**D** Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum uiginti milibus uenit ad se. Alioquin ad huc illo longe agente, legationē mittens, rogat ea quæ pacis sunt.) Rex contra regem, ex equo uenit ad prællum, & tamē si se perpendit non posse sufficere, legationē mittit, & ea quæ pacis sunt postulat. Quibus ergo nos lachrymis sperare ueniā debemus, qui in illo tremendo examine, cum rege nostro ex equo ad iudicium non ueniamus, quod nimirum cōditio, infirmitas & causæ inferiores exhibet, sed fortasse iam mali operis culpas abscondimus, iam praua quæq; exterius declinamus. Nunquid ad reddendam rationem cogitationis nostræ sufficimus? Cum duplo ergo exercitu contra simulum uenit, qui nos uix in solo opere præparatos, simul de opere & cogitatione discutit. Et ideo dum adhuc longe, est legationem mittamus, rogemus ea quæ pacis sunt. Longe enim esse dicimur, qui adhuc præsens per iudicium non uidetur. Mittamus legationem lachrymas nostras, mittamus misericordiae opera, mactemus in ara eius hostias placationis. Hæc est nostra legatio, quæ regem uenientem placat.

Sic omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.) Manifestissime Dominus hac conclusione docet, quid sit edificare turrem, uel cum rege fortiore facere pacem, suum uidelicet esse discipulum, præparare autem sumptus ad perficiendam turrem, & mittere legationem ad impetrandam pacem, nō esse aliud quàm renunciare omnibus quæ possidet. Distat sanē inter renunciare omnibus & relinquere omnia. Paucorum enim perfectorum quæ est relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desiderijs eternis inhiare. Cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus quæ possident, hoc est, sic tenere, quæ mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo habere rem temporalem in usu, eternam in desiderio, sic terrena regere, ut tamen tota mente ad cœlestia tendant.

IN

## IN NATALEM SANCTORVM PLVRIMORVM

Epistola Beati Petri Apostoli. Cap. I.



**B**enedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem uitam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem conseruatam in cœlis, uobis qui in uirtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo in quo exultabitis. Modicum nunc si oportet contristari in uarijs temptationibus, ut probatio uestræ fidei multo præciosior sit auro, quod per ignem probatur. Christo igitur passo in carne & uos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne, desijt à peccatis, ut iam non hominum desiderijs, sed uoluntate Dei, quod reliquum est temporis in carne uiuat. Deus autem omnis gratie, qui uocauit uos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitq;. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum Amen.

**B**enedictus Deus & pater Domini nostri Iesu &c.) Ita Deo patri laudes benedictionis refert, ut Dominum saluatorem nostrum & Deum esse monstrat & hominem. Cum enim dicit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Deum quidem: Domini nostri Iesu Christi appellat, quia ipsum Dominū Iesum hominem factū esse uisum minime. Patrem autē Domini nostri nominat, quia eundem Dominum nostrum Dei filium semper extitisse nō dubitat.

Qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit in spem uitam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hereditatem, &c.)

**B** Iure benedicitur à nobis Deus, qui cum in nostris meritis generati fuisset ad mortem, sua nos misericordia regenerauit ad uitam. Et hoc per resurrectionem filij sui, scum in tantum nostram dilexerit uitam, ut illum pro hac morti disponderet, atq; eadem morte per resurrectionem destructa, spem nobis exemplumq; resurgendi monstraret. Mortuus est namq; ne nos morti timeremus, resurrexit ex mortuis, ut & nos per eum resurrecturos esse speraremus.

In hereditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem.)

Incorruptibilem, inquit, propter uitam cœlestem, quæ nec senio, nec morbo, nec morte, nec aliqua mœstitia tangitur. Incontaminatam, quia nullus eam potest in mundus intrare. Immarcescibilem, quia nec in ipsis beatorum hominum mentibus, ex longo usu cœlestis illa conuersatio ualeat aliquando uilesce, quomodo præsentis seculi luxur & delitiæ solent, non nunquam diuina consuetudine & usu in fastidium uerti.

Conseruatam in cœlis. &c.) Conseruatam in uobis dicit, pro eo ut diceret: Conseruatam uobis, id est, ad hoc conseruatam, nunc ut uobis tempore præstituto reddatur in cœlis, uel certe conseruatam in cœlis, in uobis, quia qui dedit credentibus potestatem filios Dei fieri, ipse dedit eisdem potestatem, hereditatem ab eo, non merentes accipere, perseverando usque in finem, ut salui sint. Et ideo conseruatam dicit: In illis hereditatem, quorum meritis iuuante Domino perueniendum nouit ad illam, quia qui non seruauerint disciplinam patris, hereditatem ab eo non merentur accipere.

Qui in uirtute Dei, &c.) Et Dominus ait in Euangelio: In domo patris mei multe mansiones sunt, & iterum: Non est meum dare, sed quibus paratum est à patre meo. Paratæ sunt ergo sedes in regno Dei, paratæ mansiones in domo patris, parata salus in cœlis. Tantū faciat se dignū qui accipere desiderat. Sed quia suo tantum conamine dignus fieri suis uiribus, ad eternam nō potest uenire salutem, recte præmittitur, qui in uirtute Dei custodimini per fidem, neq; enim quisq; suæ libertatis potentia custodiri ualet in bonis, sed illius per omnia quæ erendum est auxilium, ut perficiamur à quo initium bonæ actionis accepimus.

In quo exultabitis modicum, nunc si oportet contristari in uarijs tribulationibus.

G 3 latione.

**C**lationibus.) Quod dicit, in quo, significat in eo, quod hoc tempore nouissimo salus para-  
 ta reuelabitur, de quo Dominus ait: Iterum autem uidebo uos & gaudebit cor uestrum & gau-  
 dium uestrum nemo tollet à uobis. Modicum nunc sic oportet contristari, oportet, inquit, con-  
 tristari, quia non nisi per tristitiam seculi labentis, & afflictiones potest ad gaudia eterna perue-  
 niri. Modicum autem dicit, quia ubi merces eterna retribuitur, breue uidebitur ac leue totum  
 fuisse, quod in seculi tribulationibus graue uidebatur & acerbum.

**Vt probatio uestrae fidei multo pretiosius sit auro, quod perit &c.)** Et

sapientiae liber passiones sanctorum auro, quod per igne examinatur, comparat, dicens: Tan-  
 q̄ aurum in fornace probauit electos Dominus, & quasi holocaustum & hostiam accepit il-  
 los. Quae nimirum quasi in camino tribulationis fideles probauerit, hos in gaudio retributi-  
 onis, quasi placibilem sibi hostiam adsumit. Et bene patientia sanctorum auro assimilatur,  
 quia sicut in metallis pretiosius auro aliquid non est, ita haec apud Dominum omni est laude  
 dignissima, hinc etenim scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Si-  
 cur enim aurum in fornace clausum ignibus examinatur, probatum uero foras, cuius sit fulgoris  
 apparebit, ita fidelium constantiam inter fidelium quidem pressuras contemtilis uidetur,  
 ac stulta, sed ubi tempus retributionis, finito certamine, tribulationum adfuerit, tunc quantae fue-  
 rit gloriae, quantum flammis passionum profecerit eorum uirtus ostenditur.

**Christo igitur passo in carne & uos eadem cogitatione armamini.)** Post-  
 quam exemplum resurrectionis dominicae & ablutionis nostrae, quae fit in baptismo de archa  
 ac diluuii sacramento adstruxerat, reuertitur ad hoc quod dicere coeperat, hoc immitantes opus  
 redemptoris nostri, inter bona quae facimus, patienter malorum nequitiam tolleremus. Notandum  
 autem, quam districte loquens ait: Christo igitur passo in carne. Quia sicut beatus Ambrosius  
 ait: Caro enim passa, diuinitas autem mortis libera, passioni corpus naturae humanae lege con-  
 cessit. An uero mori diuinitas potest, cum anima non possit? Nolite, inquit, timere eos, qui cor-  
 pora occidunt, animam autem non possunt occidere. Si ergo anima occidi non potest, quomodo  
 diuinitas potest?

**Quia qui passus est in carne, &c.)** Quisquis iustorum corpus suum ad marty-  
 rium persecutorum uolentiae subdit, nulli dubium, quin usque ad uitae suae terminum quantum  
 humanae naturae possibile est se à peccatis abstinuit. Quid enim de peccati perpetratione, quid  
 de carnalibus desideriis cogitare, quid nisi uoluntatem Dei potuit animo uersare, qui uel ligno  
 adfixus, uel lapidum ictibus circumdatus, uel de bestiarum morsibus subactus, uel ignium fla-  
 mis superpositus, uel exscorpionum flagris perfolius, uel alio quolibet poenarum genere affectus,  
 hoc tantummodo desiderare cogebatur, quando finito certamine coronam uitae perciperet. **¶**  
 Talium ergo mentem beatus Petrus cupit semper imitari, cum proposito dominicae passionis  
 exemplo, nos eadem cogitatione contra nequitiam prauorum, contraque uitiorum oblectame-  
 ta praecipit armari. Volens intelligi quod etiam nos in pace Ecclesiae quiescentes, si habitum pa-  
 tientis iudicimus, facile iuuante Domino lapsus uitamus peccatorum hominumque desideria  
 cuncta diuinae uoluntatis subiugamus imperijs.

**Estote itaque prudentes, &c.)** Bene autem in orationibus uigilare iubemur, ut cum  
 stamus ad orationem cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat. Nec quicquam animus pre-  
 ter id solum cogitet quod praecat. Subripit enim frequenter hostis & subtiliter fallens preces no-  
 stras à Deo auocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud proferamus in uoce. Cum intentione  
 sincera Deum debeat non solum uocis, sed animi sensus orare.

**Ante omnia mutua in uobis, &c.)** Bene addit continuam, quia semper dilige-  
 re ualeamus, semper autem uigilare in orationibus fragilitate carnis obstare nequimus, ipsa au-  
 tem charitas cuius instinctu haec foras aguntur, quae in interiori homine praesidet, semper ibi-  
 dem haberi potest, quamuis in publicum non semper ostendi potest.

**Si quis loquitur, &c.)** Timens uidelicet, ne praeter uoluntatem Dei uel praeter quod in  
 sanctis scripturis euidenter praecipit, uel dicat aliquid uel imperet, & inteniatur tanquam falsus te-  
 stis Dei aut sacrilegus, uel introducens aliquid alienum à doctrina Domini, uel certe subrelin-  
 uens & praeteriens aliquid eorum quae Deo placita sunt, cum ipse manifestissime praedicator  
 quibus ueritatis, de his quos inbuere, praecipiat dicens: Docentes eos seruari omnia, quaecumque  
 mandauimus uobis, & ea enim quae ipse mandauit, non alia, & haec non ex parte sed omnia suis au-  
 ditoribus ad seruanda tradere iubet.

Si

**A** Si quis ministrat tanquam ex uirtute, quam administrat Deus.)  
 Tanto humiliter impendat quisque proximo bonum omne quod potest, quanto certissime no-  
 uit, quae à semetipso non potest habere, quae impendat.

**Vt in omnibus honorificetur Deus, per Iesum Christum.)** Iuxta ipsius  
 Iesu Christi praecipuum, quo ait: Videant uestra opera bona, & glorificent patrem uestrum, **Math. 5.**  
 qui in caelis est. Honorificatur ergo Deus in actibus nostris, cum omnia quae bene ac secundum  
 uoluntatem eius facimus, non hoc nostris meritis, sed eius gratiae tribuimus.

**Et cum apparuerit princeps pastorum.)** Sicut enim dicit Christus Rex regum,  
 Dominus Dominantium & princeps principum, & pastor pastorum, ita hic intelligitur Apo-  
 stolum dixisse princeps pastorum.

**Percipietis inmarcescibilem gloriae coronam.)** Inmarcescibilem dixit, quia  
 non inueietur. Coronam pro eternitate uitae cum praemijs sempiternis.

**Deus autem omnis gratiae, qui uocauit nos in eternam suam gloriam in  
 Christo Iesu, modicum passus.)** Deus autem omnis gratiae, dicitur idem multiformis  
 gratiae. Omne enim bonum quod habet homo, per gratiam accipit Dei, omnis enim glo-  
 ria ab illo datur, iterum ad illum refertur.

**Ipsa perficiet, confirmabit, solidabitque, ipsi gloria in secula seculorum.)**  
 Vocauit nos in eternam gloriam, id est, in uitam eternam, in Christo Iesu, id est, per incarnati-  
 onem ipsius, siue uocauit, ut est illud: Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Perficiet in fide **Math. 11.**  
 & perseverantia bonorum operum, & in futuro cum dixerit generaliter omnibus sanctis suis:  
 Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod uobis paratum est. Siue confirmabit in **Math. 25.**  
 fide solidabit in opere, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen.

## EVANGELIUM LUCAE. CAP. XII.

**B** Int lumbi uestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus ue-  
 stris. Et uos similes hominibus expectantibus Dominum suum,  
 quando reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit & pulsauerit con-  
 festim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum uenerit Dominus in-  
 uenerit uigilantes. Amen dico uobis, quod praecinget se, & faciet illos disci-  
 bere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & si in ter-  
 tia uigilia uenerit, & ita inuenierit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote,  
 quoniam si sciret pater familias, qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non  
 fineret perfodi domum suam. Et uos estote parati, quia qua hora non pu-  
 tatis filius hominis ueniet.

**Int lumbi uestri praecincti & lucernae ardentes.)** Quia multos ostenderit, uel **Beda.**  
 in toto seculo subditos, uel secularis intuitu commodi Domino seruitentes, pulchre breui-  
 terque suos docet, & lumbos praecingere, propter continentiam ab amore rerum secularium, & lu-  
 cernas ardentes habere, ut hoc ipsum uero sine & recta intentione faciant. Aliter, lumbos praeci-  
 ngimus, cum carnis luxuriam, per continentiam coarctamus.

**Lucernas autem ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis  
 exempla monstramus, redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest.**

**Et uos similes hominibus expectantibus Dominum suum, &c.)**

**Ad nuptias quippe Dominus abiit, qui resurgens à mortuis, ascendens in caelum, superna  
 sibi Angelorum multitudinem nouus homo copulauit, quia tunc reuertetur cum nobis iam per  
 iudicium manifestatur, bene autem de seruis expectantibus subditur.**

**Vt cum uenerit & pulsauerit confestim aperiant ei.)** Venit quippe cum ad  
 iudicium properat. Pulsat uero cum iam per egritudinis molestias esse mortem uicinam desi-  
 gnat, cui confestim aperimus, si hinc cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsan-  
 ti non uult, qui exire de corpore trepidat, & uidere eum, quem contempsisse se meminit iudicem formidat.

Qui

Math. ult.

**C** Qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia letus iudicem sustinet. Et cum tempus propinque mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit. Unde & subditur:

Beati serui illi quos cum uenerit Dominus, inuenerit uigilantes, Vigilat qui ad aspectum ueri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat qui seruat operando quod credit. Vigilat quia se corporis & negligentiae tenebras repellit.

Amen dico uobis, quod precinget se, & facit illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Precingit se, id est, ad retributionem preparatur, faciet illos discumbere, id est, in eterna quiete refoueri. Discumbere quippe nostrum in regno quiescere est. Transiens autem Dominus ministrat, quia lucis suae illustratione nos faciat. Transitus dictum est, de iudicio ad regnum redit, uel certe Dominus nobis post iudicium transit, qui ad humanitatis formam diuinitatis suae contemplatione nos eleuat. Et transire enim est in claritatis suae speculationem nos ducere, cum enim eum quem in humanitate in iudicio cernimus, etiam in diuinitate post iudicium uidemus.

Eccle. vi.

Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia tuerit, & ita inuenierit, beati sunt serui illi. Prima uigilia primae uisus est, id est, pueritia. Secunda adolescentia, uel iuuentus, quae auctoritate sacri eloquii unum sunt dicentis: Letare iuuenis in adolescentia tua. Tertia autem senectus accipitur. Qui uero uigilare in prima uigilia noluist, custodiat uel secundam, & qui conuertitur a prauitatibus suis in pueritia neglexit, ad uias uitae, saltem in tempore iuuentutis euigilet. Et qui uigilare in secunda uigilia noluist, tertiae uigiliae remedia non amittat. Ut qui & in iuuentute ad uias uitae non euigilat, saltem in senectute respiciat. Ad excutiendam uero mentis nostrae desideria, etiam exteriora damna per similitudinem deducuntur, ut per haec animus ad suam custodiam suscitetur. Nam dicitur:

**D** Hoc autem scitote: Quonia si sciret paterfamilias, qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ex qua praemissa similitudine, etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur:

Et uos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis ueniet. Nesciente enim paterfamilias fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, inprovisa mors ueniens carnis nostrae habitaculum irumpit, & eum quem Dominum domus inuenerit dormientem necat, quia eum uentura damna spiritus minime prauidit, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si uigilaret, quia aduentum iudicis, qui occulte animam rapit, praecauens ei poenitendo occurreret, ne in poenitens periret. Horam uero ultimam Dominus noster idcirco nobis uoluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prauidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicitis hanc parabolam, an & ad omnes? Id est ad nos specialiter Apostolos, an & ad omnes qui saluandi sunt, dicitis?

Dixit autem Dominus: Quis putans est fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Per mensuram tritici exprimitur modus uerbi. Alta etenim quae debent multis audientibus contegi, & uix paucis aperiri, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Moses a secreto Dei exiens coruscantem faciem coram populo uelat, quia nimirum turbis claritatis intimae archana non indicat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen a communis aedificationis arte nunquam recedat.

Beatus ille seruus, quem cum tenerit Dominus eius, inuenerit ita facientem. Vere dico uobis, quia super omnia quae possidet constituet eum.

Quanta inter bonos auditores & bonos doctores meritorum distantia, tanta est & praemiorum. Hos enim adueniens, cum uigilantes inuenerit, faciet discumbere, & transiens ministrabit eis. Illos autem cum uerbi annona familiae sibi creditae, fideliter, prudenterque dispensantes inuenerit, supra omnia quae possidet constituet, id est, supra omnia coelestis regni gaudia,

non

**A** non utique ut horum soli dominium teneant, sed ut eorum abundantius praeter ceteris sanctis eterna possessione fruantur. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam eruditi sunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

ALIVD EVANGELIUM. LVC. .XIX.



Omo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuertit. Vocatis autem seruis suis, dedit illis decem minas, & ait ad illos: Negociamini dum uenio. Ciues autem eius oderant illum; Et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos: Et factum est ut rediret accepto regno, iussit uocari seruos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mina tua, decem minas acquisiuit, & ait illi: Euge serue bone & fidelis, quia in modo dico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine inna tua fecit quinque minas, huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates, Et alter uenit dicens: Domine ecce mina tua, quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti, dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminasti, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? & ego ueniens cum usuris utique exegissem illam, & astantibus dixit: Auferte ab illo minam & date illi, qui decem minas habet, & dixerunt illi: Domine habet decem minas. Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur, ei autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

**B**

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuertit. Homo nobilis est ille, cui cecus supra clamabat: Fili David miserere mei, & uenienti Hierosolymam concinebant: Osanna filio David. Benedictus qui uenit in nomine Domini Rex Israel. Longinqua regio, Ecclesia est ex gentibus, de qua idem homo nobilis loquitur: Ego autem constitutus sum rex ab eo, dicitur a patre: Postula a me & dabo tibi gentes, haereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae, quae uidelicet hereditas ac possessio bifaria ratione regio longinqua uocatur, uel quia a finibus terrae clamabat ad Deum, uel quia longe est a peccatoribus salus, & cum Deus ubique sit praesens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus uerus abest. Sed qui erant longe, facti sunt prope in sanguine Christi.

Vocatis autem decem seruis suis dedit illis decem minas, &c. Denarius numerus ad legem pertinet propter Decalogum, uocat itaque paterfamilias decem seruos, quia elegit discipulos per litteram Legis imbutos. Dat illis decem minas, quia legis dicta spiritualiter intellegendae reuelat. Post passionem quippe, resurrectionemque suam aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas: Mina quam Graeci μυαμ uocant, C. dragmis appendit, & omnis scripturae sermo, quia uitae coelestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenari pondere fulgescit.

Erat illis: Negociamini dum uenio. Verba, inquit, legis ac prophetarum mystica interpretatione discussa, populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morumque probitatem recipite: iuxta quod Psalmista suis auditoribus praecipit dicens: Sumite Psalmum & date tympanum, hoc est, laudem predicationis in cordis intentione percipite, & deuotionem operis in carnis castigatione redigite.

Ciues autem eius oderant illum, & miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Ciues impios Iudeos dicit, de quibus alibi protestatur: Nunc autem & uiderunt & oderunt & me & patrem meum, qui non solum praesentem usque

H ad mor-

## D. ZMARAGDI COLLECTIONES.

ad mortem crucis oderant, sed & iam post resurrectionē eius, nouerūt persecutionē Apostolis, & predicationem regni cœlestis spreuerunt.

1041. 19.

Et factum est ut rediret accepto regno. Significat tēpus, quando in manifestissima, & eminentissima claritate uenturus est, qui eis humilis apparuit, cum diceret regnum meum non est de hoc mundo.

Quibus & iussit uocari seruos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset, &c. Ut sciret, inquit, non quod est quid lateat, cui uerissime dictum est, Domine tu omnia scis, sed scire dicit, scire omnes faceret. Tunc enim omnia opera & cogitationes palam omnibus ostenduntur.

Venit autem primus dicens: Domine mna tua decē mnas adquisiuit. Primus seruus, Ordo doctorū est, in circumcissionem missorū, qui unam mnam negociaturus accipit. Qui unum Deum, unam fidem, unum baptisma, unum Dominum prædicare iussus est. Sed hæc eadem mna decem mnas adquisiuit, qui populum sub lege constitutum, sibi met docendo sociauit.

Et ait illi: Euge serue bone & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates. In modico seruus est fidelis, qui non adulterat uerbum Dei: Sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquitur, quicquid enim in præsentem percipimus donorum, in comparatione futurorum, per paucum est, & modicum, ciuitates autem decem, sunt animæ per legis uerbum ad gratiam Euangelij uenientes, quibus tunc iure glorificandus ille præponit, qui eis pecuniam uerbi digne cōmendauerit.

Et alter uenit dicens: Domine, mina tua fecit quinq; minas. Seruus iste coetus est eorum, qui præputio Euangelizare missi sunt, cui Dominus ad prædicandum eunti, unam minam, hoc est, unam eandemque fidem que & circumcissioni credita est præstiterat, sed hæc quinq; minas fecit, quia gentes corporis sensibus antea mancipatas, ad fidei Euangelicę gratiam conuertit.

Et huic ait, & tu esto super quinq; ciuitates. Hoc est ex earum quas imbue-  
ras animarum fide & conuersione, magnus sublimisq; fulgeto, qui eas a tenebris docendo commutauerat, recte quinq; ciuitatibus præfici memoratur, quia non de suis tantum, sed de auditorum suorum, quos ad lucem uocauit profectibus honoratur.

Et alter uenit, dicens: Domine ecce mina tua, quam habui repositā, &c. Pecuniam in sudario quippe religare, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere, sūt enim homines, hac sibi perueritate blandientes, sufficit ut de se unusquisque ratioē reddat, quid opus est alijs prædicare, ut etiam de ipsis rationem reddere quisque cogatur, cum apud Dominū etiam illi sint inexcusabiles, quibus lex data nō est, neq; audito Euangelio dormierūt, quia per creaturā poterāt creatorē cognoscere, hoc est enim quasi metere, ubi non seminauit, id est etiam eos impietatis reos tenere, quibus uerbum legis, aut Euangelij non ministratum est. Hoc autem ueluti periculum iudicij deuitantes, pigro languore à uerbi ministracione cōquiescunt, hoc est, quasi in sudario ligari, quod acceperunt.

Dicit ei, de ore tuo te iudico, serue nequam. Seruus nequam uocatur, quia & piger ac deses est, ad exercendum negotium, & prociac ac superbus ad accusandum Domini iudicium.

Hieronymus.

Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, &c. Quod putauerat se excusatione dixisse, inculpam propriam uertitur, si inquit durū & crudelē esse me noueras, & aliena secta sectari, sibiq; metere, ubi nō seminauerim, quare nō tibi istiusmodi cogitatio incussit timorem? ut scires me mea diligentius questurum, & dares pecuniam meam, siue argentum ad mensam. Vtrumque enim & γέρας, Græcus sermo significat: Eloquia Domini, inquit, eloquia casta, argentum igne examinatum. Pecunia ergo & argentum, prædicatio Euangelij est, & sermo diuinus, qui dari debuit ad mensam, hoc est, promptis paratisq; fidelium cordibus intimari, ad quam uidelicet mensam, id est, ad mentem auditorum, non alia quam dominica est deferenda pecunia, ut omnis sermo docentis, scripturę sensum sequatur. Nam quod hic Dominus non quam libet pecuniam, sed suam dicit: nummularijs esse tenerandam, exponit Apostolus dicens: Si quis loquitur, quasi sermones Dei.

Et

A

Et ego ueniens cum usuris utiq; exegissem illam. Qui uerbi pecuniam percipit à doctore emittit, credendo, necesse est eam cum usuris soluat operando, ut quod auditu didicit, exequatur & actu. In usura quippe pecunia etiam non data recipitur, uel certe de accepto uerbi fenore usuras, qui ex eo quod audit, etiam alia studet intelligere, quæ necdum ex prædicatoris ore didicit.

Et astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet, & dixerunt ei: Domine habet decem minas. Recte amittit conlatā gratiam, quam prædicando alijs communicare neglexit, ut ei augeatur, qui in illa laborauit, & cū regium crisma, quod superbiendo Saul amisit, Dauid obediendo promeruit: Quod uero ablata à nequam seruo mina ei, qui decem minas habebat, dari iussa est, mystice ut reor in dicat, in trante plenitudine gentium, omnem Israel saluum futurum, & tunc abundantiam gratię spiritalis, quam modo nos tepenter exercemus, illius populi doctoribus esse conferendum.

Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. Hæc sententia ad superiora respicit, docens & illum posse amittere munus Dei, qui habens habet, hoc est, bene utitur, quę gratiarum mutatio, quoniam in hac uita geri solet, notandum, quod illud Domini redeuntis examen, etiam nunc ex parte celebratum, sed tunc est uniuersaliter implendum. Cotidie namq; accepto à patre regno redit, quia peregrinantis in terra Ecclesię semper statum conspicit. Cotidie in tanto fidelium seruorum numero, huic pecuniā negotiatiuro commodat. In altero modum consummati operis examinat, hunc fideliter prudenterq; laborantem, amplioris gratiæ munere donat, illum desidias molles, & marcidā luxu otia sectantem, & eo quod dederat priuat.

IN NATALI SANCTORVM PLVRIMORVM  
martyrū, Lectio Epistolę beati Pauli Apostoli, ad Hebræos, XI. Cap.

B



Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonū, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate. Fortes facti sunt in bello. Castra uerterunt exterorum, acceperunt mulieres, de resurrectione mortuos suos. Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem inuenirent resurrectionem. Alij uero ludibria, & uerbera experti, insuper & uincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, temptati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis in pellibus caprinis. Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus nō erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in caernis terræ. Et hñ omnes testimonio fidei probati inuenti sunt in Christo Iesu Domino nostro.

Sancti per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt, &c. Est autem fides sperandarum rerum non apparentium, neq; enim quod uidet, quis sperat, sed quod non uidemus, per patientiam expectamus: Fides dici non potest, nisi cum circa eam, quæ non uidentur amplius, quam circa ea, quæ uidentur satis factiorem, quis haberet.

Obturauerunt ora leonum. Hic de Daniele eum dicere puto  
Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij. Hic autem de tribus pueris eum dicere puto.

Conualuerunt de infirmitate. Hic illud tempus dicit, quando reuersi sunt ex Babilonia, quod ait, Ex infirmitate, hoc esse puto ex captiuitate, quādo iam in desperatione erant Iudaicę res, quando iam à mortuis nihil distabant.

Fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum. Hic aperte de Machabæis dicere uidetur, quamuis & de Iosua, Samson, Dauid, & his similibus intelligi potest.

H 2 Acceperunt



Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.) Ea que circa Prophetas prouenerunt dicit, Heliseum & Heliã significans, qui mortuos suscitabant.

Alij autem distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem inuenirent resurrectionem.) Clarum est ergo, quia ut meliorem resurrectionem adipiscerentur, non enim talem, qualem resurrectionem acceperunt filij illarum mulierum. In hoc loco uidetur mihi, quia Ioannem significat & Iacobum. Distentio quippe dicitur decollatio, elegerunt enim magis mori, cum ipsi alios suscitarent, ut meliorem resurrectionem adipiscerent.

Alij ludibria experti, in super & uincula & carceres.) Hec ideo dicit, ut quando aliquis in eadem causa, uel in eadem passione, aut tristitia detineretur, solatium ex similitudine compatientis accipiat. Ac si peiorem aliquam passionem ducas, si non ex eadem causa orta sit, si non pro iustitia patiaris nihil prodest. Beati enim ait Euangelium, qui persecutionem patiuntur, propter iustitiam.

Matt. 5.

Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.) In hoc loco pluralem pro singulari numero posuit. Lapidatum enim iustum in ueteri testamento pro iustitia, tantummodo legitimus Naboth gezrahelitam, sectum uero solummodo Isaiam, tentati uero & in occisione gladij mortui multi fuerunt.

Circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egentes, angustiati, &c.) Hec omnia de filijs Prophetarum, qui in heremo conuersabantur, dici uidentur, de quibus testibus in nouo testamento fidelibus, Apostolus fidem facit, ut torpentium corda ad exemplum sanctorum illorum inflammans excitet & recreet.

## EVANGELIUM MATTHAEI. V.

**M**idens Iesus turbas ascendit in montem. Et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius. Et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis.

**V**idens Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius.) Si quaeritur quid significet mons, bene intelligitur significare maiora praecipua iustitiae, quia minora erant, quae Iudaeis data sunt. Vnus tamen Deus per sanctos Prophetas & famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum dedit minora praecipua populo, quem timore adhuc alligari oportebat, & per filium suum maiora populo, quem charitate iam liberari conueniunt. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magistrum & accedit ad eum discipuli sui, ut audiendis illius uerbis, huius essent etiam corpore uiciniores, qui praecipuis implendis animo propinquabatur.

Fulgentius.

Recte Deus excelsus in locum excelsum ascendit, ut hominibus excelsis praedicaret excelsa, & aperte lex noua in mente praedicatur, quia uetus Moysi in monte data est.

Et

**A**periens os suum, docebat eos, dicens.) In aperiendo enim os, ostendit profundum & occultum sermonem prolaturum suum, hic enim os suum dicitur aperire, quod prius Prophetarum ora aperuit.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.)

Nec aliu de incipere oportuit beatitudinem, siquidem peruentura est, ad summam sapientiam. Initium autem sapientiae timor Domini, quoniam & e contrario, initium omnis peccati, superbia, quae propter hanc intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes instantem spiritum.

Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram.) Illam credo, de qua in Psalmis dicitur: Portio mea, in terra uiuentium. Significat enim quandam soliditatem & stabilitatem hereditatis perpetuae, ipse enim est requies, & uita sanctorum. Mites autem dicitur, qui non resistunt malo, sed uincunt in bono malum.

Psalm. 36.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.) Beati qui lugent peccata, conuolabuntur spiritu sancto, qui propterea Paraclitus, id est, consolator nominatur, ut temporalem amittentes, aeterna letitia perfruantur.

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.)

Hic amatores dicit, ueri & in concussis boni, illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus ait: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei, ubi loquitur de iustitia, & illa aqua, de qua quisquis biberit, fiet in eo fons aquae salientis in uitam aeternam.

Ioh. 4.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.) Beatos esse dicit: Qui subueniunt miseris, quoniam eis ita reperatur, ut de miseria liberentur.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.) Sicut alibi scriptum est, in simplicitate cordis, quaerite illum, hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor, & sicut lumen hoc uideri non potest, nisi oculis mundis, ita nec Deus uidebitur, nisi mundum sit illud quod uidere potest.

**B**eati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur.) In pace perfectio est, ubi nihil repungnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil resistit Deo. Pacifici autem in semetipsis sunt qui omnis animi sui motus componentes fiunt regnum Dei. Hic conuenit illud Poeticum: Pax animam nutrit, retinet concordia pacem. Pax reprimit litem, concordans necit & idem. Lis pacem metuit, refugit discordia pacem. Odia pax pellit, castum pax nutrit amorem.

Beati qui persecutionem patiuntur, propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.) Non qui propter iniquitatem, sed propter Christianae unitatis diuisionem, nam & Agar passa est, a Sara persecutionem, & illa erat sancta quae faciebat, illa iniqua quae patiebatur: Signanter addidit propter iustitiam, multi enim persecutionem propter sua peccata patiuntur, & non sunt iusti. Simulque considera, quod octaua uerae circuncisionis beatitudo martyrio terminatur.

Hier.

Beati estis cum maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint & dixerint omne malum aduersum uos, mentientes propter me.)

Illud maledictum contemnendum est, & beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur, unde & specialiter diffiniunt, quae sit beata maledictio, omne dicens maledictum aduersum uos mentientes propter me, ubi ergo Christus in causa est, ibi optanda maledictio.

Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in caelis.)

Nescio quis hoc nostrum possit implere, ut lacere obprobrijs, fama nostra, & nos exultemus in Domino, hoc qui uanam sectatur gloriam implere non potest. Gaudere igitur & exultare debemus, ut merces nobis in caelestibus praeparatur. Eligenter in quodam uolumine scriptum legitimus, ne quaeras gloriam, & non dolebis cum ingloriosus fueris.

In caelis dictum est, in spiritalibus firmamentis, ubi habitat sapientia, iustitia, unde & Apostolus inquit, conuersatio uestra in caelis est: Cum dicit, Beati pauperes, auaritiam repellit. Beati mites, iram, & indignationem excludit. Beati qui lugent, seculi tristitiam quae mortem operatur repungnat. Beati qui esuriunt, gulam, siue omnium deliciarum cupiditatem, per iunium retundit. Beati misericordes, humili conpatiendo iecit. Beati mundo corde,

August.

Philip. 2.

Hier.

H in forn.

fornicationem & omnem corporis inquinamentum fortiter extorquet. Beati pacifici, uanam gloriam, pacis dilectionem humiliat. Beati qui persecutionem, accidiam omnemq; discurrendi amorem abiicit.

## IN NATALI VIRGINVM,

Euangelium Matthæi Cap. XIII.



Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius uadit & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnū cœlorū homini negociatori, quæretī bonas margaritas. Inuenta autē una præciosa margarita, abiit & uendidit omnia quæ habuit & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium cōgreganti. Quā cum impleta esset educētes & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autem foras miserūt. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminū ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius uadit & uendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.) Crebris parabolarum obscuritatibus retardari commaticam interpretationē excedimus, ut prope de alio interpretationis genere, ad aliud transisse uideamur. Thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi aut Deus uerbum est, qui in carne Christi uidetur absconditus, aut sanctæ scripturæ, in quibus reposita est noticiā saluatoris, quæ cū quis in eis inuenit, debet omnia istius seculi in uolumenta contemnere, ut illum possit habere, quem reperit. Quod autem sequitur, quem cum inuenit homo abscondit, idcirco dicitur, non quod hoc de inuidia faciat, sed quod timore seruantis, & nolentis perdere, abscondat in corde suo, quem pristinis prætulit facultatibus.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem una præciosa margarita, abiit & uendit omnia quæ habuit, & emit eam.) Alijs uerbis id ipsum, quod supra dicitur, bonæ margaritæ, quas quærit inquit, Lex & Prophetæ sunt, & noticiā Veteris Testamenti, unum autem est præciosissimum margaritum, scientiā saluatoris, & sacramentum passionis illius, & resurrectionis archanum, quod cum inuenit, homo negociator, similis Pauli Apostoli omnia legis, Prophetarum quæ mysteria, & obseruationes pristinas, in quibus inculpate uixerat, quasi purgamenta cōtemnit, & quiescitur, ut Christum lucrificat. Non quod inuentio nouæ margaritæ, condemnatio sit ueterum margaritarum, sed quod comparatione eius, omnia alia gemma sit uilior.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregati. Quam cum impleta esset educētes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in uasa sua, malos autē foras miserūt. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, &c.) Impleto Hieremiæ uaticinio docentis: Ecce ego mitto ad uos piscatores multos, postq; audierunt Petrus & Andreas Jacob, & Ioannes filij Zebedei sequimini me, & faciam uos piscatores hominum, contexuerunt sibi ex Veteri ac Nouo Testamento sagenam Euangelicorum dogmatum, & miserunt eam in mare huius seculi quæ usq; hodie in medijs fluctibus tenditur capiens de salis & amaris gurgitibus, quicquid incidit, id est, & bonos ho-

Hier. 16.

mines

A mines & malos & optimos pisces & pessimos, cum autem uenerit consummatio & finis mundi, ut ipse infra manifestus differit, tunc sagenæ extrahetur ad littus, Tunc uerum fecernendum piscium inditium monstrabitur, & quasi in quodam quietissimo portu boni mittentur in uasa cœlestium mansionum, malos autē torrendos & excicandos gehennæ flamma suscipiet.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.) Ad Apostolos propriæ sermo est, & illis dicitur: Intellexistis hæc, quos non uult audire tantum, ut populum, sed intelligere, ut magistros futuros.

Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.) Instruati erant Apostoli Scribæ & Notarij saluatoris, qui uerba illius & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus regnorum cœlestium sacramentis, & pollebant opibus patrifamilias, efficiētes de thesauro doctrinarum suarum noua & uetera, ut quicquid in Euangelio prædicabant legis & Prophetarum uocibus comprobarent: Vnde & sponsa dicit in Cantico canticorum noua cum ueteribus fratruelis meus seruauit tibi.

## EVANGELIUM MATTHÆI. XXV.



Simile est regnum cœlorum decem uirginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes: Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes uirgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo testro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & uobis: Ite potius ad uendentes & emite uobis. Dum autem irent emere, uenit sponus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimæ uero ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico uobis, nescio uos. Vigilate itaq; quia nescitis diem neq; horam.

Simile est regnum cœlorum decem uirginibus.) Dum enim regnum constat, Grego: quia reproborum nullus ingreditur, queritur, cur fatuæ uirginibus simile esse prohibetur, sed sciendum est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præfens Ecclesia dicitur, de quo & alio loco Dominus dicit: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius, id est, de præfenti Ecclesia omnia scandala, Vnde & alibi dicit: Qui soluerit unum de mandatis istis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum, id est, in Ecclesia. Ergo & hic in decem uirginibus præfens signatur Ecclesia. In quinq; autē corporis sensibus, unusquisq; subsistit. Geminatus autem quinaris, denarius perficit. Et quia ex utroq; sexu fidelium multitudino colligitur, sancta Ecclesia decem uirginibus similis denuntiat, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt, recte similis uirginibus prudentibus & fatuæ esse perhibetur.

Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes.) Videntur itaq; mihi quinq; uirgines significare, quinq; partitam continentiam carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus à uoluptate oculorum, à uoluptate aurium, à uoluptate olfactendi, gustandi, tangendi, sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur interiori gaudio continentia, partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur. Quinq; dicuntur sapientes, & quinq; stultæ, ut q; tamen uirgines, quia utraq; continentia est, quæ uis diuerso fomite gaudet.

H. iij. Hanc

**C** Hanc Parabolam decem uirginum fatuarum atq; prudentium, quidā simpliciter in uirginibus interpretantur. Quarum aliæ iuxta Apostolum, & corpore & mente sunt uirgines: Aliæ uirginitatem tantum corporum referuantes, uel cætera opera non habent propolito suo similia, uel parentum custodia referuante, nihilominus mente nupserunt: Sed mihi uidetur, non ad uirginalia corpora, sed ad omne hominum genus per comparationem pertinere, tam Ecclesiasticos quàm Iudæos atq; Hæreticos, qui idcirco uirgines appellantur, quia in unius Dei notitia gloriantur.

**Quæ accipientes lampades suas.)** Lampades autem sunt, quia manibus testantur opera, quæ secundum istam continentiam fiunt: Dictum est autem, ut luceant opera uestra coram hominibus.

**Exierunt obuiam sponso & sponsæ.)** In sponso enim nomine, Christus intelligitur, de quo Euangelium dicit: Non ieiunabunt filij sponſi, quamdiu cum illis est sponſus. Ergo, non possunt qui Christiani non sunt, sponſo Christo uenire obuia. Vnum corpus dixit, utriusq; sexus, sponſi & sponsæ, sed quid in Dominum, quid in Ecclesiam conueniat, rationem cognoscimus, sicut alibi: Sicut sponſo imposuit mihi mirram, & sicut sponsam ornauit me ornamento. Vnum corpus dixit, id est, Christum & Ecclesiam.

**Sed quinq; fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.)** Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter uiuunt, nisi in laudibus hominum, non ergo habent oleum secum. Nam ipsam lætitiā oleo significari arbitror: Propterea unxit te, inquit, Deus Deus tuus oleo lætitiæ, qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleū secum.

**Per oleum quippe, nitor glorię designatur.** Vascula autem, nostra sunt corda, in quibus serimus cuncta quæ cogitamus. Fatuę autem uirgines oleum secum non sumunt, quia gloriā intra conscientiam nō habent, quia plerumq; bona in se opera, cum electis & reprobis ostendū, sed solum ad sponſum ueniunt cum oleo, qui de his quæ foris egerint intus gloriā requirunt, unde per Psalmistā quoq; de sancta electorum Ecclesia dicit: Omnis gloria eius filij regis intus,

**Prudentes uero acceperunt oleum in uasis suis cum lampadibus.)** Lætitia bonorum operum in corde atq; conscientia posuerūt. Sic & Apostolus monet: Probet autem se homo, inquit, & tunc in se meipſo habebit gloriā, & non in altero.

**Prudentes oleum in uasis habent, quia nitorem glorię intra conscientiam retinent.** Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra, hæc est testimonium conscientiæ nostræ.

**Morā autem faciente sponſo dormitauerunt omnes, & dormierunt.)** Omnes dicit: Quia ex utroq; genere continentium hominum, siue eorum, qui de bono suo opere Deo tribuunt gloriā, siue eorum, qui in laudibus hominum ad quiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec sub aduentu Domini, fiat resurrectio mortuorum.

**Dum uenire Iudex ad extremum iudiciū differt, electi & reprobi, in mortis somno sopiuntur.** Dormire etenim mori est, ante somnum uero dormire, est ante mortem à salute languescere, quia per pondus egreditur, peruenitur ad somnum mortis. Consequenter autem dicitur dormierunt, quia postea suscitandi sunt.

**Media autem nocte, &c.)** De aduentu sponſi clamor in media nocte fit, quia sic dies iudicij subrepat, ut preuideri non ualeat, quando uenit, quippe cum ipse Dominus dicat: De die autem illa, & hora nemo scit. Et Apostolus ait: Dies autem Domini tanq; fur in nocte ita ueniet. Per angelorum clamorē, & tubas præcedentiū fortitudinem, Christi resonauit aduentus, Traditio Iudæorum est, Christum media nocte uenturum in similitudinē Aegyptij temporis quando Pascha celebratum est, & sanguine agni postes nostrorum frontium consecrati sunt: Vnde reor traditionem Apostolicam permanisse, ut in die uigiliarū Paschæ, ante noctis medium, populos dimittere non liceat, sed expectantes aduentum Christi stent in Ecclesia.

**Tunc surrexerunt, &c.)** Tunc omnes uirgines surgunt, quia electi & reprobi à somno suæ mortis excitantur, lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus æternā recipere beatitudinem expectant.

**Aptauerunt lampades suas, id est, rationes reddendas operum suorum.** Oportet enim nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisq; quod gessit in corpore, siue bonum siue malum.

Fatuę

**A** **Fatuæ autem sapientibus dixerūt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades nostrę extinguuntur.)** Quid est autem quod tunc à prudentibus oleum petit nisi quod in aduentu iudicis, cū se intus uacuas inuenerint testimonij foris quærūt. Ac si à sua fiducia deceptæ, proximis dicant, quia nos quasi sine opere repelli conspiciatis, dicite de nostris operibus, quid uidistis: Sed lampades fatuarū uirginum extinguuntur, quia earum opera quę clara hominibus foras apparuerunt, in aduentu iudicis intus obscurantur, & ad retributionē non ueniunt, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes, quas amauerunt.

**Quæ lampades suas quæruntur extingui, ostenderunt eas ex parte lucere, & tamen non habere lumen in deficienti, nec opera perpetua, si quis igitur habet animam uirginalem, & amato rem pudicitie, non debet mediocribus esse contentus, quę cito exoleſcunt, & exorto cauiatate are fiunt, sed perfectas uirtutes sequatur, ut lumen habeat sempiternum.**

**Responderūt prudentes, dicentes: Ne forte nō sufficiat nobis & uobis.)** Vnusquisq; enim pro serationem reddet, nec alio testimonio quisq; adiuuatus apud Deū, cui secreta cordis apparent. Et uix sibi quisq; sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua.

**In illo enim die, quod tamen de quibusdam in pace Ecclesię quiescentibus loquor, sibi me ipsi testimonium uniuscuiusq; uix sufficit, quanto minus & sibi & proximo: ubi & protinus per increpationem subdunt.**

**Ite potius ad uendentes & emite uobis.)** Non consilium dedisse putandæ sunt sed crimina eorū ex obliquo cōmemorasse.

**Venditores quippe olei, adulatores sunt, qui enim accepta qualibet gratia, uanis suis laudibus nitorem glorię ostendunt, quasi oleum uendunt, de quo profecto oleo psalmista dicit, Oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum.**

**B** **Dum autem irent emere, uenit sponſus, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.)** Euntes autem illis, uenit sponſus, id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solidis gaudere quærerentibus, quia gaudia interna non nouerunt. Venit ille qui iudicat, & quæ paratæ erant, id est, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat. Intrauerunt cum eo nuptias, id est, ubi munda anima sempiterno Dei uerbo fecunda copuletur. Clausa est ianua, id est, refertis illis, qui sunt in angelicam uitam mutati. Omnes enim resurgemus, inquit, sed non omnes immutabimur.

**Clausus aditus regnum cælorum: Non enim post iudicium patet præcum, aut meritum locus: O si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habet, quod dicitur, uenit sponſus? quid dulcedinis? Intrauerūt cū eo ad nuptias, quid amaritudinis. Et clausa est ianua. Quāta uero tunc erit electorū lætitia, qui de eius merentur uisione gaudere, cum eo simul ad nuptias intrare, qui & in sponſi nuptias gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo æterno regni thalamo, uisioni nostræ Deus coniungitur, qui scilicet uisio nunquam in perpetuum amoris sui amplexibus euellatur. Tunc regni ianua lugentibus clauditur, quæ modo poenitentibus cotidie aperitur. Erit namq; tunc poenitentia, sed fructuosa iam non erit, quia nequaquā tunc ueniam inuenit, qui modo aptum ueniens tempus perdit.**

**Novissimæ uero ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.)** Egregia quidem in Domini appellatione confessio, idemque repetitum iudicium fidei est, sed quid prodest uoce inuocare, quem operibus neget.

**Ibi iam à Deo non potest mereri quod petit, qui hic noluit audire, quod iussit. Qui tempus congruum poenitentia perdidit, frustra ante regni ianuam cum præcibus uenit.**

**Non dictum est, quod emerint oleum, & ideo intelligendæ sunt nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in augustijs & magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei, sed magna est eius seueritas, post iudicium, cuius ante iudicium in effabilis misericordia prærogata est.**

À ille

D. Z M A R A G D I C O L L E C T I O N E S.

**Hiero.** <sup>C</sup> At ille respondens ait: Amen dico uobis, nescio.) Nouit Dominus qui etus  
sunt, & qui ignorat ignorabitur. Nescit Dominus operarios iniquitatis.  
**Grego.** Praeces offerunt sed nesciuntur, quia tunc uelud in cognitos Deus deserit, quos modo suos  
**2. Timoth. 2.** per uitae meritum non agnoscat.  
**1. Cor. 14.** Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.) Si sciret quisque de praesenti se-  
culo, quo tempore exiret, aliud tempus uoluptatibus atque aliud poenitentiae aptare potuis-  
set, sed qui poenitentiae uitam spondit peccanti, diem crastinum non promissit. Semper er-  
**Auguf.** go extremum diem debemus metuere, quae nunquam possumus prauidere.  
Non modo illius ultimi temporis quo uenturus est sponsus, sed suae quisque dormitionis die  
& horam nescit. Quisquis autem paratus est, usque ad somnum, id est, usque ad mortem, quae o-  
mnibus debetur paratus inuenietur, etiam cum illa uox media nocte sonuerit, qua omnes eui-  
gilaturi sunt. Quod uero sponso & sponsae dixit obuiam uenisse uirgines, sic intelligendum pu-  
to, ut ex ipsis uirginibus, confitetur, ea quae dicitur sponsa, tanquam si omnibus Christianis in Ec-  
clesiam concurrentibus filij ad matrem concurrere dicantur, cum ipsis filijs congregatis, confet  
ea quae dicitur mater.

C O L L E C T I O N V M D. Z M A R A G D I

in Epistolas & Euangelia, de tempore  
& de sanctis, Finis.

A R G E N T O R A T I A P V D G E O R G I V M

Vlricherum Andlanum, Mense Martio, Anno

M. D. XXXVI.



